SECVNDVM PRINCIPIVM COMPLVTENSE,

SEV TRACTATVS DE ANGELIS,

IN QVO LEGITIMA SVBTILIS Doctoris P. Fr. Ioannis Duns Scoti mens & aperitur, & propugnatur.

AVTHORE P. F. CHRISTOPHORO DELGADILLO Matritensi, Lectore Complutensi Iubilato.



Anno 1652.

COMPLVTI. Ex Officina Mariæ Fernandez.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

REVERENDISSIMO P. N. Fr. PETRO MANERO, totius Seraphicæ Religionis Ministro Generali; sanctissimi Protoparentis Francisci vero successori, incolumitatem diuturnam, æternamquè fœlicitatem precamur.

H*AS de Angelica natura Lucubrationes in lucem edere cupienti, nil mihi opportunius, certiusquè animo occurrit, quàm illi eas Hæroi inscribere, quem, tanquam meridianum iubar Seraphica Religio Antesignanum agnoscit. Illico etenim animi mei deliberationi sese obtulit, & ingessit absque vlla omnino cunctatione vestræ dignitatis amplissima celsitudo multis de causis maximopere colenda, ac veneranda. Cui enim æquali iure consecretur, atque inscribatur libellus hic de Hierarchatu Angelico elaboratus, nisi ei viro, qui summa omnium consensione, communique calculo evectus est ad celsissimum Seraphicæ Reipublicæ Hierarchatum, atque eius exigētibus, proclamantibusquè meritis admissus est caput*

à supremo Ecclesiæ Romanæ capite in Vrbe Roma? Enim verò multa confluunt congruentissimè in vtrũque hierarchatũ haud dissimili fœdere innexa, quorum firmo, veroquè fundamento fuerit prorsus debita R. Paternitati vestræ huius præfecturæ dignitas amplissima. Angeli imprimis nomen est non naturæ, sed officij. Quantum autem congruat nostri Parentis meritissimi officium, eiusquè sedula, ac vigilans exercitatio cum functionibus Angelicis, antea, & post muneris impositam sibi ingẽtem molem, constabit revera, si rem perpendamus radicitus. Hierarchia, *vt placet Dionysio*, est ordo divinus, scientia, & actio, Deiforme, quantum est possibile: est similans, & ad inditas ei divinitus illuminationes proportionabiliter Dei similitudinem ascendens. Est rerum sacrarum, & rationabilium ordinata potestas, debitum in subditis obtinens principatum. *En nostri instituti Seraphici professio compendiolo quodam graphicè descripta. Huius autem sacri principatus caput in præsentiarum quale, quantumquè sit, vti suo corpori non absimile instar mõstri annectatur caput; expressit egregiè ad rem nostram Bernardus*, Spiritus est dis-

Cap. 3. de cœlesti hierarch.

Bernard. lib. 5. de cõsiderat. cap. 4.

diſpoſitus in dignitate, ab initio ſtans in ordine ſuo, mente purus, affectu benignus, religione pius, vnanimitate indiviſus, pace ſecurus, divinis laudibus, & obſequijs deditus. *Quàm verè, quàm congruenter quadrent in Parentem noſtrum hæc omnia Bernardi, hi penitus habent exploratum, cuius ſuauiſsimum convictum, ſocietatēquè iucundiſsimā experti ſunt ſumma cū animi admiratione, ac profectu nō exiguo. Sed hic iā incipit animus vereri, ne abutar modeſtia viri moderatiſsimi, qui laudes humanas aſpernatur, & abhorret cane peius, & angue; Sed* quantum ad me attinet, laborabo, vt orationē meam ad modeſtiam Principis, moderationemquè ſubmittam; nec minus conſiderabo, quid aures eius pati poſsint, quàm quid virtutibus debeatur. Magna, & inuſitata Principis gloria, cui gratias acturus, non tam vereor, ne me in laudibus parcum, quàm ne nimium putet. Hæc me cura, hæc difficultas ſola circumſtat.

Plinius ſecund. ad Trajan. circa init.

Stetit (*aiebat Bernardus*) in ordine ſuo *R. P. ab exordio profeſsionis eo ſpiritus fervore, vt vel in ipſo limine non candidatus perfectionis; ſed ipſa perfectione conſummatus, ma-*

gister potiùs appareret Fratribus, quàm discipulus, & tyro. Stetit in ordine suo procedentibus annis, summis laboribus constrictus, & virtuti comparandæ, ac perfectioni vlteriùs acquirendæ, & continuis studiorũ vigilijs, tam addiscendo, quàm docendo, egregiam, indefessamque operam impendens huic laboriosissimæ prouinciæ ea animi constantia, ac mentis conamine, vix vt credi possit, suffecisse vnum hominem tot incommodorũ põderibus supportandis. Verè stetit in ordine suo laborans, quasi remigando, qui nunquam sedit in requie, neque supersedit ab opere egregiè cõsummando. Quos autem fructus, quæ emolumenta hauserit ex diuturna, nocturnaque fatigatione, opera ipsa satis abundè, & eventus rerũ comprovarunt: Tempus autem brevissimo terminorum spatio circumscriptum non minus proclamat, Parentem nostrum consummatum in brevi explevisse tempora multa, *quibus coniunxit ea, quæ per se singula in paucis excellere videmus, paucisque contigisse. Trium annorum brevissimo curriculo hæc explevit munia laudatissimè, post Cœnobij, ac Collegij Cæsaraugustani præfecturas; à secretis Ministri Generalis, Aragonum*

gonum Provinciæ religiosissimæ Ministri Provincialis, Definitoris Generalis, Vice-Cōmissarij Generalis, ac tandem Ministri Generalis funtus est honoribus. Hæc autem officiorum multitudo intra brevissimam intercapedinem vni homini concessa, quid exprimat, & ostendat aliud, quàm in eum congessisse naturam eas vires efficacissimas, ea virtutum præclarissima adiumenta, quæ digessit, ac dispertita est in plures. Ergo à vero non erraverit, qui asseveret, in vno homine plures quasi imbibisse, compaginasseque naturæ architectum, & auctorem.

His autem excultus virtutum ornamentis vir iste præstantissimus, necesse erat, vt in ministerium generale mitteretur; omnes enim sunt administratorij spiritus, quibus vitæ excellentia, morumquè præstantia valdè assimulatus est: hoc autem propter nos, eiusdem sodalitij sectatores: Angeli etenim eò hominibus fragilis naturæ, imperfectæquè virtutis præficiuntur, ne stantes cadant, & cadentes adiuvant, vt resurgant: & sic patet, quòd hæc omnia sunt in beatis Angelis secundùm plus, & minus gradatim à superioribus descendendo

S. Bona. in Brevi-loq. 2. p. cap. 8. in fine.

vsque

vſque ad ima. Ordo autem denominari debet ab eo, quod excellentius accipit in munere. *Ordo igitur Seraphici P. N. Franciſci hoc caput, hunc miniſtrum, & debuit, & elegit, vtique* excellentiorem acceptum in munere, *qui anteiret omnes longiſsimo intervallo, & ſapientiæ conſummatæ prudentia ad familiæ latiſsima gubernacula, & virtutum ornamentis clariſsimis ad imitationis exẽplar non vulgare propoſitis, & charitatis Seraphicæ ardentiſsimis admotis facibus, quibus & ſtantes, qui ſemper in ordine ſtetit, veluti firmiſsimis fulcimentorum adminiculis, ſuſtentet, ne cadant; & ſi fortè cadant, adiubet, vt reſurgant. His de cauſis* mittuntur Angeli ad illuminandum noſtrum intellectum, & inflammandum noſtrum affectum, & ad conſolationem populi Dei, qui premebatur. *Ad illuminandum verò aliorum mentes, tenebraſquè depellendas ignorantiæ, ſingulari doctrina, exquiſitaquè prudentia opus eſſe, nemo dubitarit. At quanta, quàm præſtans, quàm ſolida, quàm profunda, doctrinæ copia, & eruditionis non vulgaris ſuppellex ditiſsima in mente inſederit R. P. Noſtri, teſtis oculata eſt Academia Cæſarauguſtana,*

D. Bona. in Centil. 3. part. ſect. 18. t.6.

3. Eſdræ 4.

gustana, testes verissimi, copiosi codices, egregijque commentarij manuscripti, è cathedrà dictati, quibus reconditissimos Scoti sensus, veluti illa Sphingis enigmata Oedipus oculatissimus enodavit, extricavit, eviscervit eo styli nitore, facilitate, acclaritate, quibus clarius, & illustrius excogitari, aut desiderari nihil valeat. Enim verò etsi magna sibi est gravissimorum negotiorum imposita moles, quam summa cum laude, & omnium admiratione sustinet; tamen in ipsa illa occupatione ita semet literarum tractatio delectat, vt & legat cum voluptate, quæ alij scripta reliquerunt, & scribat ipse, quæ à posteris cum admiratione perpetuò legentur. Mirum quidem, & omni laude dignissimum, virum innumeris; distentum curis, gravissimisquè fractum occupationibus ita diu, noctuquè incumbere studij fatigationi indefessæ, ac si penitus excusserit muneris impositi functionem: ita verò in hanc intendere toto conatu vires suas, vt neque moliri quidquã vltra, neque cogitare amplius, quod ad literariæ reipublicæ emolumentum conducat, videatur omnino.

Iam verò de prudentiæ laude, quæ pauco-

¶¶ rum

Bernard. de cõsider. Anton. Abb. in vita.

rum est virtus, teste Bernardo, & plus necessaria cæteris, vt placet Antonio, præcipuè aliorum Ministro, ac gubernatori quid referam? Hæc est aliarum virtutum, quæ in R. P. N. sunt multæ, quasi princeps, & regina quædam, vt in alijs neminem sibi anteponere, in hac ne conferre quidem possim. Nam de humilitate, de pietate, de iustitia, de liberalitate nihil dicam, quæ tamen ita notæ sunt, vt non qui eas laudet, assentator, & fallax; sed qui non laudet, & extollat, & invidus, aut hebes non immeritò existimetur.

His præclaris dotibus & à natura inditis, & labore, ac industria acquisitis non temerè egregia, & ardua molitur Parens N. magna enim sunt, quæ iam inchoavit; maiora tamen, quæ mente designat; nihil vulgare cogitat, nihil humile, nihil angustum: metitur omnia sua dignitate potiùs, quàm communibus exemplis, præclarè: non enim tanti viri laudes in mediocritate versantur, nec decet, qui potestate, & honore multis hominibus antecellat, eum ab vllo homine rectè agendi cupiditate, studioquè superari. Hæc autem omnia ab vno, ardentissimo charitatis spiritu, quæ vinculum

est

eſt perfectionis, mens, atque ratio cæterarum virtutum proficiſci, atque commoveri, pateſcit perſpicuè ex multis argumentis, quæ curſim perſtringemus, nulliquè ignota fuère his, cum quibus converſatus eſt R.P.N. familiari, frequentiquè convictu. Charitas etenim benigna eſt, Quod quidem nomen (*aiebat ad rem præſentem Plinius aptiſsimè*) qua benignitate, qua indulgentia exercet! Et cum civibus ſuis, quaſi cum liberis parens vivit, vt reverſus *Generalis* agnoſcit, agnoſcitur! Eoſdem nos eundem *R. P. V.* putamus: par omnibus, & hoc tantum cæteris maior, quo melior. Manet noſtro *R.* quæ prior humanitas: incedebat pedibus; incedit; lætabatur labore; lætatur: eadem omnia illa circa ſe: nihil ipſo ſe fortuna mutavit. *Charitas item non inflatur: proſequitur Plinius*: Non de Domino, ſed de parente loquimur. Vnum ille ſe ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod vnum ex nobis putat; nec minus hominem ſe, quàm hominibus præeſſe meminit. *Hæc Plinius de ſuo Trajano, an verè, an aſſentatoriè, alij iudicent; ad rem autem noſtram nihil verius, nihil aptius. In hac etenim dignitate cum alios antea, ſeipſum*

1. Cor. 13

ſum

ſum vincit omni genere laudis. Additus facilis ad ingreſſum negotiationis cauſa ſine perſonarum diſcrimine: egreſſus verò difficilis ob ſingularem affectionem, qua capiuntur ex conſortio ſermonis viri humaniſſimi, qualem, quantumque exoptavit, ac depinxit Protoparens N. Franciſcus. Quotidie admirabilior, ac melior; talis denique quales alij principes futuros ſe tantum pollicentur.

Plin. ad Trajan.

His de cauſis vir iſte ornatiſſimus ad Hierarchatum Seraphicum eſt electus ex millibus iure debito; ipſum crediderim egregijs coloribus apprimè depinxiſſe Gregorium Magnum loquentem de Angelico Hierarchatu his verbis. Sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiã electorum hominum merita tranſcendunt, cũque & bonis meliores ſint, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo iſti ſortem ſuã, niſi inter principatuum numerũ acceperunt? Et ſunt nonnulli, qui ſic in ſemetipſis, cũctis vitijs, omnibuſquè deſiderijs, & illecebris dominantur, vt ipſo iure munditiæ Dij inter homines vocẽtur. Quo ergo iſti, niſi inter numerum dominãtium currunt? Et ſunt nõnulli, qui dum ſibi met ipſis vigilanti cura dominantur, dum ſe ſolicita in-

intentione discutiunt, hoc in munere virtutis accipiunt, vt iudicare, & regere alios possint: in his, velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid ergo isti, nisi throni sui cõditoris sunt?

Imponat iam Plinius finẽ orationi. Quod præstabilius, aut pulchrius munus Deorum, quam castus, & sanctus, & Dijs simillimus Princeps? At si adhuc dubium fuisset, forte, casuque rectores terris, an aliquo numine darentur; principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum. *Ita equidem & credimus, & persuasum habemus de P. N. Vestram interim R. P. oro, & obsecro, hoc nostrũ munusculum, qualecumque illud, benigno, vt assolet, sinu foveat, hilarique mente excipiat sua præstantissima sapientia emendandum, ac perpoliendum. Meminerit, quæso, omnia nostra, sua esse iure debito; vt nostra multas incurrent labes, fœditates, ac nævos: vt vestra oculorum benignitatem, mentisquè propensionem allicere, & excitare debent. Det R. P. vestræ* ætatẽ Deus, quam meretur, servetquè animum, & amplificet, quem dedit, *& sibi, & nobis, & communi bono, atque emolumento Reipublicæ Christianæ.* Plin. ad Trajan.

R. P. vestræ deditissimus, & obsequentissimus filius

Fr. Christophorus Delgadillo.

Suma del Priuilegio.

TIene priuilegio el P. Fr. Christoval Delgadillo, Lector Iubilado, para imprimir vn Libro intitulado, *Secundum principium Complutense, seu Tractatus de Angelis in doctrina Scoti*, por espacio de diez años, como consta de su original, &c.

Suma de la Tassa.

TAssaron los señores del Consejo este Libro intitulado, *Secundum principium Complutense, seu Tractatus de Angelis in doctrina Scoti*, a quatro marauedis el pliego, como consta de su original.

Insigniores mendas sic corriges.

PAgina 16. col. 1. lin. 7. sibi qua, leg. sibique. Pag. 24. col. 1. lin. 1. si, leg. sibi. Pag. 30. col. 2. lin. vlt. vniversa, leg. vniuerso. Pag. 40. col. 2. lin. 19. soli, leg. solum. Pag. 41. col. 1. lin. 39. test, leg. potest. Pag. 43. col. 2. lin. 17. tamen, leg. deleatur. Pag. 45. col. 2. lin. 15. labavimus, leg. libavimus. Pag. 56. col. 2. lin. 1. aliausficit, leg. alia, sufficit. Pag. 62. col. 2. lin. 36. à nostris, leg. à nobis. Pag. 88. col. 2. lin. 29. in visibilibus, leg. invisibilibus. Pag. 152. col. 2. lin. 18. interiori, leg. intueri. Pag. 253. col. 1. lin. 33. Petrus, leg. Petrum. Pag. 259. col. 2. lin. 16. egressus, leg. aggressus. Pag. 298. col. 2. lin. 25. per se, leg. pro se. Pag. 311. col. 2. lin. 1. sicut, leg. sunt. Pag. 358. col. 1. lin. 36. Dei, leg. rei. Pag. 378. col. 1. lin. 19. minori, leg. maiori.

Dr. D. Franciscus Ignatius de Porres.

¶ El Ordinario dio licencia por lo que le toca: En Alcalà de Henares en dos de Iulio de 1651. años.

Facultas Ordinis.

FRater Gaspar de la Fuente, Lector Iubilatus, Supremæ Inquisitionis Qualificator, & huius almæ Castellæ Provinciæ Commissarius Provincialis, &c. Dilecto nobis in Christo P. Fr. Christophoro Delgadillo, Lectori Complutensi Iubilato, huius nostræ Provinciæ filio salutem in Domino sempiternam.

Præsentium exemplo tibi ad meritum salutaris obedientiæ facultatem elargimur, vt elaboratas à te, & de nostra commissione ab eruditis nostri Ordinis viris approbatas iam, Lucubrationes, quibus inscriptio est *Secundum principium Complutense, seu Tractatus de Angelis in doctrina Scoti*, vtpotè & publico totius Ecclesiæ emolumento, & Scoticæ Theologiæ Professoribus apprimè vtiles, ad Apostolicarum, Regij Senatus, ac nostrarum Constitutionū præscriptum, prælo

tradere

tradere posis, & valeas. Datis Compluti in nostro Cœnobio Sanctæ Mariæ à Iesu tertiodecimo Kalendas Iulij anni Domini M.DC.LI.

Fr. Gaspar de la Fuente
Commissarius Prouincialis.

De mandato suæ Paternitatis admodum Reverendæ.
Fr. Ioannes de Arroyo
Secretarius.

APPROBATIO.

EX Commissione Domini Doctoris D. Ioannis de Narbona, in hac celebri Curia Complutẽsi totius inclytæ Diœcesis Vicarij generalis, inque celeberrima Ecclesia Magistrali Canonici etiã meritissimi, *Tractatum Theologicum de Angelis*, quem Reuerẽdus admodum, ac Doctissimus Pater, *Frater Christophorus Delgadillo*, in suo ipsius Ordine Seraphico Lector emeritus, absolutissimè cõposuit, *cura, profectu, ac voluptate legi.* His meum de Auctore iudicium exprimo. *Sic, interdicta, dicenda seligit, vt, vtrumque dirimens, nec vero obsit, nec falso pariat.* Orthodoxæ, & moribus, qui, obsecro, *Liber* opponetur? Dignum sanè opus, quod sapientum Scholis, *tamquàm commune bonum*, è Republica cunctis excuda datur. Compluti vndecima die Mensis Iulij, Anni Domini 1651.

Doctor Ioannes Gonus Salius
de Castilla.
Primarius istbic S. Thomæ
Interpres.

PRÆFATIO OPERIS.

INdispensabilis lex, & huius Complutensis Academiæ obseruatissima consuetudo ab incunabulis fert, vt, qui Theologiæ Doctoratus lauro sunt coronandi, vniuersam Theologiam scholasticam, nec ignobilem partem moralis, necnon & Scripturæ sacræ in octo certamina (actus vocant) distributam publicè defendant. Datur tamen Athletis optio huius vel illius Doctoris sequendi opiniones, immo & permixtim modò vnius, modò alterius placita propugnandi. Hinc indefesso studio, & incredibili cura persudãt multi, vt Scholastici Laureandi ab ipso litterarum tyrocinio suorum authorum opinionibus imbuantur. Et quamvis nos Scotistæ, forte ipsiusmet doctrinæ, securitate, & veritate freti, ab huiusmodi anxietate semper supersederimus, nunc supersedeamus, immo, & numquam non supersedendum putemus; miramur tamen sæpissimè, quàm rasa fronte neotherici mul-

ti

ti Scoti opiniones (tanti Doctoris suppresso nomine callidè, vel saltem inscie) sibi arrogent, & tanquam à se excogitatas nostris Doctorandis defensandas tradant. Audebo enim post longam iam Complutensis scholæ concertationum assistentiam (viginti duorum annorum) asseuerare, ferè omnem philosophiam, & Theologiam, quæ communiter in hac Academia circumfertur, (si legitimos Thomistas excipias) & quam recentiores multi, callida Scoti irriminiscentia, sibi attribuunt, germanam esse Doctoris Subtilis mentem, proprios labores, & primos eius ingenij partus.

Zelo ergo ad oculum demonstrandi, Scoti doctrinam communiter ab hac vniuersitate confoueri, etsi eius nomen ab innumeris opinionibus callidè fuerit abrasum, Pater F. Franciscus Felix huius S. Didaci Complutensis Conuentus Guardianus, Prouinciæquè Definitor meritissimus, mecum olim Theologiæ Lector aggressus est totam Theologiam pro Doctoratus palma Complutensi more obtinenda Scoticè typis mandando propalare. Aggressus est, feliciter quidem, annuente ex corde nostra Castellæ Prouincia, & non solùm nostratum, sed & exterorum plausu; at vero morte præuentus rem tantam quasi in limine reliquit; etenim duobus tantùm prioribus certaminibus (Tentatiuam, & primum Principium appellant) Theologiam necessariam excudit. Desiderio autem flagrans Prouincia nostra, vt Complutensibus Athletis Laureandis Theologia necessaria in via Scoti sub compendiosa breuitate porrigatur, mihi iniungit, vt quod in votis habuit Pater Felix, nitar perducere ad effectum optatum.

Igitur obedientiæ succumbens à secundo principio (sic Complutenses inscribunt tertium certamen) rem istam aggredior, Scoti doctrinam acuratissimè traditurus; nullius verò Scotistæ scriptis coarctabor.

Stylum longiorem effugiam, breuiorem antepono, vti plerisque gratum; & tam exteris Doctorandis, quàm nostris tyronibus omninò necessarium. Euoluant alij nostros Theodorum Smising, Philippum Fabrum, Pilosum, & similes alios: ego enim horum stylum grauem quidem iudico, parum tamen tum Complutensibus Athletis, tùm nostris tyronibus accommodatum. Quare compẽdiosa breuitate tanti Doctoris mentem aperire, quàm maximè studebo; cui distinctionem, & claritatem, quantum mihi conceditur ex alto, nitar magistare.

APROBATIO ORDINIS.

NUNC primùm optavimus nos infrascripti Lectores huius almi Complutensis Sancti Didaci Lycæi auctorem aurei huius operis nostratem non esse; vt modestia non erubescente pro censura panegyricum; & pro iudicio elogia ei iure debita largiremur. Nec quod Sapientissimus pariter, & Religiosissimus Scriptor frater noster sit à veritate ista decantanda nos retardaret, talis enim est, qualis aiebat poetarum Princeps.

Vir bonus, & sapiens, qualem vix reperit vnum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Novit hoc toto celeberrima mundo hæc nostra Academia, quem toto sui lectoratus curriculo (cuius iam attigit metam) nunc propugnatorem validum; nunc oppugnatorem acerrimũ, & semper instituti Seraphici sectatorem observantissimum sæpiùs demirata est. Potiùs detineret Doctor Ecclesiæ maximus sic monens, *Cùm periculosum sit, & detrahentium latratibus patens, de eruditissimi viri opusculis iudicare*; Si R. admodum P. N. Fr. Gaspar de la Fuente iam dudum Lector emeritus; supremi fidei Senatus Censor; olim almæ huius Castellæ Provinciæ clavum meritissimè gerens, & nunc vices gerentis adimplens suo nos mandato non vrgeret, cui obtemperantes de hoc opere lecto, & perlecto sic sentimus. Hoc scriptum non minùs eruditione, sapientia, & claritate, quàm obiecto Angelicũ Subtilissimi Doctoris Theologorum Principis mentem, ita facilè adaperit, vt Scoti acutiem venustè adauctam in eo viderit, qui claritudinem eius rationum validitate fulcitam attenderit: omnibus insuper numeris concinnum tam longè abest ab orthodoxæ fidei, & Christianæ reipublicæ morum dissonantia, vt eis, Concilijs, & Patribus dulciter assonet, sapientibus, & minùs doctis vtilitati, & admirationi futurum. Qua propter non solum

dignum

dignum putamus, quod prælo mandetur, sed congruum dicimus, quòd Auctor vrgeatur, ne à doctissimis hisce elucubrationibus desistat; vt mirabilis eius doctrina in Religionis Seraphicæ decus, & commune commodum amplius indies, & sæpiùs patescat. Sic censemus in prædicto Complutensi lycæo postridie idus Iunij Anno á salute mundi 1651.

Fr. Michael Valles
Lector Iubilatus &
Diffinitor Provinciæ.

Fr. Ioannes Vallis Formosensis
Sacræ Theologiæ Iubilatus Lector.

Fr. Franciscus Pichon
Lector Complutensis Iubilatus.

Fr. Michael de Villaverde
Lector Theologiæ.

Fr. Franciscus de Montealegre
Lector Theologiæ.

RE-

REVERENDI ADMODUM, Sapientissimiquè Patris Fratris Thomæ de Arellano Parentis nostri Sanctissimi, atque dilectissimi Dominici Lectoris moralis Theologiæ Conventus S. Thomæ Matritensis huius operis censura.

Reverendi admodum Patris, simulquè sapientissimi Magistri Fatris Christophori Delgadillo, Ordinis Seraphici Patris nostri Sanctissimi Francisci Lecturę lauro iam in illo condecorati, & in Complutensi Vniuersitate Theologiæ professoris eximij, opus hoc de Angelis, (dixerim meliùs Angelicum) fœliciter evulgatur in lucem. Quod, vt meam proferam sententiam, Regis Senatui imperio, mihi traditur inspiciendum. Longa, prolixaque de hac materia extant à non infimæ notæ auctoribus, qui celeberrima laude fulsere disertissima conscripta volumina, nec enim omnibus datum est pictoribus, hominem de genere Giganteo, brevi, sed proprio delineare penicyllo: latam quippè, variamquè istius altissimæ (reconditæquè materiæ Angelorum supellectilem teste Dionysio de cœlesti Hierarchia) explicationis luce perfundere, & brevitate perstringere ingenium transcendit humanum. Quod cùm vndequaque verissimum sit, tali nihilominus noster auctor fœlicitate, & facilitate gaudet ingenij, vt quod Scriptores doctissimi latiùs plurimis codicibus ediderunt, brevi calamo collecta pandit, melioratáquè divulgat. Est ergo antiquorum labor (quod

(quod non sine laude dicitur) opus hoc, quando in vno corpore, diligentia tanti Magistri potuerunt sine confusione recondi, quæ in magna Bibliotheca vix poterunt inveniri: ita taliter, quod in hoc ipso maximè commendandum sit opus, quia id, quod apud illud alumnum est, melius ibi, quam vbi natum est audientibus videbitur resonare. Et cum brevitas pene semper obscura sit. Longus iste tractatus præ distinctione, & claritate videtur.

Hoc insuper in auctore nostro inter alia notatu dignum adverti, (quod passim inveniri, non erit facile) operis sui nitorem pulcritudinemquè, non ex alienæ fœditatis (vt fœminis assolet evenire) opprobrio revelato compactam: sed sibi Apostoli consilium, immo præceptum amplectendum sumpsit, vt sine offensione curramus. Gloria Patris Filius sapiens: glorietur ergo Subtilis Doctor in filio, doctrinæ suæ interprete fidelissimo, & opus hoc vltima manu attactum, & omnibus numeris absolutum, de Regalis Senatus Licentia mandetur prælo, vt generale fiat gaudium, quod potuit esse votivum. Sic sentio. In Conventu S. Thomæ Matritensis Ordinis Prædicatorum 15. die Augusti Anni 1651.

Fr. Thomas de Arellano.

TRACTATVS DE ANGELIS, SEV SECVNDVM PRINCIPIVM COMPLVTENSE IN DOCTRINA SCOTI.

PROOEMIVM.

1 HÆC vox Græca *Angelus* primæua sui impositione significat nuntiũ seu illam personã, quæ ad aliquid nuntiãdũ mittitur. Et ideo iuxta primæuã sui significationẽ vocabulũ *Angelus*, non est nomen naturæ, sed officij: vt cum D. Gregorio *hom.* 34. *in Euang.* & cum aliquibus alijs Patribus notant, communiter, præsertim *Suar. in proœmio ad tractatum de Angelis, Vazq. tomo* 2. *in* 1. *p. disp.* 178. *c.* 1. *n.* 1. *& noster Angelus Vulpes à Monte Piloso tomo* 1. *partis.* 2. *disp.* 8. *art.* 1, *num.* 3. In hoc sensu homines solent vocari Angeli. vt Ioannes Baptista *Malachiæ* 3 *Ecce ego mitto Angelum meum*: vt Christus Dominus exposuit *Matth.* 11. eo quòd à Deo missus fuerit ad annuntiandum aduentum Redemptoris. Item Sacerdotes, & Episcopi vocantur Angeli *Apocalypsis* 1. *septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*, & alibi sæpe: quia mittuntur à Deo ad annuntiandum peccata populo, vt agant pœnitẽtiam, & legem Dei, vt illam custodiant. Insuper in hoc sensu Hierony. *Epist.* 150. *ad Algas. q.* 5. dixit, Apostolos vocari Angelos: idemque de

Prophetis dixit Ambros. *super ad Gal.* 3. sic etiã Aug. 2. *de Trin. cap.* 13. dicit, nomen Angeli interdũ Verbo incarnato attribui, vt *Isaiæ* 9. *Magni consilij Angelus, & Malachiæ* 3. dicitur *Angelus testamenti*. Et addit, posse etiam de Spiritu Sancto dici; quia de illo dictum est: *quæ ventura sunt, annunciabit vobis, Ioan.* 16. Pater autem nõ dicitur Angelus: quia non mittitur: vt notauit Isid. *lib.* 7. *Ori. c.* 3

2 Igitur quamvis vox *Angelus* in primæua, & ampla sui impositione cõprehendat quãcũq; personã, quæ ad aliquid nũtiãdũ mittitur, siue sit creata, siue increata, siue spiritualis, siue corporalis. Theologi tamen restringunt prædictam vocem ad significandum quasdam creaturas, seu personas spirituales hominibus superiores, pulchriores, & excellentiores: easque Aristotelici, & Peripatetici vocant *substantias separatas*, seu *intelligentias*, Platonici autem distinguunt inter Angelos: & bonos vocãt *dæmones*; malos vero *cacodæmones*; id est, malos dæmones. Theologi tamẽ etsi fateantur, esse bonos, & malos Angelos, frequenter restringunt vocem *Angelus* ad significandos bonos; malos enim appellant dæmones; quãvis in præsenti tractatu vtrosque comprehendant.

3 De Angelis: ergo sumptis pro spiritibus creatis, seu personis spiritualibus homine superioribus Scriptura Sacra sæpe mentionem facit. *Ps.* 103. *Qui facit Angelos suos Spiritus: & ad Hebræos* 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi: & Matth.* 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris: & secundæ Petri secundo Angelis peccantibus non pepercit Deus: & Matth.* 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Ex quibus locis constat, non solùm quòd Scriptura Sacra meminit Angelorum; sed etiam quod distinguit bonos, & malos.

4 Ex Patribus autẽ primus omnium ex professo scripsit de Angelis D. Dion. *lib. de cœlesti Hierarchia, & de diuinis nominibus.* (quos libros suppono esse D. Dionysij, quamuis hoc audacter negent Erasmus & alij; & quamuis immeritò dubitet Caietanus) Scripserunt etiã D. Greg. Aug. Bern. & multi alij videndi apud Suar. *in procemio ad tractatum de Angelis.*

5 Tractant de Angelis Theologi. Distinctionistæ cum Magistro *in* 2. *sent. a dist.* 2. *vsque ad* 12. vbi Scotus & Scotistæ. Thomistæ autem cum Angelico Præceptore 1. *p. à quæst.* 50. *vsque ad* 64. Disputãt etiam de Angelis multi alij in diuersis tractatibus videndis apud recentiores. Meritò autem Theologi agunt de Angelis: quia ad ipsos spectat tractare de his, quæ in Scriptura reuelantur. De eisdem vero Angelis tractat Metaphysicus, quatenus

nus ſunt quædam entia, quæ abſtrahunt à materia ſenſibili ſub qua conſideratione de Angelis agit Ariſt. *lib.* 12. *Metaph.* vbi eos vocat *intelligentias*. Et Plato interdum eos appellat *Deos ſecũdarios*, interdũque *ſpecies ſeparatas*. Tractat etiam Philoſophus naturalis ſub habitudine ad ſenſibilẽ motum corporis cœleſtis. Et ita de Angelis ſub ratione cœleſtium motorum, ſeu quatenus movẽt orbes cœleſtes, agit Ariſt *lib.* 8. *Phyſ.* & Plato aliquando Angelos vocat *animas cœlorum, & Aſtrorum* propter eamdem cõſiderationem.

6 Angeli ergo ſumpti pro ſpiritibus ſeu perſonis ſpiritualibus creatis homine ſuperioribus ſunt obiectũ, ſeu materia huius tractatus. Et cũ Theologi (præſertim noſtræ ætatis) res ſeu materias diſputent, nõ purè Theologicè, ſed ſimul metaphyſicè inveſtigando earum naturas, & naturales affectiones; ideo finis, ſeu ſcopus huius tractatus eſt cõprehendere ſeu adæquatè cognoſcere eſſentiã, ſeu naturã Angelorum; (quatenus vox *Angelus* ſe extendit ad bonos, & malos) & omnia illa tam naturalia, quàm gratuita, & ſupernaturalia, quæ eis attribuuntur.

7 Morem autem Patris Felix imitatus hunc tractatũ, ſicut, & reliquos omnes ſuperſtites, per capita diſtribuã; capita verò in difficultates varias diſſecabo. Et cum naturalia ſint priora gratuitis, aut ſupernaturalibus, ac his, quæ Angelis in ſuo eſſe naturali conſideratis competunt ſumimus diſputationis exordium.

CAPVT I.

De Angelorum exiſtentia

DIFFICVLTAS I.

Qua certitudine gaudeat, Angelos exiſtere?

1 RESpondetur eſſe de fide certũ exiſtere Angelos, tam bonos, ſeu beatos, quàm malos ſeu reprobos. Quia ſic expreſſè continetur in Scriptura: vt cõſtat ex locis adductis *in proœmio n.* 3. Hanc veritatem negaret Atheiſmus: cũ enim neget, Deum eſſe, aut exiſtere; conſequenter negabit Angelorũ exiſtẽtiam: putabat ſi quidẽ nihil, præter hæc corporalia, & hominẽ eſſe in hoc mũdo. Inſuper nonnulli Philoſophorũ; necnon, & Saducæi negarũt exiſtentiam Angelorum: etenim Saducæi *Actorum* 23. dicebant, neque eſſe Angelum, neque ſpiritum: & ideo reſurrectionem quoque negabãt. Hi tamen omnes, non ſolùm errant in fide; ſed neque aliquam adducunt apparentem rationem.

DVBIVM I.

2 PEtes, an Angelos existere sit naturaliter demonstrabile? Respondetur negatiuè. Quia nō à priori: cùm supposita omnipotentia Dei, & non repugnantia ex parte Angeli nulla alia causa existentiæ Angelorum sit nisi libera voluntas Dei: stando autem in ratione naturali, convinci nō potest, Deum voluisse dare Angelis existentiam. Insuper nequit demonstrari à posteriori: nullus enim effectus demonstrat Angelorum existentiam. Hanc conclusionem expressè defendit noster Vulpes *disp.* 8. *de Angelis artic.* 1. *n.* 5. eamque. Videtur defendere Vazq. *1. 2. in 1. part. disp.* 178. *c.* 1. *n.* 2. quatenus affirmat, rationes physicas, quas D. Th. 2. *contra gentes c.* 46. adducit ad probandum existentiam Angelorū, rem congruè suadere, non tamē illam planè demonstrare.

3 Oppositum huius defendit Suar. *disp.* 35. *Metaph. sect.* 1. *n.* 5. cùm aliis, & præcipuè cum Aristot. & eius Cōmentatore Auerroe qui 12. *Metaph. tex. & cōmēto* 41. expressè docuerūt, Deū mouere cœlos, nō immediatè, sed mediis intelligētiis propriis orbiū motricibus, quas intelligentiās seu substantias immateriales nos Catholici Angelos appellamus. Resp. nos non negare hanc fuisse mentē Philosophi, & illius Cōmentatoris: quā veritatē seu Angelorum existentiam, nos etiam cum Scriptura, & Patribus fatemur. Dicimus tamen per rationem naturalem, non posse demonstrari.

4 Sed contra, quòd Arist. à posteriòri per effectū sensibilem, qualis est motus Astrorū, naturaliter demōstravit; dari intelligentias, seu Angelos. Respōd. ex motibus cœlorum, non demōstrari existentiam intelligentiarum, seu Angelorū quia possent moveri immediatè à Deo. Secūdò; quia possent moveri ab intrinseca inclinatione: sicut moventur gravia, & levia versus cētriū: vt nos Scotistæ defendimus cum Scoto *in* 2. *d.* 2. *quæst.* 10. §. *Concedo. vers. Patet etiam.* Vnde constat, ex motu cœlorum non colligi existentiam Angelorum per necessariam cōsequentiam; immo neque per rationem satis probabilem. Dices; per hoc minui authoritatem Arist. Resp. nos non iurare in verba Aristot. sed laboramus pro defendenda veritate etiam contra Philosophorum authoritatem.

5 Sed ad probādū Deū nō posse immediatè cœlos movere, (& cōsequēter ponēdas esse necessariò intelligētias cœlorū motrices: quas nos Angelos appelamus) obiicies ex Arist. Deus est infinitæ virtutis: ergo necessariò agit in instāti: ergo motus cœlorum, qui est successiuus, non potest esse ab illo immediatè.

Ref-

Respond. Negando consequentias: quia, cum Deus agat liberè; quidquid operatur ad extra, potest producere successiuè, aut instantaneè. Nec obstat, quòd Philosophi communiter concordant in hoc, quod prima causa naturaliter, & necessariò causat primum causatum, teste Scoto *in 1. dist. 8 quæst. 5. § & vers. Contra istum*. Hoc, inquam, non obstat. quia Scriptura docet oppositum *ad Ephes. 1. omnia operatur secundum consilium suæ voluntatis*. Et alibi. Immo ratio naturalis hoc etiã conuincit: cùm enim Deus sit supremus omnium creaturarum Dominus; omnes illas debet liberè producere, conseruare, & administrare. Insuper cum in rebus creatis reperiatur contingentia, infertur sanè, etiam primam causam liberè seu contingenter operari ad extra. Hinc Scotus *in 2. dist. 1. quæst. 3. §. Tenente istam vers. Ad illud quod adducitur de Philosophis* admittit quod illi *multas contradictiones latentes concesserunt: sicut negauerunt communiter esse aliquod primum principium contingenter causans; sed dixerunt primam causam esse necessario causantẽ, & tamen dixerunt contingentiam esse in rebus, & aliqua contingenter fieri. Sed contradictionẽ includit, aliquid contingenter fieri in entibus, & primam causam necessario causare.*

6 Sed ad idem probandum (scilicet non posse Deum immediatè mouere cœlos, obijcies 2. ex Arist. motus est effectus imperfectissimus: ergo nequit immediatè procedere à Deo. Respond. negando consequentiam: quia etsi motus comparatus ad alia entia sit imperfectior; in suo tamen esse est completè perfectus, id est, nihil perfectionis sibi debitæ ei deficit. Quòd autem Deus motui, non tribuat maiorem perfectionem, reducẽdum est nõ in defectum virtutis Dei, sed in incapacitatem naturæ ipsius motus, qui non est capax amplioris perfectionis. Sicut quòd parua amphora non habeat tantum liquorem; sicut habet magna, reducitur ad paruã eius capacitatem; nõ autem ad impotentiam fluminis; aut fontis; vnde liquor sumitur.

7 Obiicies 3. ex Arist. successiuè agere procedit ex limitatione, & imperfectione virtutis agentis: sed corpora cœlestia nequeunt aliter quam successiuè moueri: ergo Deus nequit motũ cœlorum causare immediatè & per se. Respond distinguendo maiorem: est enim vera de illo, qui successiuè operatur ex necessitate: tunc enim ille modus operandi infert limitationẽ potentiæ, & virtutis saltem in modo operandi. Est autem falsa propositio illa de eo, qui successiuè operatur ex libertate. Resp. secundò aliter distinguendo cãdem maiorẽ; etenim solùm est vera loquendo de agibili, quod

poteſt fieri in inſtanti: falſa autem defactibili, quod nequit aliter, quàm ſucceſsiuè fieri. Itaque agere ſucceſsiuè, & neceſſariò id, quod poteſt fieri in inſtanti, arguit limitationem potentiæ ſeu virtutis operantis ſecus autem quando id, quod fit, neceſſariò poſtulat fieri ſucceſsiuè; aut, ſi non poſtulat fieri ſucceſsiuè, fit tamen ſucceſsiuè ex libera voluntate operantis.

8 Hucuſque vidimus, & ſcluimus illa, quæ Ariſtoteles adducit ad probandum, naturaliter poſſe oſtendi Angelorum exiſtētiam: videamus iam quomodo idem probat Suarez, qui idem defendit: vt *num.* 3. dicebamus) obijcit ergo D. Thom. 1. *p. quæſt.* 50. *art.* 1. Ad perfectionem vniuerſi pertinet, vt in eo ſint gradus ſubſtantiarum prorſus immaterialiū; Sed Deus condidit hunc mundum perfectum: ergo reperiuntur in eo huiuſmodi ſubſtantiæ. Probat maiorem: ad perfectionem effectus pertinet vt ſit cauſæ perfectæ ſimilis: ergo ad perfectionē vniuerſi ſpectat, vt ſimilis Deo exiſtat. Reſpondetur, hanc rationem eſſe quidē probabilem perſuaſionem, non autem demonſtrationem exiſtentiæ Angelorum. Etenim maior propoſitio nō eſt nota ex terminis, ſed dubia, poteſtque probabiliter negari. Ad probationem dicimus, quod, ſi eſſet vera, inferretur ex ipſa, etiam exigere perfectionem vniuerſi, vt in eo ſint ſubſtantiæ omnino æternæ à parte poſt, & à parte antè; formaliter infinitæ; naturaliter beatæ, &c. Siquidem Deus omnia iſta attributa habet: Quare ſi attributum immaterialitatis Dei ſtatū creaturæ non excedit, & hoc euidenter demonſtrat ratio naturalis, demonſtrabit etiam nec alia attributa illum ſuperare. Igitur ad ſaluandum perfectionem vniuerſi ſufficit, dari in rebus ſubſtantiam omnino immaterialem diuinam; neque eſt neceſſarium, hanc ſubſtantiam eſſe aliquem effectum à Deo productum. Aut ſufficit, dari ſubſtantias intellectuales, ſicut homo, in quo eſt gradus ſpiritualitatis, etſi corpori immerſus.

9 Arguit etiam Suarez. Naturali lumine diuiditur ſubſtantia prædicamentalis in corporeā, & incorporeā, ſeu in materialē, & ſpiritualē. Sed datur ſubſtantia purè corporea, ſeu materialis; ergo dari debet ſubſtantia purè incorporea, & immaterialis. Reſp. hoc argumentū oſtendere poſsibilitatē, non factū: cū prædicamenta abſtrahant ab actuali exiſtentia. Reſp ſecundò negando maiorē: etenim ſolùm eſt lumine naturali notum, ſubſtantiam tranſcendentalem, ſeu quæ ſe extendit ad Deū, & creaturas, diuidi in corpoream, & incorporeā: & ideo hæc diuiſio re

ci-

ciprocabitur cum diuisione entis in infinitū, & finitū, creatum, & increatum. Et ratio est, quòd lumen naturale attingit existere Deum, esseque incorporeū: attingit etiā per experientiam existere hominem, aliasque substātias corporeas: & ideo meritò diuidit substantiā, quæ transcēdit Deū, & creaturas in corporeā, & incorporeā: sicut diuidit ens in finitum, & infinitū; creatū, & increatum, ex eo quod naturali lumine attingit existentiam vtriusque.

10 Denique obijciūt alij: homines, qui à dœmone arripiuntur, operantur effectus supra suā facultatem: ergo ex illis effectibus euidenter deducitur existentia alicuius Angeli, à quo tales effectus fiunt. Antecedens constat: aliquando enim, etiam si sint ignari, locūtur diuersa idiomata; etiamsi sint debiles, mouent improportionatam molem; velocissimè currunt, &c. Resp. negando consequentiam: siquidē, si effectus illi non sunt mali; possunt tribui Deo specialiter, & immediatè mouente prædictos energumenos: si autem effectus illi sint mali, (vt blasphemiæ, periuria, &c.) potius tribuerentur (si standum esset solùm rationi naturali) animabus separatis dānatis. Instabis, quod naturali ratione non potest demonstrari immortalitas animæ rationalis; vt docet Scot. *in 4. d. 43. q. 2. §* & V. *Potest dici*: ergo sequendo rationem naturalē praui effectus energumenorum (blasphemiæ, &c.) non possunt attribui animabus separatis damnatorum: ergo necessario ex eis colligitur existentia Angeli mali. Resp. negando vltimam consequentiam: quia sequendo rationem naturalem solū inferremus, esse aliquā causam illorum effectuum; ignoraremus tamē, quænam illa esset.

DVBIVM II.

10 PEtes secundo. Vtrùm possit naturaliter ostendi possibile esse Angelum existere? Respond. affirmatiuè cū Scot. *quodl. 7. §. Ad primum argumentū. Vers. Dico ergo, & Suar. disp. 35. Metaph. sect. 1. n. 4.* Quia nō repugnat ex parte Angeli: nulla siquidem repugnantia apparet in hoc, quod aliqua creatura sit purè spiritualis. Item non repugnat ex parte Dei: quia eius virtus effectiua seu omnipotentia se extendit ad producendum quidquid produci non repugnat: Hac ratione conuincitur, posse naturali ratione ostendi esse possibilem existentiā Angelorū, supposito, quòd Angelus nō habeat esse à se, sed à Deo sit illud recepturus.

11 Tamen inter antiquos Philosophos hoc non erat certum: immo sunt, qui existiment (teste Scoto ibi *vers. Dictum 2*) dixisse Arist. omnem intelligentiā esse

esse simpliciter à se: & consequenter nullo modo erit possibile recipere esse ab alio. Alij dixerunt (teste eodem Scoto ibi *vers. Dicitur etiam*: & Marginistæ Scoti citāt Henriq *quodl. 6. q. 14*) quod Arist. posuit intelligentiā esse infinitā: & consequēter à se. Hinc constat, quòd quando antiqui quærebant, an ratione naturali sit demonstrabilis existentia Angeli? Seu, an Angelus sit causabilis? non supponebant esse creaturam; sicut supponit Suarez, & probatiò nostræ conclusionis *num.* 10. allata. Immo in hoc erat tota controuersia, & diuersitas opinionum: Angelicus enim Doctor *1. p. q. 66. art.* 2. (vt citant Margēnistæ Scoti ibi ad vers. *De ista autem*) dicit, quod hæc propositio *Angelus est causabilis*, seu *potest recipere existentiam ab alio*, tantum est credita, & non demonstrabilis; teste Scoto ibi. Ipse tamen vers. *Dico ergo* affirmat, quòd est demonstrabilis.

12 Et probat sic: *non possunt esse duæ naturæ intellectuales simpliciter infinitæ. Sed quæcumque natura intellectualis, si est à se, siue incausata, ipsa est simpliciter infinita: ergo non possunt esse plures naturæ intellectuales simpliciter incausatæ*. Subsumit Scotus, *Sed prima est incausata: alioquin non esset prima: ergo quælibet alia est causata*. Angelus ergo non potest habere existentiam incausatam seu à se. Minor constat instantia Dei: qui ideo est infinitus quia est à se, vel saltem in eo adunantur seu identificantur esse à se, & esse infinitum. Maiorem multis rationibus probat Scotus *in 1. d. 2. quæst. 3.* Sufficiat nunc ista probatio: in illa hypothesi vtraque alteram summè intelligeret, & vellet: & consequenter beatificaretur in se adæquatè, & in altera etiam adæquatè: atque adeò beatificaretur in se, & non in se. Patet; quia destructo suo intelligere, & suo velle, quantum ad terminationem ad se, maneret beata in se, quia adæquatè tangit obiectum simpliciter infinitum. Nempe aliam naturam. Insuper sine attingentia illius alterius naturæ maneret beata in se per attingentiam sui ipsius: ergo beatificaretur in se, & non in se.

13 Sed contra istam vltimā conclusionem Scoti (nempe esse demonstrabile, quòd Angelus est causabilis, seu non potest habere existentiam à se) obijcit sibi Scotus *in 1. d. 2. quæst. 3. §. In ista quæstione*, quòd hæc veritas *tantū est vnus Deus*: (& consequēter Angelus non habet existentiam à se) accepta est per fidē: vt testatur Rabi Moyses *lib. 2. cap. 6.* ergo non est demonstrabilis. Respond. ex Scoto ibi §. *& vers. Ad illa* negando consequentiam: quia existentia Dei tradita est per fidem *Exod. 3. Ego sum, qui sum: & ad Hebræos 11. Accedentem ad Deum*

opor-

oportet credere, quia est: & tamen nō negatur, posse demonstrari, Deū esse seu existere: *pari ergo ratione negandum non est posse demonstrari Deum esse vnum*: & consequenter Angelum non habere esse seu existentiam à se) *licet acceptum sit à lege*: concludit Scotus; & subdit hanc pulchram doctrinam respondendo ad hanc tacitam obiectionē: superfluè traditur per auctoritatē aut fidem id, quod potest ratione ostendi: *Illa etiam, quæ possunt demonstrari, vtile est communitati tradi per viam auctoritatis: & propter negligentiam communitatis in inquirendo veritatem, & propter impotentiam intellectus; & propter errores inquirentium per demonstrationem: quia veritatibus suis multa falsa permiscent: vt dicit* August. 18. *de ciuit. Dei*.

14. Obijcit secundò Scotus: *si per rationem naturalem posset cognosci Deum esse vnicum*: (& consequēter Angelum non habere existentiam a se) *ergo posset naturaliter cognosci Deum ex se esse singularem: ergo posset cognosci naturaliter singularitas Dei, & essentia Dei, vt singularis*. Respond. concedendo etiam secundam consequentiam de cognitione; quoad an est? Immo, & de cognitione quoad quid est? Abstractiua, & discursiua, negando tamen illā de cognitione quoad quid est? Intuitiua. Itaque naturaliter seu viribus naturæ potest cognosci, Deū existere, & quòd est singularis; necnō, & abstractiuè, & per discursum posse: fortè cognosci, eius essentiam consistere in hoc, quod sit quoddā vnum ens primum; aut infinitū, aut bonum &c. Nequit tamen viribus naturæ aut vi intellectiuæ potentiæ naturalis acquiri intuitiua cognitio essentiæ Dei, aut singularitatis illius: immo neque potest naturaliter adquiri species quidditatiuè repræsentās Deum, aut singularitatem illius.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum omnes Angeli receperint esse seu existentiam à Deo immediatè?

1 Respondetur affirmatiuè. Quia omnes sunt purè spiritus (vt suppono. *ex cap. 2. diff. 1.*) ergo omnes habent esse per creationem: ergo illud esse recipiunt à solo Deo: nulla enim creatura habere potest virtutem producendi aliquid ex nihilo, seu creandi: vt suppono cum Scoto *in 4. d. 1. quæst. 1. §. & vers. In illa quæstione*, & cum communissima Theologorum sentētia.

2. Sed Auic. 9. *Met. cap.* 4 teste Scoto nuper citato §. *& vers. Pro parte opposita* affirmat, nō omnes Angelos, aut intelligentias fuisse immediatè productas à Deo: existimat enim, secundam in-

intelligentiam immediate fuisse productam à Deo; secundam autem produxisse tertiam, tertiam quartam, & sic deinceps. Cum ergo constet ex ipso Auic. 6. *Metaph.* quòd productio cuiuscũq; intelligentiæ sit ex nihilo, seu creatio: duo planè constant ex eius sententia: Primum est, quòd aliqua creatura potest creare. Secundum, quòd non omnes intelligentiæ, seu Angeli habent existentiam immediatè à Deo. Pro hac ergo sententia, & cõtra nostram conclusionẽ arguitur sic: à causa omnino vna solũ potest immediatè esse vnicus effectus: ergo Deus immediatè solũ produxit primum Angelum. Probatur antecedẽs: quia si ab eadem causa possent immediatè produci plures effectus, tales effectus, non distinguerẽtur inter se. Respond. cum Scoto *ibi* §. *&* *vers.* *Ad rationes*: Negando antecedens: est enim evidenter falsum in rebus materialibus: si quidẽ vnus ignis v. g. multos producit immediatè. Sed quoniã multi Philosophi, & adhuc nunc aliqui Scholastici existimãt, distinctionem numericã sumi à materia, non est instãdum ad probandũ, illud antecedens esse falsum, in rebus materialibus: cum enim in istis distinctio numerica sumatur à materia, dicunt consequẽter, non esse inconveniens, quòd in rebus materialibus ab eodem principio, aut causa plures effectus procedãt immediatè: distinguuntur enim numericè per suas materias. In rebus autem spiritualibus cùm distinctio numerica, non sumatur à materia, quia carent illa, recurrendum est (inquiunt) ad causam: quare concludunt, ab vnico principio, aut causa solũ posse immediatè produci vnicum effectum. Tamen illud antecedens etiã est falsum in rebus spiritualibus: vt enim bene vidit Scotus ibi, *sufficit in agente per intellectum, & voluntatem distinctio cognitorum, sivè distincta cognitio plurium, ad hoc, quod plura immediate producantur ab ipso.*

3 Obijcit etiam Scotus pro opinione Auicenæ illud Philosophi. 1. *Met.* *perfectum est vnũquodq; cum potest producere sibi simile.* Vnde sic argumentor. Angelus est perfectior homine. Sed in homine est perfectio producere sibi simile: ergo & in Angelo: ergo Angelus producit alium Angelum. Resp. Philosophũ loqui de perfectione non simpliciter, sed secundùm quid dicta. Dicitur habere perfectionem simpliciter (quoad præsens attinet) illud indiuiduum, quod in se habet perpetuitatem; & ideo ad suæ naturæ conseruationẽ, non eget alio indiuiduo. Illud vero indiuiduũ dicitur habere perfectionẽ secũdum quid dictam, quod habet perfectionẽ ordinatã ad supplẽdum imperfectionem naturæ in vno indiuiduo perpetuitatẽ, nõ he-

habentis, & ideo indigentis multis indiuiduis. Ad rē ergo; Aristoteles loquitur ibi, non de perfectione simpliciter, sed de perfectione secūdum quid: & de ista est vera minor; falsa autē de perfectione simpliciter. Et ideo in forma respondetur concedendo maiorem; & distinguendo minorem istā; (*in homine est perfectio producere sibi simile*) est perfectio simpliciter, nego: secundùm quid, concedo: & nego cōsequentias.

4 Contra: hæc perfectio producendi sibi simile reperitur in Deo ad intra: Pater enim producit Filium, & Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum: ergo producere sibi simile est perfectio simpliciter, & non secundū quid: Resp. distinguendo antecedens: communicando eādem numero naturam, concedo: cū diuisione naturæ, aut multiplicatione illius, nego. Similer distingo consequens: est enim perfectio simpliciter producere simile cum communicatione eiusdē naturæ singularis: & hęc communicatio reperitur in Deo. Est autem perfectio solùm secundùm quid producere sibi simile cum diuisione, aut multiplicatione naturæ indiuiduæ: & hæc solùm reperitur in creaturis: propter limitationē enim suam non possunt producere sibi simile communicando eamdem numero naturam.

DVBIVM I.

5 PEtes, an ratione naturali possit efficaciter ostendi, omnes Angelos recepisse esse seu existentiam à Deo immediatè? Resp. negatiuè. Quia nō est omnino certū esse purè spiritus: (vt patebit *cap. 2. diff. 1.*) si autem habent aliquam materiā, potuerunt habere esse per generationem omnes alij à primo: (quem supponendum est à Deo immediate recepisse existentiam) & consequenter non erit necessarium, quòd recipiat esse per creationē. Præterea adhuc statuto, quod omnes Angeli sint purè Spiritus, & debeant recipere esse per creationem; (vt mihi est certum) tamen non est omnino certum, posse probari ratione, creaturam, non esse creatiuam, seu non posse creare. Quamvis enim Scotus *in 4. dist. 1. q. 1. §. & vers. Ideo*, dicat probari per rationem, *quòd creatura non potest creare principaliter*. Tamē fortè non cōuincunt rationes ab ipso allatæ, nec vllæ aliæ: vt benè obseruat noster Hugo Cauellus ibi in scholio ad *vers. Dico etiā*, addens quòd communis Patrum sententia soli Deo reseruat creationem. Pro qua citat Cyril. Athan. Aug. Basil. Prosperum, & Damasc. necnon, & multos Scholasticos idē affirmantes contra Suar. qui 3. *p. t. 1. disp. 31. sect. 8.* affirmat, creaturam posse assumi, vt instrumentum

tum creationis. Insuper Scotus ibi §. *Ad rationes, vers. Ad propositũ,* refert sententiam Varronis sui Magistri docentis, non posse cõvinci per rationẽ, quòd creatura non possit creare; sed solum teneri fide, scilicet propter auctoritatem Sanctorũ. Ex quibus cõstat, quod adhuc statuto, Angelos recepturos existẽtiã per creationem; non potest efficaci ratione ostendi, omnes Angelos fuisse immediate creatos à Deo. Cũ enim sit sub opinione positũ, an creatura possit creare? Posset quis cũ Auicena philosophando dicere, primum Angelum (quẽ ipse vocabat secundam intelligentiam) fuisse immediatè à Deo productum; non autem reliquos alios. Quod quamuis sit falsum; ægrè tamen probaretur oppositum; si tantum foret standum rationi naturali.

DIFFICVLTAS III.

An Angeli creati fuerint ante mundum corporeum?

1 SVppono primò, Angelos non fuisse creatos ab æterno. Quia *Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Ly autem *in principio* de principio durationis intelligunt communiter; præsertim Glossa, & Augustinus: vt notat Scotus *in Reportatis in 2. d. 1. quæst. 4. in principio.* Item ibi comprehendi creationem Angelorum, tamquam partes nobilissimas huius mundi sensibilis, (saltem quatenus aliqui Angeli sensibiliter quoad nos mouent orbes cœlestes) fatentur communiter Auctores. In hoc supposito cõspirãt Theologi contra Aristotelem, & alios Philosophos, qui dixerunt mundũ fuisse ab æterno. Dices, quòd D. Basilius apud Vazq. *disp. 224. cap. 1. num. 4.* Videtur oppositum docere dicens. *Erat quidem vetustior quidam mundi generatione status supermundanis potentijs conueniens, supertemporalis, æternus, sempiternus, &c.* Respondetur, sensisse Basiliũ cum multis alijs Patribus, (vt dicã *num. 5*) Angelos fuisse creatos ante mundum istum; & consequenter ante motum cœlorũ, quem appellamus tempus: ante tẽpus enim imaginamur quoddam interuallum durationis, quod concipimus ad modum temporis fluentis. In hoc ergo dicit Basilius, Angelos fuisse; nõ autem sine principio, aut ab æterno: illudque tempus imaginarium vocat statum æternum tempore, & generatione vetustiorem. Et merito, quia ab æterno tale interuallum, aut tempus imaginarium possumus considerare.

2 Suppono secundo, Angelos non fuisse creatos post creationem sensibilium. Quia *Iob 42* Be-

Behemoth, seu Lucifer dicitur initium viarum Dei, hoc est, primus operum Dei: quia ipse ante omnia alia opera, vel saltē nullum aliud opus ante ipsum fuit fabricatum. Hocque aliqua liter exposcit eius dignitas, & excellentia. Quæ congruentia etiam tenet in omnibus alijs Angelis comparatis ad omnes alias res visibiles huius mundi. In hoc supposito etiam conspirant omnes ferè Patres, & Scholastici contra Gennadiū *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap.* 10. (Sunt qui contendant, nō rectè citari, teste Suarez *lib.* 1. *c.* 2. *n.* 4. Insuper sunt, qui prædictum librum tribuant D. Augustino. De quo legatur Bellarminus *lib. de scriptoribus Ecclesiasticis anno* 420.) contra Rupertum, & Acacium, (etsi Suar. *ibi n.* 1. testetur locū, vbi citatur, se invenire non potuisse) qui significant, Angelos saltem post aliqua corpora fuisse creatos.

3. Est ergo difficultas, an Angeli fuerint creati ante mundum corporeum, idest, ante illud momentum, de quo dicitur: *In principio creavit Deus cælum, & terram?* An in eodē puncto? Respond. fuisse creatos in eodem momento, Ita communissimè scholastici *cum Magistro in* 2. *d.* 2. *&* *Thomistæ cum D. Th.* 1. *p. q.* 61. *art.* 2. Ex Patribus verò tenent hanc sententiam D. *Augustinus* 11. *de Civit. c.* 6. 9. *&* 33. & alibi, *D.* Greg. *Beda, Hugo. Victor. Epiphanius, & Theodoretus*; Quos citant, & sequuntur communiter Recentiores, præcipue *Suar. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 6. *Vazq. in* 1. *p. t.* 1. 2. *disp.* 224. *cap.* 5. *n.* 20. *&* 21. *&* *noster* Pilosus *disp.* 8. *art.* 3. *num.* 3. Et ratio est, quòd in Concilio Lateranensi *sub* Innocentio 3. *celebrato*; & refertur *in cap. Firmiter de summa Trinitate*, sic habetur: *Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium sua omnipotenti virtute simul abinitio temporis vtramque de nihilo condidit spiritualem, & corporalem, Angelicam, & mundanam creaturam.*

4. Dices, intentionem Concilij fuisse damnare errorem Origenis, qui dixit, Deum à principio fecisse solam creaturam spiritualem; & postea, peccantibus quibusdam spiritibus, creasse corpora; in quæ, velut in ergastula, immisit illos spiritus, vt pœnas luerent: non ergo fuit mens Concilij definire, Angelos fuisse creatos in tempore, & simul cum hominibus. Resp. verba Concilij esse satis aperta pro nostra sententia, quidquid sit de occasione, qua motum fuerit, & de intentione definiendi, vel non definiendi illam: de quo dicam *à n.* 19.

5. Sed Angelos fuisse creatos ante mundum sensibilem, defendunt Orig. *tract.* 9. *in Matth.* apertè dicens. *Angelos esse antiquiores non solum homine post creato; sed*

sed omni creatura propter eum creata. Cui sententiæ subscribunt *Basilius Chrisost. Damasc. Anast. Synaita, & Moses* Syrius citati à Suar. *lib.*1.*c.* 3 *à n.* 4. Immo Augustinus pro nostra sententia citatus non est in ea satis firmus; nam *lib. de Incarna. verbi cap.* 6. dicit, incertum esse, quando Angeli sint creati: & alioi similia profert: vt notant communiter. Vnde Suar. *ibi num.* 7. dicit, quòd Augustinus tenuit nostram sententiam, vt probabiliorem, non vt certam. Igitur contra nostram sententiam obijcies hos Patres. Respondetur, pro nostra sententia stare Patres, immo, & Conciliũ: cuius verba sunt adeò expressa, vt putẽt multi, post dictũ Cōciliũ oppositã sentẽtiã sine nota erroris defendi non posse.

6 Obijcies 2. illud *Iob* 38. *vbi eras, quando ponebã fundamenta terræ?* & infra: *Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei,* Id est, Angeli Dei, vt legunt Septuaginta: ergo quando creatus est mundus, iam erant creati Angeli. Respond. concedendo totum: non enim negamus prius creatos fuisse Angelos quã multas res sensibiles: sicut in ipsis rebus corporalibus aliæ alias præcesserunt creatione: sed solùm negamus, fuisse creatos priùs tempore quàm mundum istum sensibilẽ inciperet creare Deus. Itaque cùm in sex dierum successione creata fuerint vniuersa; primo die creati sunt Angeli; astra verò die quarta: & sic optimè Angeli potuerunt laudare Deum, quãdo creauit astra. immo addit Suar. *n.* 1. *c.* 3. *n.* 20. quòd etiam si in eodem instanti simul crearentur Angeli, & astra, potuerũt laudare Angeli Deum: quia laudatio opus est, quod in instanti fit: & sicut est verum, quòd sol in primo instãti sui esse illuminauit; ita etiam Angeli in primo instãti suæ creationis potuerant laudare Deum propter syderum conditionem. et quia illos creauit, laudaverunt Deũ in primo suæ creationis instanti. Nec inconvenit, fuisse in illo tunc simul plures oper tiones: quia in vnico indiuisibili tẽporis instanti sunt plures prioritates, & posterioritates naturæ; (instantia naturæ vocant aliqui) quod sufficit ad saluandum pluralitatem operationum.

7 Obijcies 3. illud *ad Tex.* 1. *promisit, qui non mentitur Deus, ante tẽpora sæcularia*: Ergo ante sæcula fuit creatus aliquis, cui facta fuit promissio. Resp. negãdo consequentiã primò; quia ibi *promissio* idẽ valet ac propositũ, iuxta illud 2. *ad Timoth.* 1. *secũdũ propositũ suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.* Quòd enim hic Apostolus vocat propositũ, ibi promissionẽ appellauit: nã propositũ Dei propter suã firmitatẽ, & immutabilitatẽ vim promissionis habere cẽsetur.

tur. Et ideo sicut propositū quod De⁹ ab æterno habuit, nō suppo-nit creatā personā, cui benefa-cere proponit; ita nec dicta pro-missio. Ita exponūt *Aug. 12. de Ci-vit. c. 16. Chrysost. Amb. Theophyl. & Ansel. teste Suar. l. 1. c. 3. n. 22.* Resp 2. negādo cōsequentiā: quia illa verba *ante tēpora sæcularia* nō sunt referēda ad aliquòd aliud tēpus, quod præcesserit hunc mūdum, & eius sæcula. Vnde *Chrysost. ho-mil. 2. in 2. ad Timoth.* verba prædi-cta *ante tēpora sæcularia* sic expo-nit, *hoc est, absque vllo principio.* Quā explicationē secūtur *Theophyl. Ired. Amb.* & alij, teste eodem Suar. ibidē. Dicitur ergo Deus promisisse ante tēpora sæcularia, id est, in æternitate. Ad rē ergo: iuxta dicta non potuit promit-tere Angelis: cùm supponamus omnes illos non fuisse ab æter-no productos. Promisit ergo Deus sapientiæ suæ, (vt sic di-cam) & immutabili veritati suæ: quod idem est, ac prædefi-niendò, seu prædestinādo pro-posuisse; vt ex *Chrysost. Ansl. & Aug.* notant, præcipue *Vazq. in 1. p. t. 2. disp. 224. in fine.*

8 Obijcies 4. illud *Iob 40.* vbi de Behemoth. dicitur, *Ipse est principium viarū Dei,* id est, crea-turarum: ergo Lucifer, qui po-stea peccando factus est Behe-month (hoc est iumenta, qua-drupedia, aut elephans) fuit fa-ctus ante mundum. Resp. negā-do consequentiam; quia ibi so-lùm significatur antecedentia dignitatis, non durationis: iuxta illud Greg. 32. *Moral. c. 18. alias 24. principium viarum Dei diciturBe-hemoth, quia cum cuncta creat agere, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.* Idē do-cent *Beda, & Isidorus citati à prædi-ctis Suar. & Vazq.*

9 Deinde ratione argu-mentantur contra nostram sen-tentiam. Videtur enim à diuina bonitate, & gloria alienum, quòd per infinita sæcula sine vlla communicatione ad extra, & si-ne laudantium creaturarum cō-sortio quasi solitarius extiterit, & otiosus: creauit ergo Angelos multo tempore ante creatio-nem mundi visibilis. Respond. quod hoc Cassiani argumento vtebantur non nulli (vt refert D. Aug. 11. de Ciuit. c. 5) ad probādū, mundum fuisse ab æterno pro-ductum. Resp. autem Aug. eo nihil probari; nā si quidquā pro-baret, eadē ratione probaretur, infinitos mūdos à Deo fuisse pro-ductos; (vt dicebat Epicurus) ne Deus esset otiosus per infinita illa spatia imaginaria, & vt suas perfectiones cōmunicaret crea-turis, & ab illis laudaretur. Pro-baret etiā, Angelos fuisse ab æter-no creatos: quorū vtrumq; ne-gamus Catholici. Quare autem noluerit De⁹ ab æterno aliquid creare supposito, quòd hoc non repugnat (de quo dicem⁹ à n. 24) pendet ex eius inscrutabili sapiē-tiam,

etiam, & liberrima voluntate. Et ideo congruitas creandi Angelos simul cum mundo, vel ante illum non ex parte Dei petenda est, sed ex parte creaturarum: quia Deus tam bonus, ac beatus, sibi qua sufficiens est, quando se ad extra communicat, sicut, dum non creat; & quando est sine socijs ac quando innumeros illorum habet.

10 Insuper obijciunt: si Angeli creati fuissent cum mundo corporeo; creationis illorum mentionem aliquam fecisset Moyses in Genesi; cum ergo nullam prorsus fecerit, signum est, non fuisse cum mundo creatos. Resp. triplicem solutionem haberi ex Patribus. Prima est; creationem Angelorum non fuisse à Moyse prætermissam; sed eam significasse nomine lucis. Ita August. & Beda apud Vazquez *disp.* 224. *cap.* 6. *n.* 24. Displicet tamen ipsi, & nobis hæc solutio: quia cū scriptura Moysis fuerit historica narratio, verba illius vsurpanda sunt in communi, & vulgari significatione, non autem mataphoricè. Secunda solutio est, prætermissam fuisse à Moyse Angelorum creationem, ne populus ille ad idolatriam nimis propensus Angelos tamquā Deos adoraret. Ita *Athanas. in quæst. ad Antiochum q.* 2. *&* *Theodoretus q.* 2. *in Genesim.* Hæc tamen ratio etiam displicet ipsi Vazq ibi *n.* 25. quia eadem ratione debuisset Moyses nusquam Angelorum mentionem facere; sed sæpe de ipsis loquitur in Genesi, Exodo, & alijs libris: ergo propter illam rationem creationem illorum non prætermisit. Tertia solutio est, ideo Moysen creationis Angelorū non meminisse, quia sui instituti ratio hoc non postulabat: vt enim scribit Hieronymus. *Epist.* 139. Solùm voluit Moyses describere ordinem creationis rerum corporalium.

DVBIVM I.

11 PEtes primò, an nostra sententia sit definita, & opposita damnata? Affirmat. Ferrara 2. *contra gentes cap.* 83. & ideo existimat, post Concilium Lateran. *n.* 3. citatum oppositam sententiam defendi nō posse sine peccato hæresis. Ferrariensi consentiunt aliqui recentiores Thomistæ. Quibus etiam subscribere videtur noster Pilosus, quatenus *disp.* 8. *art.* 2. *num.* 3. dicit, oppositum nostræ sententiæ esse Catholicæ fidei parum consentaneum. D. Thom. 1. *p. q.* 61. *art.* 3. *in corpore* affirmat, contrariam sententiam nō esse reputandam erroneam. Idē docet Caiet. in eodem articulo, & Sixtus senēsis *lib.* 5. *Bibliothecæ veterū Patrū. Suar. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 15. dicit, non carere temeritate contra nostram sententiam nūc

sen-

sentire. Pro qua sententia citat *Valentiam, & Bannez* dicentem esse communem sententiam modernorum Theologorum. Becanus vero *tract. de Angelis cap. 1. disp. 1. n. 4. & Vazq. disp. illa 221. c. 5. n. 2*. affirmant, nostram sententiam esse probabiliorem. Et addit Vazq. oppositam sententiam nec erroris, nec temeritatis insimulari debere.

12 Dico primò: sententia affirmans, Angelos fuisse creatos ante hunc mundum corporeum non est ab Ecclesia damnata. Quia Concilium illud Lateranense non fuit congregatũ ad hoc definiendum; sed contra Ioachimum Abbatem, & Almerium malè de Trinitate sentientes: non est ergo credendũ, voluisse piam matrem Ecclesiã sine vrgente occasione, & necessitate damnare sententiam tantorum Patrum: semper enim Ecclesia studuit, veritates contra insurgẽtes errores definire sine præiudicio (quantum fas est) Catholicorum opinionum.

13 Dices verba Concilium *n.* 3. relata esse satis aperta: clarissimè enim dicit, quòd *simul ab initio temporis Angelicam, & corporalem naturã cõdidit Deus* Resp. cũ Vazq. *disputat. illa* 224. *c.* 2. ly *simul* denotare non simultatem temporis, sed brevissimã antecedentiam, qua creati fuerunt Angeli. Itaque quando aliqua fiunt taliter, vt inter illa breve temporis intervallum reperiatur, dicũtur simul fieri. Hac ratione *Gen.* 2. dicitur *Hæ sunt generationes cœli, & terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Deus cœlum, & terram*: vbi *in die* ponitur pro *in diebus* propter breve temporis intervallum. Et *Marci* 10. *ab initio creaturæ masculum, & fœminam fecit eos Deus*: Cũm tamen non statim in principio ipso mundi indviduo, sed paulo post: vt constat *Gen.* 1. sextò enim die primi nostri parentes creati sunt: dicuntur tamen *Ab initio creaturæ* id est, simul cum alijs creaturis recepisse esse propter breue temporis intervallum.

14 Insuper potest dici cum eodem Vazq. ibi *n.* 8. ly *simul* nõ referri ad durationem temporis, nec denotare ab ipso Deo fuisse eodem tempore productam naturam Angelicam, & corporeã, sed significare idem ac *pariter*: & ita sensus erit Deus *creavit omnia simul*, hoc est, pariter omnia creavit, nulla re, præter ipsum, excepta. Qua ratione *Psal.* 13. dicitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*: & *Psal.* 48. *simul insipiens, & stultus peribunt*. Alias adhuc explicationes vide apud *Vazq. ibi.* Ex quibus infertur, non esse statutum Concilium damnasse oppositam sententiam.

15 Instabis: si verba Concilij habere possunt dictas explicationes, vnde probatur, nostram sententiam esse probabiliorem Resp. probari ex hoc, quòd di-

cta Concilij verba simpliciter, & sine glossa accipimus. Præterea ratio hoc suadet: Deus enim creavit hoc vniuersum per modum vnius perfecti artificij cõstantis ex varijs partibus: quod, vt perfectum sit, ex corporalibus, & spiritualibus rebus cõstare debet: vtrasque ergo simul produxit Deus, vt partes vniversi, & non vnam priùs quàm aliã. Dices, hac ratione probari, nullum temporis intervallum fuisse inter creationem Angelorum, & creationem cœlorum, & aliarum rerum corporalium. Patet, qua inter partes totius (cœli v. g.) non datur antecedentia temporis, sed solùm naturæ: quatantùm antecedentia materia præcessit eductionem formæ. Resp. hoc parum vrgere. Ante solutionem tamen est advertendum, famosam adhuc versari inter Doctores disputationem de operibus sex dierum, an scilicet sex illi dies fuerint in re naturales? vel potiùs mentales in cognitione Angelorum, seu sex diversa instantia? Qui dixerit, dies illos in re fuisse naturales, dicet consequenter, inter creationem Angelorum, & aliarum rerum corporalium fuisse temporis intervallum: cùm Angeli fuerint creati in primò die, (hoc enim aliquali congruẽtia exigebat eorũ dignitas & excellentia) & aliæ res in quinq; sequẽtibus dieb⁹. Nec obstat, quod sint partes vniversi: non enim sunt partes propriè physicæ, & essentiales componentes cum corporeo mũdo vnum per se: sed dicuntur partes constituentes vnum orbem sola vnitate ordinis: & sic potuerũt præcedere tempore cœlos, & reliquas orbis partes: cũ sint perfectè subsistentes, non habentes essentialem ordinem ad illos, aut ad vniversum. Qui autẽ in disputatione illa de operibus sex dierum dixerit, dies illos fuisse instantia tantùm, dicet consequenter, inter creationem Angelorum, & aliarum rerum non præcessisse intervallũ temporis, sed solùm quinq; instantia: Angeli enim creati sunt in primo instanti, reliqua verò per alia quinque

16. Dico secundò: etsi nostra sententia sit probabilior; vt cõstat ex dictis, præsertim n. 14. & 15. tamen opposita sententia non est digna aliqua censura. Quia illam defendunt gravissimi Patres n. 5 citati: ergo semel statuto, quòd ab Ecclesia nõ sit damnata; vt probavimus, à n. 11. immeritò iudicatur digna aliqua censura.

17 Dices, illam sententiam impugnare omnes Scholasticos: ergo est temeraria. Respõdetur, negando consequentiã: temeraria enim illa opinio dicitur, quæ sine sufficienti fundamento opponitur torrenti Scholasticorũ. Quod in præsenti non contingit:

git: opposita siquidem senten-tia, & habet pro se multos Patres, nec non, & sufficiens fundamentum, nempe omnia loca scripturæ, in quibus dicitur, aliquid factũ fuisse ante tẽpora sæcularia: quale est illud 2. *ad Timot.* 1. *secundum propositũ suum, & gratiã, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia*: Quibus verbis insinuatur, ante tempus nostrũ consistens in motu cœli fuisse alia tempora non sæcularia, in quibus Angeli servierunt Deo: vt apertè fatetur D. Hierony. super Epistolam ad Titum dicens (vt citat D. Thom. *q.* 61. *art.* 1. *in initio*) *sex millia non dum nostri temporis complentur annorum. Et quanta tempora, quantas ergo sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæterique ordines Deo servierunt.* Cui authoritati respondit D. Thom. in solutione ad primum dicens. *Ad primum, ergo dicendum quòd Hieronymus loquitur secundum sententiam Doctorum Græcorum, qui omnes hoc concorditer sentiunt, quod Angeli sunt ante mundum corporeum creati.* Quis ergo sanæ mentis audebit temeritatis nota inurere sententiam, quam concorditer defendunt omnes Doctores Græci, totque sanctissimi Patres *n.* 5. citati, si aliàs ab Ecclesia Romana nõ sit damnata? Quòd autẽ opposita sententia nõ sit damnata, fatentur D. Th. *in illo art.* 3. *Caye. ibi immò, & ipse Suar. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 14. & constat ex dictis *à num.* 11.

18 Instabis, sequi ex his, quòd opposita sentẽtia est probabilis, non solũ probabilitate extrinseca, quæ oritur ex auctoritatate Doctorũ defendentiũ aliquã sententiã; sed etiã probabilitate intrinseca orta ex fundamẽto, seu ratione, cui innititur opinio aliqua. Resp. cõcedẽdo: idq; implicitè cõcedunt quotquot nostrã sentẽtiã vocant probabiliorem: cõparatio enim supponit esse in alio extremo cõparationis id, de quo fit cõparatio. Vocant verò probabiliorẽ nostrã sentẽtiã *Angelicus Doctor in corpore illius art.* 3. *Vazq. & Becanus citati n.* 10.

16 Adde, multũ probabilitatis accrescere oppositæ sentẽtię ex eo quòd aliqui Patrũ ex defendẽtib⁹ nostrã affirmant, non esse inconveniens sequi oppositã. Accipite Theodoretũ *q.* 3. *in Genes.* sic fantẽ: *Concesso Angelos habuisse initium, si quis dixerit, antè fuisse, non offendet verbum pietatis.* Recolãtur dicta *n.* 5. vbi notabam⁹ cũ Suar. D. Aug. nostrã sententiã docuisse, vt probabiliorem, nõ vt certã. Legatur Vazq. *ap. illa* 224. *c.* 3. expendẽs diversa testimonia Patrũ qui pro nostra sentẽtia adducũtur, & ostẽdẽs, quã indemnẽ relinquant oppositã. Immo *c.* 1. ostẽdit, nõ posse ex scriptura apertè dãnari. Et demum *c.* 4. demõstrat verba Cõc. Later. à nobis relata *n.* 3. nõ cotinere dãnationẽ illi⁹, quòd & nos *à n.* 12. probavim⁹.

 20 Di-

20 Dices, oppositam sententiam fuisse quidem olim probabilem, nūc autem esse antiquatam, carereque probabilitate: cum ipsam communissimè impugnent Theologi. Resp. nunc etiam esse probabilem. Tū, quia dum ab Ecclesia non damnatur, munitur authoritate antiquorū Patrum ipsam tunc defendentium. Tum, quia habet sufficiēs fundamentum *n.* 17. libatum. Et demum, quia omnes Theologi Græci illam fortè hodie defendunt; sicut nostram Latini: vt insinuant verba D.Th. *n.* 17. relata. Nec obstat, quòd Græci modò sint Schismatici: in hac enim quæstione, dum ab Ecclesia non definitur, non errāt.

DVBIVM II.

20 PEtes secundò Vtrū Concilium Lateranense potuerit definire nostram sententiam? Resp. affirmativè cū Suar. *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 13. Quia potest Ecclesia, si oportuerit, quādo sensus intentus à scirptura dubius est, definire, quis ille sensus sit. Sed in aliquibus locis scripturæ dubie continetur hæc veritas: (*Angeli simul tempore creati sunt cum rebus materialibus*) ergo potuit Cōcilium Lateranense, aut quod cumque aliud, si oporteret, hanc veritatem, seu nostram sententiam definire. Maior est certa: sicut enim definit Ecclesia, quænam scripturæ sunt canonicæ, seu dictatæ à Spiritu Sācto: (quòd defacto fecit Trid. *sess.* 4.) ita definire potest, quēnam sensum intēdit Spiritu Sanctus, quando res est dubia. Sic Trid. *sess.* 13. *c.* 7. determinavit, probationem pro communione petitam à D. Paulo 1. *ad Chor.* 11. verbis illis, *Probet autem se ipsum homo*, debere fieri per sacramentalem confessionem; quamvis aliàs ante Tridentinum opinabantur aliqui, sufficere probationē per proprium vniuscuiusque iudicium, & accedere ad Eucharistiam cum contritione de peccato mortali: quorum fundamentum erat, quòd verba illa; *Probet autem se ipsum homo*, erant dubia, seu indifferentia ad probationem per iudicium cōfessoris; & ad probationem per proprium iudicium pœnitentis: & consequenter dicebant, non esse præceptum apertè obligans ad confessionem: atque adeo posse sumi Eucharistiam, præmissa contritione de peccato mortali.

21 Ex quibus satis apertè manet probata maior. Minor autē constat expendendo testimonia scripturæ, quæ solēt adduci ad probandū illā nostram conclusionem *n.* 3. positam, scilicet, quòd Angeli simul tempore fuerunt creati cum rebus materialibus. Duo autem testimonia ad hoc solent adduci. Primum est ex *Ecclesiastici* 18. *Qui vivit in*

æter-

æternum creauit omnia simul. Alterum ex Genes. 1. *in principio creauit Deus cœlum, & terram*. Expendunt ergo, quòd ly *simul* in priori testimonio, & ly *in principio* in posteriori sunt verba dubia; cùm possit dubitari, an ly *simul* sit accipiẽdum de simultate durationis? an de simultate creationis? & æquivaleat particulæ *pariter*; vt constat ex dictis *num*. 14. Item potest dubitari, an ly *in principio* accipiẽdum sit de principio durationis, aut ordinis? facta comparatione ad omnia, quæ Deus creauit: an ad corporalia tantum: quorum expresse fit mẽtio in illo capite. Potuit ergo Ecclesia definire quòd ly *simul* ibi accipitur de simultate durationis; & quod ly *in principio* denotat simul cum rebus corporeis creasse Deum Angelos in principio temporis.

22 Sed Vazquez *capit. illo* 3. *num*. 12. affirmat, Concilium Lateranense nõ habuisse sufficiens fundamentũ ad definiendũ nostram illã conclusionem *num*. 3. positam, nempe Angelos fuisse creatos simul tempore cum rebus corporeis: & ideo hãc veritatem non solùm non definijsse; (vt nos supra probavimus) sed neque illam definire potuisse. Fundamentum Vazquez est, quòd, vt Concilium definiret hanc veritatẽ, niti debebat aut scriptura, aut traditione, aut ratione deducta ex principijs fidei. Sed nullo horum niti potuit: ergo, &c. minorem probat; quia in primis niti non potuit in aliquo scripturæ testimonio hoc expresse cõtinente. Neque traditione: quia antiqui Patres in hac re sunt divisi: vt constat ex dictis in hac difficultate. Et demum nõ est aliqua evidẽs ratio: cum nulla ratio Theologica esse possit sine scriptura, aut Patrum traditione: Concilium ergo non habuit fundamentum ad definiendum nostram sententiam, etiam si hoc voluisset. Resp negando minorẽ: potuit enim niti testimonijs continentibus hanc veritatem tantum implicitè, aut confusè; qualiter continetur in duobus allatis numero præcedenti.

23 Dices: vt aliqua veritas de fide proponatur ab Ecclesia sufficit quòd virtualiter, aut cõfusè cõtineatur in aliquo scripturę testimonio? Ergo ante definitionẽ Ecclesię posset quilibet Pater, aut doctus deducere illã veritatẽ: ergo posset illi assentiri ante Ecclesiæ definitionẽ. Resp. distinguẽdo: consequẽs: probabiliter, cócedo: omnino certitudinaliter, nego. Quia sicut sola Ecclesia declarat omnimoda certitudine, quę sint scripturæ Canonicæ: ita ipsa sola est, quæ omnimoda certitudine declarat legitimũ sensũ a Spiritu Sãcto intẽtũ in rebus dubijs; ipsaq; sola proponit, vt expresè credẽda my-

ſteria fidei, quæ antea erant tantum implicitè nota.

DVBIVM III.

24 PEtes 3. an ſit poſsibile, Deum creaſſe Angelos ab æterno? Reſp. affirmativè cum Scoto *in 2. d. 1. q. 3. §. Tenentes autē, & in Reportatis ibidem*; quamuis enim vtrobique ſit problematicus, magis tamen inclinat in hāc concluſionem. Quam etiam defendunt D. *Th. 1. p. q. 46. art. 1. &* 3. & *alibi, Capreolus, Gab. Dur. Sotus Conimb. & Vazq. diſp. 177. c. 3. &* 5. quos citat noſter Hugo Cauellus *in illa q. 3.* Idem etiam tenet noſter Piloſus *diſp. 8. art. 3. n. 2.* Et ratio eſt, quod non apparet aliqua repugnātia in iſtis terminis aliud à Deo, & eſſe ſempiternū à parte antè; ſicuti à parte poſt.

25 Sed oppoſitum defendūt D. *Bonav. in 2. d. 1. p. 1. art. 1. q. 2. Henr. Marſilius, & Clichtoveus citati à Vazq ibi c. 2.* quatenus affirmāt, nullam creaturam etiā permanentem, & incorruptibilem potuiſſe ab æterno incipere. Et obijciunt diverſa Patrum teſtimonia, quæ videntur hoc probare. Sufficiat Aug. 12. *de Ciuit. Dei c.* 15. dicens. *Quomodo ergo non ſunt coæterni creatori, ſi ſemper ille, ſemper illi fuerunt? Quomodo etiā creati dicendi ſunt, ſi ſemper fuiſſe intelliguntur?* Reſp. cum. Vazq. ibi *c. 3. n.* 11. hæc verba nō eſſe ex propria Aug ſentētia, ſed obijcit ea contra illā, quæ dixerat ad probādū Angelos ſēper fuiſſe, vt ita redderet quæſtionē vtrinque difficilem. Igitur ad illas interrogationes, quas D. Aug. facit per modum obiectionum, reſpondendū eſt, Angelos, ſi ab æterno crearētur, dici quidē coæternos Deo per menſurā extrinſecā, nēpe quia, dū exiſtebant propria, & intrinſeca exiſtentia, & duratione, coexiſtebant etiam extrinſecè æternitati Dei: ſicuti Angeli, & incorruptibilia exiſtunt propria, & intrinſeca duratione, & exiſtēria, & ſimul dicūtur eſſe in tempore, quia coexiſtunt tépori noſtro; ſeu ſimul habent ſuam exiſtentiam, quādo illā habet tēpus: non tamen dicerentur coæterni æternitate ſibi intrinſeca; quā explicabo *à n.* 28. Item Angeli, ſi ab æterno crearentur, dicerentur creati; quia illos tunc produxiſſet Deus ex nullo ſuppoſito ſubiecto ſeu ex nihilo; quod licet non prioritate durationis, prioritate tamēn naturæ præceſsiſſet ad actuale eſſe exiſtētiæ Angelorum: vt dicam *n.* 27. Ex his, & ex ſolutione argumētorum patebit ſolutio ad alios Patres, qui ſolent adduci contra noſtram concluſionem. Nec recurrendum eſt ad ſolutionem aliquorum, qui noſtram ſententiam ſequūtur; qui dicunt, Patres in contraria fuiſſe opinione; nihilominus nullam eſſe manifeſtam rationem, quæ nos eam

eam amplecti convincat. Hæc inquam solutio non est admittenda. Si enim Patres oppositam sequerentur sententiam, putare deberemus, aliquam occultam repugnantiam invenisse Patres in nostra sententia, quam nos ignoramus: vt merito expendit Vazq. ibi *n.* 7.

26 Obijciunt secundò: Angelus potuit produci ab æterno? Ergo semper habuisset esse: ergo sine principio: ergo esset Deus. Respondetur, distinguēdo illud consequens: (*ergo sine principio*) est enim verum de principio durationis: & falsum de pincipio productionis: & ideo negatur vltima cōsequentia: Deus enim caret non solùm principio durationis, sed etiam principio productivo. Contra, quòd Filius, & Spiritus Sanctus habent principium productivum, nempe Patrem; & tamen sunt verè Deus: ergo habere principium productivum nō obstat ad hoc, vt Angelus ab æterno productus sit Deus. Respond distinguendo consequens: quia verum est, cōpati cum personis diuinis habere principium productivū eiusdem numero naturæ, & essentiæ: falsum tamen est, compati cū esse diuino habere principiū alterius numero naturæ: & essentiæ.

27 Obijciunt tertiò: omne aliud à Deo indifferēs est ad esse, & ad non esse, & priùs est in potentia ad esse, quàm habeat actu esse: sed quòd fuisset ab æterno non potuit priùs esse in potentia ad existēdum, quàm actu existeret: ergo Angelus nō potuit produci ab æterno. Probatur minor: quia in æternitate nō datur prius. Resp. ex Scoto *in* 2.*d.* 1 *q.* 3. §. *Tenentes autē ver.* *Hic dico* distinguendo maiorē, & minorem: est enim vtraque vera de prioritate durationis; falsa verò de prioritate naturæ. Itaq; sicut materia prima in primo instanti sui esse fuit in potētia ad recipiēdū formā; & tamē illa potentia solùm prioritate naturę, & nō durationis, aut tēporis pręcessit in materia: (abstinemus modo à quæstione illa, an tunc materia dicēda sit priuata rigorosè loquēdo? Et loquēdo cū Scoto nuper citato dicim⁹, quòd tūc materia nō est positiuè priuata, sed privativè tantū: quia ex se habet, quòd sit priuata, seu nō habens formā) ita si creatus fuisset Angelus ab æterno, priùs, non duratione, sed natura fuisset in potentia ad recipiendum esse à Deo, quàm illud recepisset.

28 Obijciunt quartò, Angelo, & cuicumque alteri creaturæ repugnat æternitas. Sed, si produceretur ab æterno, esset æternus: ergo repugnat ab æterno produci. Repondetur, distinguendo maiorem: quæ vera est de æternitate intrinseca; & falsa de extrinseca. Itaq; repugnat,

quòd aliqua creatura habeat ĩ: mensuram, existentiam vel durationem, cui ex se repugnet deficientia, seu quæ, quantum est ex se, sit necessariâ, & nequiens à Deo annihilari, seu destrui. Non autẽ repugnat Angelo, aut alteri creaturæ (præcipuè permanẽti) quòd habeat mensuram, existentiam, aut duratione defectibilem seu dependentẽ à Deo, per quam ab æterno seu sine principio durationis existat intrinsecè, & extrinsecè coexistat æternitati Dei; vt *n.* 5. dicebamus. Igitur Angelus creatus ab æterno diceretur æternus extrinsecè, seu ab extrinseco, scilicet ab æternitate eum extrinsecè mensurãte. Deus autem dicitur æternus ab intrinseco, seu à sua propria, & intrinseca mensura.

29 Contra, quòd Patres arguentes contra Arianos probãt, creaturam coæternam Deo esse non posse. Resp. loqui de æternitate intrinseca, & cui repugnet deficientia, & ideo reddebãt pro ratione, quod creatura est alterius naturæ, quàm Deus. Ita Athan. *orat 2. contra Arianos.* Si autem aliquis Patrum loquatur de æternitate extrinseca, dicendum est, loqui ex suppositione quòd creata fuit in tẽpore, iuxta illud *Gen. 1. in principio creauit Deus cœlum, & terram.* Itaque supposito quòd omnia creauit Deus in tempore, implicat, Angelum, aut aliam creaturam esse Deo coæternam, adhuc extrinsecè.

30 Obijciunt 5. repugnat, Deo producere Angelum sibi æqualẽ in infinitate, in potentia, in immensitate; &c ergo, & in æternitate. Resp. distinguendo consequens: est enim verum de æternitate intrinseca; & falsum de extrinseca. Itaque repugnat, produci aliquid à Deo suaptè natura æternum, hoc est, ab intrinseco; sicut repugnat produci infinitum secundùm essentiã: at sicut non repugnat produci infinitum secundum quantitatem; sic nec secũdũ durationem æternum æternitate extrinseca. Immo quamuis infinitũ in quãtitate repugnaret propter speciales rationes; non tamen repugnaret æternum æternitate extrinseca à parte antè: sicut nõ repugnat, & futurum est æternũ extrinsecè à parte post.

DIFFICVLTAS IV.

An Angeli fuerint creati in cœlo Empyreo.

1 AFfirmant communissimè Scholastici cũ Magistro *in 2.d.2. & cũ Beda, Hugo de S. Victore, Orig. Ambros. Chrysost. Teophyl. Greg. & Bern.* quos citãt cõmuniter, præsertim Vazq. *disp. 227.c.1.* Rupertus autem *lib. 1. in Genesim c.11.* putat Angelos omnes extra cœlũ fuisse creatos, & po-

postea omnes per gratiam in cœlum fuisse translatos, indeque Luciferum, & sequaces peccato excidisse. Quam sententiam sequitur Eugubinus *lib. 7. de Perenni Philosophia.* Alij vero dicũt, bonos Angelos fuisse creatos in cœlo; malos vero in aere inferiori. Quam sententiam tractat D. August. *3. Genes. ad litteram cap. 10.* & eam non improbat; sed tantum sub conditione dicit, quòd si ita est, est intelligendum de altissima regione aeris, ad quam terrenæ exhalationes non ascendunt, & quæ sub nomine cœli in Scriptura comprehendi solet: (iuxta illud 4. *Regum Ascendit Elias per turbinem in cœlum,* id est, in remotissimam regionem aeris: immo aer absolutè frequentissimè in Scriptura vocatur cœlum, vt constat *ex Ps. 8. Volucres cœli: & Isaiæ 55. Descendit nix de cœlo,* id est, de aeris regione) & consequenter dicendum est, ab illa regione Angelos malos esse deiectos ad infernũ: Alij dicunt, superiores Angelos in cœlo empyreo fuisse creatos, inferiores verò, qui vel motores sunt orbium, vel elementis præsunt, putant esse creatos in proprijs locis inferioribus. Quod non displicet D. Thom. *1. p. q. 61. art. 4. ad 2.* Lorinus demum *in 2. Petri 2. & Suar. lib. 1. cap. 4.* Putãt, satis verisimile, Angelos omnes fuisse creatos in cœlo sydereo, aut in eo, quod sub empyreo proximè collocatum est.

2 Ego autem existimo, suppositum huius quæstionis non tenere, nempe quòd Angeli sunt creati post creationem cœlorũ, aut aeris. Vt enim vidimus difficultate præcedenti, grauissimi Patres affirmant, Angelos creatos fuisse multis sæculis antequã res corporeæ crearentur. (Recolantur dicta *diff. 3. num. 5. & 17*) Quam sẽtẽtiam adhuc nũc temporis esse probabilem diximus a *num.* 18. In horum ergo Patrum sententia evidens est, non tenere suppositum huius quæstionis, nempe quòd cœli, & aer fuerint creati priusquam Angeli. Et quãuis in difficultate præcedenti dixerimus cum communiori sententia, Angelos fuisse creatos simul tempore cum rebus corporeis: tamen *num. 6. & 15.* notabamus priusquã alias res fuisse creatos Angelos, hocque exigere eorum dignitatem, & excellentiam. Quæ prioritas erit vnius diei, aut vnius instantis, secundum diuersas sententias, quæ adhuc extant de operibus sex dierum, vt *num. illo* 15. notabamus. Igitur cum adhuc in hac sententia prius quàm cœli, fuerint creati Angeli, immeritò quæritur, an fuerint creati in hoc, vel illo cœlo?

3 Dices, resolutionem istam offendere Patres, & Scholasticos omnes quærentes, an Angeli fuerint creati in cœlo empyreo

reo? Sydereo? aut in aëre? Respondetur negando. In primis enim non offendit Basiliũ, Chrys. Damasc. & alios *diss. 3. n. 5.* citatos, qui dicunt, Angelos fuisse creatos ante hunc mundum visibilem. Item non offendit authores, qui sententiam horũ Patrum vocant probabilem, aut oppositam vocant probabiliorem. Hi sunt *D. Thom. Vazq. & Becanus*, quos citavimus ibi *num.* 18. Insuper non offendit Scotũ, qui præfatam sententiam videtur approbare *in 2. d. 2. q. 8. §. In ista quæstione*, vbi, vt probet, plures Angelos posse esse simul in eodem loco sic loquitur. *Si etiam omnes Angeli fuissent creati ante omnem creaturam corporalem, sicut videtur verum secundum Damasc. c. 17. & 21. non videtur facile assignare, quomodo tunc non fuissent simul.* Falsum ergo est, quòd hæc nostra resolutio offendat tantos. Igitur breuiter dicẽdum est, omnes quotquot quærunt, vbi Angeli sint creati? Hoc quærere ex suppositione, quod fuerint creati post cœlorum formationem. Sicuti multa disputãtur ex aliqua suppositione, cui vel non assentimus, vel saltem pro tunc abstinemus ab eius examinatione. Quod clarius adhuc patet in quæstionibus conditionatis, quas passim disputant abstinendo à purificatione conditionis. Sic Theologi inquirunt, vtrùm, Adamo non peccante, seu si Adamus nõ peccasset, Deus fieret homo? si Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo? Atque id generis multa alia.

DVBIVM I.

4 PEtes, quid dicendum sit in suppositione, quòd cœli, & elementa fuerint creata antequàm Angeli crearentur? Respondetur, quod fuissent creati in cœlo sydereo, vt dixerũt Lorinus, & Suar. *n. 1.* citati. Quia sic videtur expressè sentire D. Hieronym. *lib. 6. in Isai. c. 14.* circa illa verba. *In cœlum conscendam*, quæ priùs dicit, posse referri ad primum Angelum lapsum: & postea interrogat: *Si adhuc in cœlo positus quomodo dicit: Ascendam in cœlũ?* Et respondet: *sed quia legimus, cœlum cœli domino: cũ esset in cœlo, id est, in firmamento, in cœlum, vbi solium Domini est, cupiebat ascendere.* Secundò quia iuxta hanc sentẽtiam omni proprietate, & facilitate intelliguntur Scripturæ, cum dicũt, & Luciferum cecidisse de cœlo; & appetiuisse ascendere in cælũ. Cupiebat siquidem ascendere in cœlum empyreum; & cecidit à Sydereo, seu à firmamento. Sic etiam conuenienter factum esse intelligimus, vt Angeli priùs locum suæ naturæ consentaneum habuerint; posteà verò suis meritis dignum receperint. Item sic creatio Angeli creationi Adę assimilatur, qui extra paradisũ fuit creatus & posteà in paradisum fuit translatus.

5 Sed

5 Sed Obijcies pro alijs sentẽtijs *n.1.* relatis, præcipuè pro sententia D. Th. illud D. Isid. citati *in illo art. 4. in corpore. Supremum cœlũ est cœlum Angelorum*: ergo Angeli fuerunt creati in cœlo empyreo. Resp. negando consequentiam: non enim determinat Isidorus, an sit cœlum, vbi fuerint creati Angeli? an verò, in quo habitaverint post creationem & sẽper sint habitaturi? Obijcies secundò, quòd ratio exigebat, vt omnium creaturarum nobilissima in digniori, & excellentiori loco crearetur. Resp. hanc congruentiam minoris esse momẽti, quàm rationes factas pro nostra conclusione: præsertim insistẽdum est authoritati D. Hieronym. necnon & rationi illi, scilicet quòd iuxta hanc sententiam propriè, & facilè intelligũtur Scripturæ, cũ dicunt, Luciferum, & cecidisse de cœlo; & in cœlum ascendere velle.

6 Obijcies tertio illud Hieron. *lib. 6. in Isa. c. 14.* dicẽtis: *vnde ille descendit per superbiam, posse nos ascendere per humilitatem*: ergo sentit, quod Lucifer cecidit ab empyreo, quò viatores cupimus pervenire: Resp. quod adhuc admissa consequentia, nõ infertur, ibi fuisse creatum. Adam enim creatus fuit extra paradisum, & postea ad illum trãslatus ibi peccavit à quo tandem fuit eiectus: potuit ergo similiter contigisse Lucifero, & alijs Angelis. Respond. secundò, solùm intẽdere, quòd sicut Lucifer per superbiã amisit cœlum; sic nos possumus per humilitatẽ cœlũ acquirere. Non tamẽ disputát tũc Hier. aut determinat, à quo cœlo descenderit Lucifer, aut ad quod nos simus ascensuri.

7 Obijcies 4. quòd solũ cœlũ empyreũ est inmobile, reliqui verò cœli mouẽtur: ergo Angeli in empyreo fuerũt creati. Resp. negando consequentiam. Angelus enim nõ ita est in corpore aliquo, vt ad illius motũ necessariò moueatur.

CAPVT II.

De spectantibus ad Angelorũ essentiam?

DIFFICVLTAS I,

An Angeli sint spirituales, & incorporei?

1 SVppono, Angelos esse substantias intellectuales. Quia sunt personæ: vt notabamus in proœmio *n. 2.* Persona autẽ est *intellectualis naturæ incõmunicabilis existentia*, vt dixit Richard. à Sanct. Vict. *lib. 4. de Trin. c. 12* tamẽ quia cũ esse personæ, aut intellectualis subſtãtiæ cõpletæ potest cõpati; quòd persona sit omnino, & merè spiritualis; vt sunt personæ diuinæ: itẽ, & quòd nõ sit merè spiritualis, sed partim spiritualis, & partim corporea; vt sunt personæ hominũ. Ideo quærimus, quid circa Angelos in hac re sit tenẽdum?

2 Res-

2 Respondetur, esse merè spirituales. Quia obsolutè vocantur in Scriptura *Spiritus*: *ad Hebræos* 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus*; & alibi sæpe. In scriptura vero ly *Spiritus* significat rem incorpoream: *Ioan.* 4. *Spiritus est Deus*; & alibi sæpe. Et ratio est, quòd de Angelis dicuntur multa, quæ videntur esse satis difficilia, si sint corporei: & non merè Spiritus: summa enim velocitate dicuntur terram peragrare & circuire, & de cœlis ad terras descendere. Item, quòd intrant in humana corpora, & alia corpora penetrant: immo tota vna legio (quæ comprehendit sex millia, sexcentum sexaginta sex) potest esse in vno corpore. Et demum, quia in Concilio Lateranensi 3. (celebrato sub Innoc. 3. *anno* 1215.) & refertur in cap. *Firmiter* de summa Trin. sic habetur. *Creator omnium visibilium, & invisibilium spiritualium, & corporalium sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit spiritualem, & corporalem Angelicam, & mundanam naturam.*

3 Hanc conclusionem supponit Scotus sæpe, sed præcipuè *in* 2. *d.* 2. *quæst.* 6. §. *Ad propositum. vers. Sanè*, quatenus concedit, Angelum esse indiuisibilem: *& in* 4. *d.* 44. *q.* 2. vbi malos Angelos vocat spiritus, & incorporeos. Item hanc conclusionem tenent omnes Scholastici; Distinctionistæ cum Mag. *in* 2. *d.* 8. Thomistæ verò cum D. Thom. 1. *p. quæst.* 50. *art.* 1. Ex Patribus autem *Dionys. Nazianz. Athan. Basilius Greg. Nissenus*, & alij, quos citant communiter, præsertim *Vazq. disp.* 168. *cap.* 3. *& Suar. lib.* 1. *cap.* 6. *à n.* 11. Nobis autem sufficiant *Greg. Magn. & Aug.* quorũ verba adducit Scotus *quæstione illa* 2. Gregorius ergo 4. *Dialog. cap.* 30. sic loquitur: *si diabolus, eiusque Angeli, cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ, antequã, recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?* Aug. verò 21. *de Ciuit. c.* 10. dicit: *Cur nõ dicamus, quamuis miris, veris tamen modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum incorporei possunt, vel poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?*

4 Sed Angelos esse corporeos docuerunt *Caiet. in cap.* 2. *Epistolæ ad Ephesios, & Augustinus Eugubinus lib.* 8. *de Perenni Philosophia cap.* 27. (quamvis enim solùm de dœmonibus loquatur idem de bonis Angelis affirmare debet.) Et pro hac sententia plures Philosophos adducit; quos etiam secuti sunt *Vimphus lib.* 3. *de Dæmonibus cap.* 3. *& Franciscus Georgius lib.* 1. *Problematum cap.* 57. *&* 74. *& lib.* 6. *cap.* 330. et ideo *cap.* 30 ò putat, eos nidoribus sacrificiorum delectari, habitare in locis humidis, & similia. Ex Patribus verò tenuerunt hanc sententiam *Rupertus, Origin. Cæsarius*) frater

ter Nazianzeni) *Tert. Hil. & August.* Quam opinionem sequuntur quotquot affirmant, Angelos cum mulieribus coijsse, & genuisse Gigantes. Ita senserunt *Lactantius, Tertull. Ambros. Irineus, Eusebius Cæsari. Clemens Alex. Methodius, Iustinus, & Iosephus*, citati à prædictis Recentioribus. Vnde *D. Bern. serm. 5. in Cant.* Proponens satis distinctè hanc quæstionem, dicit, Patres in hoc diuersa sentire, & se quid verius sit ignorare. *Et lib. 5. de Consider. cap. 4.* cum eis corpora tribuisset, addidit: *Si quis dixerit, id inter opinabilia esse, non contendo.* In primis ergo contra nostram sententiam obijcies authoritatem horum Patrum. Respondetur, pro nostra sententia stare omnes Patres *num. 3.* citatos.

4. Obijcies secundò, illud *Genes. 6. cùm ingressi essent Filij Dei ad filias hominum.* Vbi Septuaginta legunt, *Angeli Dei*: ergo Angeli habent corpora, quibus fœminas cognoscere & Gigantes generare potuerunt. Respondetur, Ambros. Athanas. & multos alios putare illos filios Dei, qui acceperunt sibi vxores, fuisse filios Enos; qui acceperūt sibi in vxores filias Cain. Filij vero Enos dicuntur Filij Dei; quia Enos cœpit invocare nomen Domini; vt dicitur *Gen. 4.* Et ideo tam ipsi, quàm omnes ab eo originē trahentes Filij Dei meritò appellati sunt. Sicut Christiani modò dicuntur, qui Christum inuocāt, eorumque filij qui in eadem fide permanent. Filiæ verò Cain vocabātur filiæ hominum: quia imitatæ mores parentum suorum rebus terrenis erant addictæ, sicut earum progenitores. Respondetur secundò, quòd, etiamsi legamus *Angeli Dei* cum Septuaginta, neganda est consequentia: cum scriptura aliquando viros Sanctos vocet Angelos: vt patet *Matth. 11.* vbi iuxta prophetiam *Malach. 3.* Ioannes vocatur Angelus. & *Deut. 32.* secundùm translationem Septuaginta interpretum dicitur: *Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei*: Vulgata verò editio habet; *iuxta numerum filiorum Israel*, qui Filij Dei dicebantur, eò quod colebant verū Deum, erantque viri fideles. Respondetur tertiò, quòd sensus illius loci est, quod nobiles, & potentes acceperūt sibi vxores de media plebe, & ex illis Gigantes genuerunt. Quæ solutio fundatur in hoc, quod iuxta phrasim Hebraicam Dij pluraliter vocantur illi, qui sunt nobiles, potētes, aut iudices in populo; iuxta illud *Ps. 81. Ego dixi; Dij estis, & filij excelsi omnes*: & iterum; *Deus stetit in sinagoga Deorum.* Immo aliquando Scriptura potentes vocat Angelos: iuxta illud *Iob 41. Timebunt Angeli, & territi purgabuntur*: vbi sermo est de potentibus, & robustis hominibus

bus. qui etiam coram animali Leuiathan maximo incutiebantur timore. Et ideo expositio ista sustineri potest, etiam si cùm Septuaginta legamus *Angeli Dei*.

5 Sed contra has solutiones stare videtur, quòd nõ apparet, quomodo a viris communis staturæ potuerint gigantes generari: fuit ergo necessarium, quòd generarentur ab Angelis. Respondetur, cum August. 15. *de Trinit. cap. 23.* hoc mirum non esse; quia paucis annis ante excidium Romanũ factum à Gothis, Romæ nata fuit fæmina Gigantea ex patre, & matre communis staturæ.

6 Obijcies secundò, quòd dœmones dicantur rebus sensibilibus delectari, nempe bonis odoribus, & his similibus. sicut ex antiquis Philosophis refert August. 8. *de Ciuit. cap. 16. & alibi. item* Cyrill. *lib. 4. contra Iulianu 1, &* Theodoretus *lib. 3. & 7. Græcarum affectionum*, Et *Tobiæ 6* constat, dœmones fugari fumo iecoris cuiusdam piscis. Et *Matth. 25.* cremantur igne corporeo. Quæ omnia sine corporibus pati nõ possẽt dœmones ergo sunt corporei. Respondetur, hos Patres id quidem ex Philosophis retulisse, non tamen approbasse. aut in eorum examinatione, nõ fuisse commoratos. Si tamen aliquis Patrum horum Philosophorum sententiæ acquiescat, dicendum est, dœmones delectari rebus corporeis nõ per se; sed quatenus res corporeæ interdum sunt signa aliquarum rerum spiritualium; (nempe actuum internorum, quibus homines ipsos dœmones adorant; se illis submittunt, &c.) vt ex August. notat Becanus *cap. 2. q. 2. n. 4.* Ferè eodem modo. Resp. ad illud de fumo piscis: fumus enim ille non fugauit per se dœmonem, sed fuit signum orationis Tobiæ, & Saræ, cuius merito Angelus Raphael expulit dœmonem à Sara: vt docet noster Lyra ibi. Ad illud de igne inferni cremante dœmones, respõdetur, dici eos cremare in quantum eum apprehendunt sub ratione disconuenientis, illumque refugiunt; ex qua nolitione oritur in eis tristitia: vt docẽt Scotus *in 4. dist. 44. quæst. 2. §. De secundo. D. Thom. D. Bonau. Gab. Dur. & alij*, quos citat Cavellus in Scholio ad §. illum.

7 Obijcies tertiò, spectare ad perfectionem vniuersi, quòd in eo sint aliquæ personæ creatæ, non purè spirituales: sed corporales, intelligentes tamen sine sensu: sicut sunt aliæ nẽpe homines, intelligentes cum dependẽtia sensuum: aliàs iste personarũ gradus deficeret in mundo: ac per consequens inde esset minus perfectus. Respondetur, hanc rationẽ esse aliqualem congruentiam: vrgentior tamẽ cõgruẽtia est, quod sit in vniuersa persona crea-

creata purè spiritualis, quæ magis assimilatur suæ causę nempe Deo; qui est purus spiritus. Obijcies quartò, quòd, si Angeli non sint corporei, nó possent moueri per locũ, & spatiũ corporeũ. Resp. negando: anima enim rationalis est spiritus, & tamen in corpore existit; & à corpore, separata per spatium corporeum ascendit in cœlum, &c.

8 Obijcies quintò, quòd: *in Conc. Niceno 2.* (quod est septima synodus generalis) *action.* 5. videtur apertè confirmata prædicta sententia. Cùm enim ibi ageretur de cultu, & adoratione imaginum, lectus est liber Ioannis Thesalonicensis Episcopi in quo cum gentili Philosopho disputans, contendebat, Angelos pingi posse; eo quod essent corporei: & hanc affirmabat esse communem Patrum, & Ecclesiæ sententiã. Quam Patres, qui erant in Concilio approbarunt. Respond. verum esse Ioannem Thesalonicensem, & multos Patres ita sensisse; vt constat ex dictis *a num.* 4. Conciliũ autem tãtùm approbavit conclusionem Ioannis Thesalonicensis, scilicet Angelos pingi posse; non tamen rationem illius, nẽpe, quia Angeli sunt corporei. Dices, si ratio, cui nitebatur illa conclusio, erat falsa, (nempe Angelos esse corporeos) cur Cõciliũ approbavit conclusionẽ, & illã definiuit? Resp. illam rationem tũc temporis esse probabilẽ: & ideo Patres cõcilij non debuerũt respuere illã. Adde, quòd Ioannes ille adducebat etiam aliam ratiõnẽ, scilicet quòd Angeli sub humana figura dignati sunt apparere. Concilium ergo innitendo huic certissimæ rationi approbavit illam cõclusionem, & illam definivit; scilicet Angelos sub forma corporea depingi posse. Permisit autem & non reprobavit illam aliam (nempe Angelos esse corporeos) non tamquàm certam, sed tamquàm eo tempore probabilem.

9 Ex dictis in hac difficultate habemus, Angelos esse mere spiritus. Vnde reijcitur placitũ aliquorum, qui dixerunt, Angelos esse omnino corporeos, quoàd totam entitatem substantialem suæ naturæ. Sic sentit *Tertull. teste D. Isid. lib. 8. Etymol. cap.* 5. cùm enim non solùm animam rationalem, sed etiam Deum ipsum corporeum faciat; idem profectò sentiet de Angelis. Sic etiam senserunt alij Patres qui etsi faterentur, Deum esse incorporeum; dicebant tamen nihil creatũ esse incorporeũ. Ita *Hil. Elias Cass. Machar. senior, Ioannes Thesalonicẽsis in septima Synodo, & Faustus, quos citat Suarez. lib.* 1. *capit.* 5. *numero* 4.

10 Reijcitur etiã placitũ aliorum, qui dixerunt Angelos esse corporeos, non quia nihil spirituale habeant, & incorporeum, sed

sed quia sine corporibus non subsistunt, etiam si spiritum etiã habeant. Ita senserunt Orig. *Cæsarius Elias, Basil. Athanas. Method. Aug. Bern. Rupertus, & Gaudianus* relati ab eodem Suarez *cap. 6. à num.* 1. Conspirant omnes relati pro vtroque modo philosophãdi de Angelorum corporibus, immo omnes Philosophi, Theologi, & Patres in suppositione, quod Angeli habeant corpora, vnum & idem affirmant, nempe quòd illa corpora sunt subtilissima: & ideo Patres præsertim Aug. eorum corpora aliquando vocat aerea, aliquando ætherea.

DVBIVM I.

11 PEtes, qua certitudine sit tenenda nostra conclusio *n.* 2. posita, nempe Angelos esse merè spirituales? Respondetur, non esse de fide. Quia nondum ab Ecclesia est definita. Sic cõmuniter Authores, præsertim Suar. *cap. illo 6. num.* 10. *Vazquez disp.* 168. *c.* 3. *num* qui referunt; & sequuntur *Bartholomæum* Carrança *in annot. ad 7. synodum act.* 5. *Canum lib.* 5. *de locis cap.* 5. *in fine quæst.* 4. & *Sixtum Senensem lib.* 5. *Biblioth. anno* 8. Dices, quòd verbis illis Concilij Lateran. n. 2. relatis videtur aperte esse definitum, Angelum esse naturam spiritualem. Respondetur, cum præcitatis Authoribus, concilium solùm voluisse, definire, Deũ omnia condidisse, seu esse authorẽ omniũ rerum; reliqua verò obiter, & probabiliori modo loquendo dixisse.

DVBIVM II.

12 PEtes secundò, an saltem sit aliqua censura dignum, nunc tẽporis affirmare Angelos esse corporeos? Affirmant præcitati Authores: dicunt enim hoc esse temerarium. Idem docent *Iacobus Granados t.* 3. *in primam partem controu.* 7. & 1. *disp.* 1. *num.* 4. & *Petrus Arrubal in primam partem lis.* 148. *c.* 2. *n* 15. Ego autem existimo, cum Rada 2. *controu.* 5. *conclusione* 1. nunc tẽporis affirmare, Angelos esse corporeos, nulla cẽsura esse dignum. Quia, dum ab Ecclesia controuersia ista non definitur, munitur authoritate grauissimorum Patrũ, aliquorum Thealogorum, necnon & Philosophorum, qui aliàs hoc docuerunt, & propugnarunt; vt vidimus *num.* 4. & 9. Insuper habet prose omnia, quæ contra nostram conclusionem obiecimus à *num.* 4. quæ non sunt omnino contẽnenda; præsertim illud de fumo piscis fugante dæmonem *Tobi.* 6 & acclamationem septimæ synodi pro assertis à Ioanne Thessalonicensi: vt expendebamus *n.* 6. & 8. Expendatur etiam, dixisse D. Bern. *n.* 1 citatũ, Patres de hac quæstione diuersa sentire, & se id,

id, quod verius sit ignorare: & iterum quòd est materia opinabilis. Propter quæ est mihi satis persuasum, nostræ conclusioni oppositam sententiam etiam nunc ab omni censura esse liberam quoadvsque ab Ecclesia damnetur. Immo addo, etiam nunc temporis esse probabilem: vt in simili dicebamus *cap. 1. diff. 3. à num.* 18. vnde aliqua hic sunt applicanda.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum in Angelis admittenda sit aliqua compositio?

1 RESpondetur affirmativè. Quia in primis Angelus est compositus ex genere, & differentia. Est enim substantia finita; (quæ est ratio generica) spiritualis, seu incorporea. (quæ est ratio differentialis) Dices, quòd propter hanc rationem etiam anima rationalis erit composita ex genere, & difrentia: cùm sit substantia finita spiritualis, seu incorporea. Respondetur negando assumptum: anima enim est quid incompletum & ex natura seu ordinatum ad qualificandum. Et ideo conceptus substantiæ, qui ab anima abstrahitur, non potest esse totum potentiale respectu alicuius speciei. Quod esse necessarium ad rationem generis, suppono cum communi Dialecticorum sententia. Item ille conceptus substantiæ, qui ab anima abstrahitur, nequit, non ordinari ad qualificādum: quod etiam rationi generis repugnat.

2 Est etiam Angelus compositus ex essentia, & existentia, Quia habet essentiam finitam, & limitatam: omnis autem essentia finita est in potentia ad existendum: & consequenter facit compositionem cum illa. Petes, an hæc compositio sit realis? an rationis tantùm? Resp. esse formalem; eoquòd essentia, & existentia, quę sunt extrema huius compositionis, distinguūtur â parte rei distinctione formali; cùm habeant aliam, & aliam conceptibilitatem; & aliàs hæ duæ formalitates (*essentia, & existentia*) sunt omnino inseparabiles: etenim non potest dari actualis essentia sine existentia actuali. Eodem modo loquendū est de compositione facta ex genere, & differentia, nempe neque esse compositionem rationis tantùm; neque realem rigorosam; cùm extrema non distinguantur realiter, sed esse compositionem formalem, id est, repertam inter extrema ex natura rei formaliter distincta.

3 Item reperitur in Angelis compositio ex tota essenria, & indiuiduatione, seu hæcceitate. Essentia enim Michaelis v. g.

eò quòd creata, & finita est, non imbibit necessariò suam singularitatem, sed est metaphysicè indifferẽs ad illam, & ad quamcumque aliam. In quo differt à diuina essentia: hæc enim cùm sit infinita, necessariò identificat secum hanc numero singularitatem: neque potest cum fundamento in re concipi cum indifferentia ad aliam singularitatem: cùm sit ens necessariò existens. Compositio ista etiam est formalis: hæcceitas quippe Angeli ab eius essentia distinguitur à parte rei distinctione formali.

4 Insuper reperitur in Angelis compositio ex hoc numero indiuiduo, & eius subsistentia, suppositalitate, aut personalitate: hæc enim tria vocabula in præsenti idem significant, nẽpe illam entitatem, seu modum, per quem natura completa indiuidua substantialis redditur omnino incommunicabilis alteri. Cùm ergo natura indiuidua substantialis, & completa sit in potentia ad recipiendum prædictam subsistentiam, ista cum illa facit compositionem. Quæ est realis: cum natura, & subsistentia realiter differant; immo vna potest ab alia separari: vt patet in mysterio Incarnationis: humanitas enim Christi Domini manet sine propria subsistentia seu personalitate, in cuius loco subrogatur personalitas Verbi Diuini.

5 Denique in Angelis reperitur compositio ex subiecto, & accidenti. Intelligit enim, & vult per intellectionem, & volitionem ab ipso realiter distinctas: ad quas recipiendas Angelus est in potentia, & quælibet illarum ipsum accidentaliter actuat. Vnde constat, quòd hæc compositio est realis: cùm substantia, seu Angelus, & accidens, seu eius volitio, aut intellectio (quæ sunt extrema huius compositionis) realiter distinguantur: immo realiter separantur. Angelus enim antequàm intelligat, aut velit hoc obiectum (hominem v.g.) existit sine volitione, & intellectione illius. Sed Suarez *lib. 1. cap. 7. num. 8.* dicit, quòd Commentator *12. Metaph. Commento 25. & Simplicius in capite de Qualitate, & Maximus super Dionys. de cælesti hierarchia* absolutè dixerunt, omne accidens ab Angelis esse repellendum. Falluntur tamen; quia eo ipsò quòd Angelus est limitatæ virtutis, non potest velle, aut intelligere per se ipsum. Et etiam cùm non sit purus actus, debet actuari per aliquid realiter distinctum.

DVBIVM I.

6 PEtes, an Angelus sit compositus ex materia, & forma? Respondetur negativè. Quia non est corporeus: vt satis probavimus difficultate præcedenti. Hanc conclusionem supponit Scotus *quodlibet. 9. §. De secundo à Vers. Quarta ratio,* quatenus affirmat, quòd intellectio est operatio immaterialis, quatenus eius proximum receptivum non includit materiam saltem corporalem. Eamdem conclusionem defendunt communiter adeo vt Vazquez parum ante *disputationem* 179. meritò dicat, omnes Patres, qui dicunt, Angelos esse incorporeos, etiam affirmare carere materia sequendo doctrinam Aristotel. qui eos appellavit intelligentias à materia separatas. Immo in rebus corporalibus si non videremus fieri transmutationes, aliquo corporeo manente, nullus suspicari posset, in ipsis esse materiam distinctam à forma. Hinc *Henriq. quod.ibet.* 4. *quæst.* 16. *& Dur. in* 2. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *num.* 16. putant, cœlum non constitui, materia, & forma, etiamsi corporeum sit; quia non videmus, aliquam substantialem in eo mutationem fieri, corporeo aliquo communi manente: cuius oppositum non facile potest probari: vt benè obseruat Vazquez citatus. Ad rem ergo: cùm in Angelis non sit aliqua substantialis mutatio, aliquo communi manente, non habemus, vnde colligamus in illis esse materiam.

7 Tamen nostri *Bouent. in* 2. *dist.* 3. 1. *part. distinctionis artic.* 1. *quæst.* 2. *Alens.* 1. *part. quæst.* 20. *memb.* 2. §. 1. *&* Ricardus *distinction.* 3. *art.* 1. *quæst.* 2. dixerunt, Angelum quidem non esse corporeum, constitui tamen ex materia quadam, & forma, hoc est, ex potentia, quam vocant materiam, & ex actu, quem appellant formam. Avicembron verò *in libro fontis vitæ* dixit, Angelos vera materia eiusdem rationis cum materia corporum sublunarium constare. Quam sententiam sequutus est Guilliermus Vorillion *in* 2. *dist.* 3. vt testatur Pilosus *d. Iom.* 8. *art.* 7. *numero.* 6. Vtraque ergo sententia conspirat in hoc, quòd Angelus componitur ex materia; sive ista sit capax quantitatis, & eiusdem rationis cum nostra; siue sit alterius rationis, incapax quantitatis molis; siue sit materia spiritualis, vt alij dicunt.

8 Pro hoc ergo in quo contra nostram conclusionem *numero* 6. positam conspirat vtraque illa sententia, obijcies D. Augustin. *lib.* 1. *de mirabilibus Sacræ Scripturæ capit.* 1. di-

dicentem: *Omnipotens Deus ex informi materia; quam ipse prius de nibilo condidit, cunctarum rerum, hoc est, sensibilium, & insensibilium, intellectualium, & intellectu carentium species multiformes divisit.* Respondetur; August. & multos alios Patre cum Platone sensisse, Angelos habere corpora; vt constat ex difficultate præcedenti: & consequenter dixerũt, compositos esse ex materia. Oppositum autem nos defendimus cum multis alijs Patribus, quos ibi citavimus præsertim *num.* 3. Hæc solutio applicanda est Augustino 9. *de Civitat. capit.* 12. & 13. affirmanti, Angelum esse animal rationale. Itaque solùm intendit, Angelum habere corpus, constareque materia, & forma: sicut constat homo. Immo hinc secutus Plantonem existimavit, Angelum esse mortalem ex se, licet beneficio creatoris sit immortalis.

9 Obijcies secundò cum Avicembron: Angeli essentialiter conveniunt cum substantijs corporeis, & ab illis essentialiter differunt: ergo habent materiam vtrisque communem, in qua conveniant; & propriam formam, per quam differant. Respondetur negando consequentiam: illa enim conuenientia non est physica, seu in aliqua physica parte Angeli, quæ sit communis ipsi, & homini, aut alijs substantijs corporeis: sed est convenientia metaphysica, nempe in prædicato substantiæ, quod vtrique est commune; & diuiditur per differentias corporeæ, & incorporeæ. Sed instabis: illud prædicatum substantiæ est genus ad substantiam corpoream, & incorpoream: sed genus sumitur a materia; & differentia à forma: ergo in Angelo reperitur vera materia, à qua sumitur ratio generis; & vera forma, à qua sumitur ratio differentiæ. Respondetur negando minorem: genus enim, & differentia sumuntur à tota entitate rei considerata secundùm diversos gradus conuenientiæ, & disconvenientiæ, quos in illa re consideramus: vt docet Scotus *in* 1. *distinct.* 8. *quæst.* 3. §. *Teneo à Vers. Hanc rationem.* Quare propositio illa (genus sumitur à materia, & differentia à forma) solùm est vera per similitudinem; aut proportionem: hoc est, quòd genus sumitur à tota re secundum illum gradum, qui reperitur in re communis sibi, & alijs; qui gradus assimilatur materiæ physicæ, quæ communis est multis rebus. Item differentia sumitur à tota re secundùm illum gradum rei qui ita est proprius illius, vt non conueniat alijs. Qui gradus assimi-

similatur formæ quæ est propria huius rei, & alijs nō communicatur.

10 Obijcies tertiò: Angelus se movet quoâd cognitionem, & alias operationes vitales; immo & motu locali: sed nihil agit, & patitur secundùm idem: ergo Angelus habet formam, secundùm quam se movet; & similiter habet materiam, secundùm quam movetur. Respondetur distinguendo minorem: secundùm idem formaliter, concedo: secundùm idem realiter, nego. Itaque, non est necessarium, quòd movens, & motum distinguantur realiter; sed sufficit, quòd formaliter seu secundùm diuersas formalitates distinguantur. Vt patet in anima separata; quæ non distinguitur realiter à se ipsa; & tamen se ipsam movet producendo, & recipiendo in se ipsa cognitiones, volitiones, & motus locales: ad quod sufficit, quòd in ipsa, potentia productiva sit formaliter distincta à potentia receptiva; seu sufficit quòd ipsa inquantum principium produductivum motus, sit formaliter distincta à se ipsa, inquantum est receptiva motus. Vnde negatur consequentia. Respondetur secundò cum Piloso *disp. 8. artic. 7. numero 7.* concedendo, quòd movens, & motum, aut agens & passum debent realiter distingui; negando tamen consequentiam: etenim quamvis aggregatum ex Angelo, & eius intellectione (volitione, aut motu locali) realiter distinguatur à substantia, & potentia (productiua, aut receptiva) Angeli; nōn inde infertur, quòd Angelus habeat materiam, aut formam.

11 Obijcies quartò: nulla substantia creata est purus actus: aliàs esset Deus; neque est pura potentia; aliàs esset nihil & consequenter omnis substantia creata componitur ex actu, & potentia, scilicet ex materia, & forma. Modò sic. Sed Angelus est substantia creata: ergo componitur ex materia, & forma. Respondetur, explicando maiorem: est enim verum, nullam substantiam creatam esse purum actum: cum nulla creatura excludat potentiam recipiendi aliquid à se realiter distinctum, per quod aliquo modo perficiatur. Vt patet in Angelo (& anima separata) qui novis intellectionibus, volitionibus, memorijs, & relationibus perficitur. Item verum est, nullam substantiam creatam, dùm actualiter existit, esse puram potentiam obiectiuam; aliàs non existeret actualiter. Tamen aliqua substantia creata completa, aut incompleta potest esse purus

actus excludens materiam. Vt patet in anima rationali, quæ taliter est actus corporis, aut materiæ, vt nihil corporis, aut materiæ includat. Et quamvis Angelus non possit actuare materiam, cùm sit quid completum, & subsistens: vt probat Scotus *quodlibet. 9. §. De secund. à Vers. Prima ratio*: potest tamen dici purus actus, quatenus in se non includit aliquam materiam, (quæ ditur pura potentia, hoc est, nihil actus, vel formæ includens,) aut saltem, quatenus secundùm omnes est incapax recipiendi aliquid materiale; licet aliàs sit capax recipiendi accidentia spiritualia, vt sunt intellectio, volitio, &c. Vnde patet, in quo sensu possit esse verum, quòd omnis substantantia creata componitur ex actu, & potentia. Verum enim erit, si intendatur, quod omnis substantia creata, dùm actualiter existit, habet actum existendi, & simul habet potentiam recipiendi aliquid à se realiter distinctum Sin verò intendatur, quòd omnis substantia creata componitur, tàmquàm ex duabus partibus physicis, ex materia prima, & ex forma, falsum est: vt patet non solùm in anima rationali, sed etiam in Angelo. Ex quibus in forma respondetur concedendo, quod omnis substantia creata includit aliquam potentiam: negando tamen, quòd hæc potentia in Angelo sit materia prima. Etenim solùm est potentia subiectiva, seu receptiva accidentium: aut altera pars ipsum metaphysicè componens; quæ pars dicitur genus: estque quoddam, prædicatum, aut quædam formalitas reperta in entitate Angeli quæ dicitur substancia; in qua formalitate, aut prædicato Angelus convenit, cum omnibus aliis substantijs completis corporeis, aut incorporeis.

12 Obijcies quintò: informis datur aliqua spiritualis, nempe anima rationalis: ergò potest similiter dari aliqua materia spiritualis: ergo illam includet Angelus, tanquam alteram partem sui. Respondetur negando, posse dari materiam, spiritualem: materia enim, cùm sit pura potentia subiectiva seu nihil perfectionis formæ includens, nequit habere intra se gradum spiritualitatis, qui gradus est valde perfectus.

DV.

DVBIVM II.

13 CONstat ex dictis in dubio præcedenti, Angelum non componi ex materia, adhuc spirituali, tamquàm ex altera parte sui esse: restat examinare, an saltem possit materiam informare? Respondetur negatiuè cum Scoto *quodlibet. 9. §. De secund. à vers. Prima ratio.* Quia Angelus est ens completum habens vltimam actualitatem, non solùm in esse naturæ, sed etiam in esse subsistentis, aut personæ: ergo repugnat, quòd materiam informet, etiam per absolutam Dei potentiam. Dices, Verbum Diuinum est perfectè subsistens: sed potuit assumere materiam separatam à forma: (vt dicam *in tractat. de Incarnation. cum Suarez, Becano, & alijs* contra Vazquez, & alios) ergo, & Angelus poterit informare materiam. Respondetur negando consequentiam. Verbum enim assumeret materiam, non eam informando; sed terminando eius dependentiam, hoc est, subrogando propriam subsistentiam loco subsistentiæ, quàm materia prima haberet saltem in toto.

14 Instabis: ergo saltem hoc modo poterit Angelus sibi vnire materiam primam. Respondetur, consequentiam illam extra chorum saltare. Tantùm enim loquimur in præsenti de vnione per informationē, Permitto tamen consequentiam. Scotus enim *in 3. dist. 1. quæst. 4.* problematicus est circa quæstionem istam, vtrùm persona creata possit terminare alienam naturam? Immo magis inclinat in partem affirmatiuam: vt etiam dicam *in tractatu de Incarnatione.* In qua sententia dicetur consequenter, posse Angelum terminare dependentiam materiæ primæ: sicut de personalitate Verbi nuper dicebamus.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Angeli sint immortales, & incorruptibiles?

1 SVppono, Angelos tàm bonos, quàm malos in perpetuum duraturos, seu nūquam esse corrumpendos. Quia bonorum præmium, & malorum supplicium est æternum; iuxta illud *Matth. 25. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Quamuis enim ibi de hominibus sit sermo: idem omnino esse dicendum de Angelis bonis, & malis, nemo dubitat. Quare solùm quærimus. An Angeli ex natura sua sint immortales, & incorruptibiles?

2 Respondetur, affirmativè: Quia sunt purè spiritus, *ex diff*, 1. ergo habuerunt esse per creationem: vt dixi; *capit*. 1. *diffic*. 2. *numer*. 1: ergo solùm possunt destrui per annihilationem; Confirmatur instantiâ materiæ primæ, quæ non aliâ ratione ingenerabilis, & incorruptibilis appellatur ab omnibus, cùm Arist. 1. *Physicor*. *cap*. 9. *textu* 82.

3 Hanc conclusionem sæpissimè supponit Scotus præcipuè *in* 2. *dist*. 12. *quæst*. 1. quatenus sæpe conculcat, quòd sola materia reddit rem corruptibilem: præsertim legatur §. *Positio ista*, *Vers*. *Præterea secundò*, vbi expressè affirmat, quòd *nulla substantia*, *quæ est forma simplex*, *est corruptibilis per aliquid sibi intrinsecum*, &c. Et *in* 3. *dist*. 22. *quæst*. 1. §. *& Vers*. *Rationes*, quatenus affirmat, quòd *passio corporis mixti compositi ex elementis est corruptibilitas*. Eamdem etiam defendit D. Thom. 1. *p*. *quæst*. 50. *art*. 5. *&* *eius discipuli*; *item Dur*. *quos citat*, *&* *sequitur Suar*. *lib*. 1. *cap*. 9. *num*. 6. *Idem tenet Becanus tract*. *de Angelis cap*. 1. *q*. 2. *num*. 6. *& multi alij*. Estque sententia Aug. Athan. & aliorum Patrum, quos adducit Suarez *ibi num*. 3. Nobis autem sufficiat Damasc. *lib*. *de Decret*. *& plan*. *cap*. 7. dicens: *Quod vacat corpore*, *id rationis est particeps*, *&* *immortale*: *vt animus*, *Angelus*, *&* *dæmon*.

4 Sed oppositum defendit Vazquez *disp*. 182. *c*. 2. *à num*. 4. citans ex nostris *Alens*. *D*. *Bon*. *Scotum*, *Ricardum*, *&* *Ocam*: ex alijs autem *Gab*. Item pro suâ sententiâ adducit *Iustinum*, *Cyrillum*, *& aliquot alios Patres*, qui dicunt, Angelos non esse immortales, seu non habere naturam immortalem; sed solū Deum esse immortalem: & quòd cuiuscumque creaturæ immortalitas nō est à natura, sed à gratia: ei. Sufficiant Iustinus, & Sophronius: ille *in libro quæstionum quas Gentes Christianis ponunt de Deo*, *quod corpore vacat q*. 13. Sic loquitur: *Quorū immortalitas ex alterius voluntate pendet*, *ea immortalia esse non possunt*. *Itaque soli Deū immortalitatē habere dicimus*. Sophronius autē *in sua Epistola*, *quæ recitata fuit in Concilio Synodo act*. 1. *& approbata act*. 13. *circa mediū* sic fatur: *Angeli immortales perseverant*: *non naturâ re vera* (*sicut asserunt*) *propriè immortalē habētes essentiā*; *sed gratiā à Deo sortiti sunt*, *quæ immortalitatem largitur*, *& incorruptionem eis prouidet*.

5 In primis ergo obijcit nobis Vazq. Scotū, & hos Patres. Resp. solū intendere, Angelos non esse immortales, & incorruptibiles ex se, & indepēdēter ab alio: sicut est Deus indefectibilis & indestruibilis à se ipso, & ab alio. Nō tamē intēdūt, quòd Angeli habēt naturā corruptibilē: sicut illā habēt homines, & sublunaria: quæ sicut habēt esse per generationē, ita desinūt per corruptionem.

6 Pro

6. Pro ampliori autem, solutione horum Patrum; necnō & aliquarum rationum, quæ cōtra nostram conclusionem fiūt, nota quòd corruptibile (sicut, & in corruptibile ei oppositum) dupliciter potest accipi. Primò propriè: secundò latè. Propriè sumptum significat id solùm, quod per physicam corruptionē destruitur, seu quòd taliter destruitur, vt aliquid illius maneat: sicut illud dicitur propriè generari, cuius aliquid præexistit: vt patet in corporibus sublunaribus in quorum generatione præexistit materia; quæ etiam post corruptionem manēt. Corruptibile latè sumptum significat, seu supponit pro eo, quod quomodocūque destrui potest, sive per corruptionem physicam, sivè per annihilationem. E contra loquendum est de incorruptibili. Propriè enim sumptum supponit pro eo tantùm, quod non potest destrui per corruptionē physicam, seu manente aliqua eius parte. Hac ratione dicuntur incorruptibilia materia prima, anima rationalis, Angelus, gratia sanctificans, & omnes habitus, quos per se infusos appellant: qui saltem sunt fides, spes, & charitas habituales. In corruptibile autem latè, aut latiùs (vt loquitur Becanus citatus) dicitur illud, quòd nullo modo test destrui sive per physicam corruptionem, sive per annihilationem. Qua ratione solus Deus dicitur incorruptibilis.

7. Pariformiter loquendū est de mortali, & immortali. Mortale enim propriè loquendo solùm dicitur illud, quòd per mortem desinit esse: latè autem dicitur illid, quod desinit, sive per mortem, sive per annihilationem, sive quocumque alio modo. A cōtrario verò immortale propriè dicitur illud, quod nequit amittere esse per mortem: latè autem dicitur immortale, quod nullo modo potest amittere esse, sive per mortē, sive per annihilationem, sine quocumque alio modo.

8. Ad rē ergo: quando Scholastici, & aliqui Patres dicunt, Angelos esse immortales quamvis id a se non habeant, sumunt immoralitatem propriè: sicut & qui dicunt esse incorruptibiles. Qui verò dicunt, esse mortales, aut corruptibiles, loquuntur de mortalitate, aut corruptibilitate latè sumpta.

9. Obijcitur secundò pro sententia Vazq. omnis creatura potest corrumpi à Deo: sed Angelus est creatura: ergo potest à Deo corrumpi. Respondetur, distinguendo maiorem: est enim vera de corruptione latè sumpta: falsa autem de corruptione sumpta strictè. Eodem modo distinguendum est consequens: & concedenda est consequētia de

cor-

corruptione lata; negandaque de stricta. Itaque nulla est creatura, quæ non possit à Deo saltem per annihilationem destrui. Non tamen potest quæcumque creatura destrui per corruptionem strictè aut propriè sumptã: quia ad hoc requiritur, quod res illa habeat partes, quarum vna desinat, altera manente; vt à n. 6. explicuimus. Et ideo Angelus valet quidem destrui per annihilationem: (quæ latè loquendo dicitur corruptio; eoquod cum corruptione propriè sumpta conveniat in hoc, quòd est destruere rem) non tamen potest destrui per corruptionẽ propriè dictam: cũ habuerit esse per creationem; nec habeat partes, quarum altera destructa, altera maneat: vt à n. 6. diximus.

10 Contra: res, quæ natura sua petit generari, potest creari: vt si Deus producat albedinem v. g. extra subiectum, seu independenter ab illo. Item res, quæ ex natura sua petit corrumpi, potest annihilari; vt si Deus albedinẽ v. g. quæ educta fuit à subiecto destrueret simul cũ subiecto etiã remoto, nẽpè cũ materia prima: ergo similiter res, quæ ex natura sua petit creari, (Angelus v. g.) poterit recipere esse per generationem; nec non & res, quæ ex se petit annihilari, poterit desinere esse per corruptionem. Respondetur negando consequentiam, aut paritatem; quia non apparet, quomodo possit corrumpi res, quæ ex se petit creari. Vt enim à n. 6. explicuimus, corrũpi ex propria, & stricta Philosophorum acceptione est taliter amittere esse, vt aliquid illius rei perseveret: sive illud, quod perseverat, sit pars intrinseca rei, nempe eius materia: (vt quando corrumpitur leo v. g.) sive sit subiectũ, à quo res illa fuit educta: vt patet in formis, præcipuè accidentalibus: quando enim corrumpitur albedo v. g. manet subiectum, quod denominabatur album. Idem dico de creatione: non enim apparet modus, quo res, quæ ex se petit creari, (anima v. g.) possit generari: repugnat siquidem, quòd anima v. g. educatur de materia, cùm in illa non contineatur; eòquòd est quid spirituale, & alterius ordinis) seu producatur dependenter in suo fieri, & conservari ab illa. Igitur cùm appareat modus, quo res aliàs generabilis, & corruptibilis, possit creari, & annihilari; non autẽ appareat quomodo res ex se creabilis, & annihilabilis, possit generari, & corrũpi; immeritò sumitur paritas de vno ad aliud.

11 Obijcitur tertio pro sententia Vazq. Illud, quod habetur ex dono gratiæ, nõ competit ex propria ratione naturæ: sed solus Deus est immortalis, aut incorruptibilis ex se; Angelus verò ex dono gratiæ; (vt dicunt Patres

num. 4. citati) ergo Angelus ex se, seu ex natura sua est martalis, & corruptibilis Resp. distinguendo consequens: est enim vera consequentia, si intendat, Angelum non habere ex se, sed à Deo liberè illum create, & conservante incorruptibilitatem, seu naturam, quæ solùm per annihilationem potest à Deo destrui. Falsa autem est consequentia, si intendat, naturam Angelicam, quam Deus liberaliter creauit, & conseruat, posse destrui per corruptionem propriè dictam.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Angelus ex natura sua sit defectibilis, aut convertibilis in nihil?

1 SVppono, Angelum non habere existentiam necessariã, & consequenter posse à Deo annihilari. Quæro, vtrùm ad hãc annihilationem habeat aliquam naturalem inclinationẽ, propensionem, aut potentiã realem? Sicut illam habent homo, & cætera sublunaria ad corruptionem. Respondetur negativè cum *Caiet.* & *Autoribus citatis diff.* 3. *n* 3. pro nostra sententia, sed præcipuè cum Suarez *lib cap.* 10. *à n.* 4. quibus adde Lorcam in manu scriptis *tract. de Angelis disp.* 2. *quæst.* 1. §. *Est tamen.* Et ratio est quòd sicut ad non operandum nulla potentia realis ponitũr in aliqua re; ita ad non essendum, seu ad desitionem rei nulla physica propensio est ponenda, per quam res aliqua directè, & quasi ex primaria intentione naturæ tẽdat ad destructionẽ sui.

2 Sed Vazquez *disp.* 82. *c.* 2. *n.* 5. videtur oppositum defendere, citatq; Auctores, quos difficultate præcedenti *n.* 4. citavimus. Pro quo obijcitur: Angelus natura sua non est annihilabilis ergo nequit annihilari: ergo non dependet à Deo in suo conseruari. Respond. negando consequentias: grave enim natura sua tamen est proijcibilis sursũ, & tamẽ potest proijci. Et ratio est, quòd ad hoc, vt Angelus (materia primà, anima, gratia & alia, quæ creantur) annihiletur, sufficit, quòd subsit omnipotentiæ Dei, quamvis ad hoc non dicat inclinationem, immo quamvis dicat positiuam repugnantiam: Vt patet in lapide, qui sursum proijcitur: ad quem motum dicit positivam inclinationem contrariam: proijcitur tamen, eoquòd habet potentiam passivam ad recipiendũ illũ motum; & aliàs subest potestati proijcientis, ad recipiendum talem motum.

2 Obijcitur 2. Angelus nõ est defectibilis seu destruibilis ex natura sua, etiã respectu Dei? Ergo simpliciter est indefectibilis, seu indestruibilis. Resp. negando consequentiam; si intendat

pos-

posse subsistere independenter à Dei voluntate, & eius libera conservatione. Sic enim esse indefectibile, aut indestruibile est proprium Dei, repugnatque communicari alicui creaturæ. Concedo tamen consequentiam, si intendat, Angelum intra se non habere aliquid physicè inclinans ad destructionem. Immo addendũ est, quamcũque substantiam spiritualem, eo quòd iam existat, exigere debito naturalis congruentiæ, vt à Deo conservetur in sua existentia, & fortè ipsamet existentia est naturalis inclicatio, seu secum illam habet identificatam ad conservationem.

4 Dices: ergo idem dicendum est de quacumque re existente, nempè quòd est simpliciter indefectibilis seu indestruibilis: siquidem eo quòd iam existit, exigit debito connaturalis congruentiæ, vt à Deo conservetur. Resp. negãdo consequentiã. Sunt enim diversæ naturæ rerum. Et quamvis nulla sit, quæ habeat naturalem inclinationem ad sui destructionem: aliquæ tamen sunt, quæ ex secundaria intentione naturæ corrumpuntur: vt patet in forma substantiali, (animam rationalem excipe) quę expellitur: etsi enim natura primò intendat novam formam intreducere in illam materiam; secundariò tamen, & per accidens destruit præexistentem. Aliæ etiam sunt res, quæ ex se petunt determinatam parvam durationem: vt sunt sonus, impulsus, &c. Quæ res aliquo modo videntur ex se ipsis esse defectibiles, seu destruibiles. Angelus autem (anima, materia prima, gratia sanctificans, & alia, quæ creãtur) ex nullo capite potest dici ex se defectibilis, aut destruibilis: quia nec habet determinatam durationem, nec constat materia prima; ex cuius inclinatione ad aliam formam provenit expulsio præexistentis.

5 Obiicitur tertiò: Angelus non ideo annihilabilis est, quia Deus potest illum annihilare; sed è contra: ideo Deus potest illum annihilare, quia annihilabilis est. Sicut nõ ideo est Angelus possibilis, quia Deus potest illum producere, sed ideo Deus potest illum producere, quia possibilis est: etenim potẽtia supponit obiectum suum saltem, vt possibile; ne circulus committatur: ergo in Angelo supponitur realis potentia ad annihilationem. Respondetur cum Suar. *ibi n. 6.* verum esse, Angelum esse annihilabilem, sicut est creabilis: non tamen est creabilis per realem potentiam in ipso existentem, sed per non repugnantiam ex parte sua. (Nõ curo modò, in quo consistat possibilitas rei, an scilicet in esse cognito, quod Angelus v. g. recepit à

cog-

cognitione diuina? an non repugnantia secuta ad illud esse cognitum? Sed dico quòd ex parte Angeli cogniti ab intellectu divino ad hoc, vt producatur solùm supponitur non repugnantia existendi.) similiter ergo adhoc vt sit annihilabilis Angelus, aut destruibilis à Deo non supponitur in Angelo aliqua entitas, potentia, aut propensio ad destructionem, sed solùm nō repugnantia, scilicet quòd non esse actu non repugnat essentiæ Angeli: quia non est de eius essentia existere.

6 Dices: illa non repugnantia fundatur in natura Angeli: ergo hoc erit sufficiens, vt Angelus dicatur natura sua annihilabilis. Respondetur negando consequentiam. Quia illa non repugnantia fundatur in natura Angeli secundùm esse essentiæ præcisè spectatæ: vt sic enim indifferens est ad existendum, & ad non existendum: & sic neutrum illi repugnat. Quare præcisè attenta non repugnantia, non magis potest absolutè dici annihilabilis quàm nō annihilabilis. Sicuti præcisè attētā ratione animalis, nequit absolutè dici de illa; quòd est homo: aut quòd nō est homo: cū neutrū illi repugnet, aut cū indifferēs sit ad hoc, vt sit homo. Adde cum eodem Suar. *ibi n. 7.* quòd postquā natura Angeli supponitur existens iā habet positivam determinationem ad esse, & quamdam exigentiam ad sui conseruationem, iuxta dicta *à numero 3.*

DVBIVM I.

7 Petes, an Angelus dicendus sit ens necessarium? An cōtingens? Respōdetur inter Theologos parum controversię de re posse in hoc reperiri. Supposito enim, quòd Angelus pendet à Deo in fieri, & conservari: sicuti quæcumque alia creatura; convenimus Theologi, (cōtra aliquos Philosophos antiquos: de quo aliqua labavimus *c. 1. diff. 2.*) Angelum non posse dici ens formaliter necessariū, (id est independens à Deo) sed dicendū esse ens simpliciter cōtingens. Potest tamen Angelus dici ens necessarium pro quanto non habet contrarium, vel non potest destrui ab aliquo creato; sed tantummodò potest annihilari à Deo non conservante. Sic philosophatur Scotus de Beatitudine *in 4. d. 49. q. 6. §. Hic duo ver. Cōcedo ergo*, & propter eamdē rationē philosopharetur de Angelo: nec aliud intendit locis citatis à Suar. *ibi n. 8.* dum renuit vocare Angelum ens necessarium: In quo etiam sensu D. Th. & alij Angelum vocant ens necessarium.

***

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Angelus differat specie ab anima rationali?

1 RESpondetur affirmativè. Quia anima est actꝰ perfectivus corporis physici, & organici: Angelus autē nequaquam: cum sit quid subsistens; & persona. Et ideo *diff. 2. n. 13.* diximus repugnare quòd Angelus informet materiam. Hanc conclusionem tenent Scotus *in 2. d. 1. q. 6. Pilosus disp. 8. art. 14. Faber disp. 9. cap. vn. n. 1. Rada 2. p. controv. 5. n. 1. & communiter alij* tanquam certam, & indubitatam.

2 Est tamen non parva contraversia in declarando, quænā sit primà ratio huius distinctionis specificæ. Respond. cū Scoto *ibidem §. Dico tunc*, & cum Scotistis communiter, specificam Angeli ab anima distinctionem primò sumi ex hoc, quòd Angelus est talis natura absoluta seu ad se, & anima est talis natura absoluta seu ad se. itaque prima ratio quare Angelus specificè differt ab anima, non est vnibilitas ad materiam, quæ convenit animæ, & repugnat Angelo; neque est potentia ad discurrendum, quæ convenit animæ, & nō potest cōvenire Angelo. (vt opinantur aliqui postea citandi) sed *quia Angelus est talis natura ad se, & anima talis natura ad se, ideo primò distinguuntur specie*: inquit Scotus *ibi Versic. Ita dico.* Et ratio est, quòd Angelus, & anima sunt entia absoluta: ergo prima eorum distinctio specifica reperiri debet in eorum absolutis entitatibus, circumscripto quocumque posteriori, seu quod consequitur ad illas entitates: id enim, quòd est prius alio, sicut supponitur habens esse ante illud aliud, supponitur etiam habens distinctionem specificam, qua differt à quocumque non tali in specie. Modò sic. Sed vnibilitas ad materiam est quædam aptitudo, seu potentia animæ; sicut etiam potentia ad discurrendum: & consequenter vtraque est quid posterius ipsa anima: ergo prima ratio specificæ distinctionis animæ ab Angelo nequit sumi ab istis potentijs; sed in ipsa anima prout est prior, & præscindit ab his potentijs debet reperiri.

3 Ex quibus reijcitur sententia D. Bonaventuræ *in 2. d. 1. part. 2. art. 3. quæst. 1.* asserentis, primam specificam distinctionem Angeli ab anima sumi ex vnibilitate, & non vnibilitate ad materiam; reijcitur, inquā, hæc sententia ex dictis nempe ex eo, quòd hæc vnibilitas animæ ad materiam est quid posterius ipsa anima, & consequēter sup-

ponit

ponit illam iam specificè distinctam. Idem dico de inunibilitate ad materiam respectu Angeli: est enim quid posterius natura ipso Angelo: & consequenter supponit illum iam specificè cōconstitutum. Sed contra: anima est se ipsa seu per se ipsam vnibilis materiæ; item Angelus est se ipso non vnibilis materiæ: ergo idem est dicere, Angelum, & animam se ipsis specie primò distingui; ac dicere, quod primò distinguuntur per vnibilitatem, & non vnibilitatem ad materiam. Respondetur cum Philoso *dist. 8. articul. 14. num.* 7. distinguendo antecedens: est enim verum realiter; falsum vero loquendo formaliter. Itaque vnibilitas ad materiam, seu aptitudo, aut propensio ad se vniendū materiæ, aut (proprius loquendo) corpori organico est affectio seu quædam passio animæ. Item est affectio seu quædā passio Angeli non vnibilitas, seu inunibilitas, ineptitudo, aut repugnantia se vniendi ad materiam per informationem. Cùm autem secundùm nos Scotistas passio sit quædam entitas formaliter ex natura rei distincta ab essentia à qua pullulat, seu dimanat, (& consequenter natura sua posterior illa) & cum qua realiter identificatur. (vt ex aliàs dicendis suppono) Fit planè, quòd vnibilitas sit idem realiter cum anima; (sicut, & inunibilitas cum Angelo) ab ipsa tamen formaliter distincta. Quare antecedens est verum realiter; falsum tamen formaliter: vnibilitas enim: cùm sit posterior natura, nequit esse de essentia animæ loquendo in primò modo dicendi per se: benè tamen in secundo, & quatenus passio realiter identificatur cum essentia.

4 Dices; quod primò reperimus in anima, & per quod illam distinguimus ab Angelo, est vnibilitas: ergo est prima distinctionis ratio. Respondetur distinguendo antecedens: distinctè, concedo: confusè, nego. itaque propter imperfectionem huius status, in quo non cognoscimus spiritualia in se ipsis, non cognoscimus distinctè, quænam sit specifica distinctio animæ, & Angeli per prædicata, quæ ipsi conveniant in primò modo dicendi per se: cùm autem certò cognoscamus, vnibilitatem supponere ipsam animam, (& inunibilitatē Angelum) cōfusè cognoscimus quoddam prædicatū, per quod anima primò distinguitur specificè ab Angelo.

5 Ex dictis etiam repellitur sententia *Alensis* 1. 2. *Collatione de substantia Angelica* nu. 5. *D. Th.* 1. *p. q.* 58. *art.* 3. & *Herr. quodl.* 12. *q.* 8. qui asserunt, animam specifica prima distinctione differre ab An-

Angelo per diversum gradum inteligendi, nempe quia anima intelligit per discursū, Angelus autem sine illo, qui est gradus intelligendi essentialiter perfectior illo. (secundùm prædictos Authores) Sed contra hos militant dicta contra vnibilitatem; sicut enim vnibilitas non potest esse primà ratio distinctionis, eoquòd est passio dimanans ab anima, & ipsā supponens iam constitutam per sua prædicata essentialia in primo modo dicendi per se ipsi convenientia: eodē modo hæc, vel illa intellectualitas Angeli, & animæ supponit Angelum, & animam cōstitutam in suo esse essentiali primario: & consequenter ab intellectualitate (seu, propriùs loquēdo, à potētia intelligendi) nequit sumi prima specifica ratio distinctionis inter Angelū, & animā.

6 Præterea arguit Scotus *in 2. d. 1. q. 6. §. & ver. cōtra*: anima non discurrit circa principia, sed circa conclusiones: ergo si intellectualitas, seu pontentia intelligendi per discursum, differt essentialiter ab intellectualitate seu à potentia intelligendi sine discursu; in vna, & eadē anima erunt duæ intellectualitates diversæ speciei; vna inquantum intelligit princia, & alia in quātum intelligit cōclusiones. Alias etiam efficaces rationes adducit Scotus ibi contra prædictam sententiam.

7 Sed pro sententia Alensis, &c. argues: Angelus, & anima differunt specie: sed intellectualitas Angeli identificatur realiter cum illo, & intellectualitas animæ cum ea: ergo istæ intellectualitates differunt specificè: & consequenter gradus intelligendi per discursum erit essentialiter diversus, & inferior gradu intelligendi sine discursu. Respondetur distinguendo primū cōsequens: est enim vera, & cōcedenda consequentia de intellectualitate, quatenus identificatur cum suo fundamento, in quo radicatur: neganda tamen est de intellectualitate accepta præcisè pro virtute activa intellectionis. De quo redibit sermo *a n.* 12. Respondetur secundò quòd, concesso gratis toto, nihil concluditur ad propositum. Ex hoc enim quòd Angeli, & animæ intellectualitates differant specie non infertur, quòd prima distinctio Angeli ab anima sumatur ex intellectualitatibus illorum. Vt benè observavit Scot. in illo versiculo *Hoc etiam*.

8 Obijcies secundò pro eadem sentia: Angeli in substantijs spiritualibus habent illum perfectionis gradum, quem in corporalibus habent corpora cœlestia: sed ista sic distant à corporalibus, vt à principio suę conditionis habeant omnem perfectionem sibi necessariam, & quā corporalia sibi acquirūt decursu tem-

temporis: ergo similiter Angeli sic distabunt ab anima, vt intelligant sine discursu omnia, quæ illa per discursum intelligit. Resp. cum Piloso *ibi n.* 8. negando consequentiam: solùm enim debebat inferri, quod sicut cælestia corpora habeant perfectiones possibiles sibi concreatas; ita Angeli exigunt species rerum sibi à principio suæ condicionis inditas. Vnde nihil ad propositũ sequitur.

9 Immo addo, non esse necessariò admittendam paritatẽ: quia perfectiones corporis cœlestis debent concreari à Deo autore naturæ: quia nullum est agens in tota natura creata potens in eis illas causare: sicut neque est agens creatũ potens substantiam illius corporis alterare: perfectiones autem, quas potest causare natura creata, finit Deus ab illa causari iuxta vnius cuiusque exigentiam; secundùm illud Aug. 7. *de Ciuitate Dei c.* 30. *Res, quas condidit Deus, sic administrat, vt eas suos motus agere sinat. Virtus autẽ creata potest causare cognitionem alicuius incogniti in intellectu Angeli* (inquit Scotus *in.* 2. *d.* 3. *q.* 11. §. *contra versi. Ad argumentum.* Quod, & nos cum illo probabimus *c.* 5. *diff.* 1. *à n.* 22.) Et ideo non debuit à principio suæ conditionis habere omnem cognitionem, seu speciem impressam sibi possibilem.

10 Ex quibus omnibus constat, quòd, etsi sit sufficiens, immo & efficax ratio ad probãdũ, animam, & Angelum specificè differre, illa quã *n.* 1. adduximus; (nempe quòd anima est actus perfectivus corporis; non autem Angelus) tamen non est prima ratio huius specificæ distinctionis.

11 Nota demum cum Scot. *in* 2. *d.* 1. *q.* 6. §. *Dico tunc versi. Ita dico* quòd Angelus, & anima in adæquatè tantùm distinguuntur specie, id est, *non sicut duæ species, sed sicut species, & pars speciei; & tamen ipsa est prima ratio distinguendi suam speciem (cuius est pars) ab Angelo: & ideo prima ratio distinctionis specificæ ex parte speciei suæ est in ipsa.*

DVBIVM.

12 PEtes, an intellectualitas, seu potentia intellectiva Angeli præcisa ab essentia differat specie ab intellectualitate animæ præcisè cõsiderata? Resp. negativè cum Scoto *in* 2. *d.* 1. *q.* 6. §. *ad versi. Potest etiã.* Fateor, quòd Scotus ibi hoc non omnino determinat; vt potet ex *ver. Hoc etiã* à verbis illis: *Et si hoc est verum*; tamen rationes, quas adducit hoc satis probare videntur. Primò ergo probatur ex, eo quòd vtraque intellectualitas versatur, seu attingit obiecta tam primaria, quàm secundaria eiusdem rationis: ergo non apparet, quare sint ponendæ specificè distinctæ

D An-

Antecedens cõſtat, vtriuſq; enim intellectus habet pro primario obiecto ens in tota ſua latitudine ſub ratione intelligibilis; vt dicimus Scotiſtæ, aut ſub ratione veri, vt dicunt alij; (de quo parum quoad hoc eſt iurgandum) & pro obiectis ſecundarijs quæcumque entia in particulari. Item vtriuſque intellectus indiget elevatione per lumen gloriæ, aut alio modo facta, vt attingat Deum clarè viſum proportionate, & ſicut oportet ad hoc, vt beatificetur.

13 Dices, poni ſpecificè diſtinctas has intellectualitates: eoquòd identificantur cum Angelo, & anima, quæ ſpecificè differunt. Sed contra; quòd, etſi anima bovis, & aquilæ differant ſpecie; tamen vis viſiva bovis, & aquilæ non differunt ſpecie, inquantũ tales potentiæ ſunt, & prout ab illis præſcindunt. Contra ſecundò, quòd eſt poſsibile, vt illa, quæ cõtinẽt aliqua differant ſpecie, & tamen contenta in eis non differãt ſpecie: ergo ex eoquòd Angelus, & anima differant ſpecie, non infertur, quòd eorum intellectualitates debent differre ſpecie. Antecedens probat Scotus *ibi verſiculo Iſtud autem, & verſiculo* Hoc *etiam* duplici inſtantia. Prima eſt paſsionum entis; quæ *continentur per identitatem in entibus quantumcumque diſtinctis, & tamen illæ paſsiones in eis non diſtinguuntur ſpecie: vnitas enim lapidis; quæ non eſt realiter aliud à lapide, & vnitas hominis, quæ eſt realiter eadem homini, non ita diſtinguũntur formaliter ſpecie; ſicut homo, & lapis. Immo hæc vnitas, & illa tantùm videntur differre numero.* Secundam inſtantiam adducit Scotus dicens. *Sicut in eodem poſſunt contineri per identitatem illa, quorum eſt diſtinctio formalis quaſi ſpecifica: ſicut in eadem anima includuntur perfectiones intellectivæ, & ſenſitivæ, quæ ita ſunt diſtinctæ formaliter ſicut ſi eſſent duæ res. Ita è contrario poteſt aliquid indiſtinctum formaliter contineri in diſtinctis.* His adde inſtanctiam animalis, quod eſt in homine, & animalis quod eſt in leone, quæ ſolùm differunt numero incompleto; quamvis homo, & leo, in quibus includuntur, ſpecie differant. Et ratio eſt, quòd homo, & leo non differunt per animalitatem; immo in hoc conveniunt.

14 Inſuper pro noſtra ſententia arguit Scotus *ibi* §. *Contra verſiculo Item tertiò* dicens. *Si intellectualitas Angeli, & animæ differunt ſpecie, ergo illa, quæ dependẽt ab iſta, & illa differũt ſpecie: ſed ab iſtis depẽdẽt eſſẽtialiter viſio beatifica Angeli, & animæ: (licèt enim Angelus non ſit tota cauſa viſionis ſuæ: nec anima ſuæ; tamen vtraque viſio eſſentialiter dependet ab intellectualitate naturæ, cuius eſt) igitur iſta viſio beatifica, & illa differunt ſpecie; quòd eſt falſum. Quia*

om

omnes species diversæ habent ordinem determinatum secundum perfectius, & imperfectius; ita quòd quodlibet individuum perfectioris speciei excedit quodlibet individuum imperfectioris. Et tunc sequeretur, quòd vel quælibet beatitudo cuiuslibet Angeli excederet quamlibet beatitudinem cuiuslibet animæ, vel è contrario: quorum vtrumque est falsum. Quia se habent sicut excedentia, & excessa in beatitudine.

15 Sed Suar. *lib. 2. c. 2. à n. 17.* affirmat, intellectum Angeli, & hominis specie differre adhuc, vt præscindunt ab Angelo, & homine: & obijcit, sequi ex nostra sententia, intellectum Angeli (idem est de intellectu hominis) secundùm diversas cõsiderationes esse in duplici specie opposita. Patet: quia, vt identificatur cum essentia Angeli, est in eius specie; vt autem præscindit ab essentia est, in specie hominis, aut animæ, cum cuius intellectualitate (potentia intellectiua, aut intellectu) specificè convenit: cùm ab illa non differat, Resp. concedendo sequelam: nullum enim est incõveniens, vt in speciebus oppositis reperiatur aliquod prædicatum, aut realitas; dummodo ipsis conveniat tamquã quid omnibus illis commune: vt de animali reperto in homine, & leone & de vnitate reperta in homine, & lapide expẽdebamus *n. 13.* Cũ ergo intellectualitas sit quædam realitas cõveniens Angelo, & animæ, nõ quatenus tales species infimæ sunt, sed quatenus conveniũt in hoc, quòd est, posse producere intellectionẽ, per quam vitaliter attingant obiectum: fit inde, vt in vtraque specie opposita reperiatur: sicut reperitur animal in homine, & leone; vnitas in lapide, & homine, &c.

16 Hinc addimus, quòd ad producendũ intellectionẽ hanc, quam de facto producit intellectus Angeli, ita per accidens est illi intellectui identificatio cum natura Angeli, vt si per impossibile separaretur ab illa, produceret eandem numero intellectionẽ. Sicut si per impossibile animal hominis separaretur ab illo, produceret eamdem sensationem, quam nunc producit. Quare, si separaretur intellectus Angeli ab eius essentia, non maneret in alia specie opposita speciei, in qua nunc est; sed in specie subalterna contrahibili per illã, in qua modò est. Quod clarè cõstat in animali abstracto per intellectum ab hominẽ, seu à differentia specifica.

18 Obijcies secũdò pro sentẽtia Suar. intellect9 noster est pura potẽtia respectu specierũ intelligibiliũ; Angelic9 autẽ sẽper est in actu; cũ habeat species omniũ rerum à principio suæ conditionis: ergo differunt specie. Respond negando antecedens: etenim species rerum singu-

larium acquirit Angelus: & cōsequenter respectu illarum est in potentia: vt dicemus *c. 2. diff. 3, à n. 61.* Sed, quiquid sit de antecedenti, negatur consequentia: quia illæ species sunt illi datæ ab extrinseco; & consequenter per hoc non debent distingui essentialiter. Dices, quòd intellectui Angeli, & non hominis, erant dibitæ illæ species inditæ à principio creationis: ergo hæc naturalis exigentia arguet distinctionē essentialē inter vtrūque intellectum. Resp. distinguendo antecedens: reduplicativè, nego: specificativè, concedo: & ideo nego consequentiā. Itaque intellectui Angeli, vt intellectus est, seu quatenus est vis, aut facultas productiva intellectionis, non debebantur illæ species infusæ à principio suæ conditionis; sed quatenus erat intellectus Angeli seu tàm nobilissimæ creaturæ. Et ideo exigentia illa oritur ab essentia Angeli potiùs quàm ab eius intellectu præciso ab essentia: & consequēter, dato, quòd exigentia illa arguat distinctionem specificam, conuincet quidem, quòd essentia Angeli eit alia ab essentia animæ, vel hominis; non autem, quòd intellectus illorum essentialiter differant, prout præscindunt ab essentijs, a quibus dimanant.

18 Adde, exigentiam illam ægrè posse arguere distinctionē specificam adhuc in natura Angeli: est enim solùm exigentia congruentiæ. Sicut est exigentia, qua res pulchra exigit, vt ametur. Etenim quemadmodum hominis pulchritudo excitat ad amorem; ita pulchritudo, perfectio, seu excellentia naturæ Angelicæ exigit, seu excitat Deum, vt ei à principio suæ conditionis infundat species omnium rerū. Quod non exigit natura hominis; quia non gaudet illa excelētia, & nobilitate. Vnde infertur, quòd sicut pulchritudo non arguit specificam distinctionē hominis pulchri à non pulcho: sic exigentia illa infusionis specierū non arguet, naturam Angelicā ex hoc capite essentialiter differre à natura hominis.

DIFFICVLTAS VI.

Quæ potentiæ sunt in Angelo.

1 CVm potentiæ ab essentia dimanent, ad perfectam cognitionem essentiæ Angeli spectat, cognoscere potentias illius. Et suppono, in Angelis esse potentiā locomotivam. Quod constat ex illo *Iob 1. circuiui terrā, & perambulaui eam.* Immo & habent virtutem, seu potentiam ad movendum alia, scilicet cœlum, &c. vt probat Aristot. 12. *metaphys. tex. 44* & constat ex

ex Genesis 19. verbis illis: *Et ecce miserunt manum viri,* (id est, Angeli) *& introduxerunt ad se Lot.*

2 Suppono secundò, in Angelis esse voluntatem. Quod etiam constat *ex Iob 4. Et in Angelis suis reperit pravitatem*; quæ sine voluntate non datur. Item est in Angelis intellectus; vt constat ex dictis difficultate præcedenti, præsertim *in n.* 12. Quod etiã cõstat *ex Matth. 18. Angeli eorũ semper vident faciem Patris.* Quod de visione intellectuali procedit. Tũ, quia Deus nequit videri oculo corporeo: vt suppono ex tractatu de visione. Tum, quia Angelus est incorporeus, *ex dificultate 1. huius capitis.* Vnde etiam constat, Angelum habere memoriam, seu potentiam memorativam: quia hæc ab intellectu solùm distinguitur in hoc, quòd cõservat species cognitionum, seu rerum iam cognitarum ab eodem intellectu. Insuper est in Angelis potentia executiva, qua media exequitur id, quod vult:

DVBIVM I.

Vtrùm in Angelo sit intellectus agens, & possibilis.

3 SVpono *ex Arist. 3. de Anima tex.* 18. intellectũ hominis diuidi in agentem, & possibilem, aut passivum. Intellectum agentem vocat Aristoteles illum, *cuius est omnia facere*, seu cuius virtute, & operatione ex phantasmatibus, seu speciebus residentibus in phantasia educit, seu producit species intelligibiles, & illas imprimit in ipso intellectu. Intellectum autem possibilem (patibilem, aut passivum) vocat Aristoteles illum, *cuius est omnia fieri*, seu qui recipit omnium obiectorum species tã intelligibiles, seu impressas, quã expressas, seu formales obiectorum cognitiones.

4 Coactus fuit Aristoteles ponere intellectum agentem, vt obiectum, quod existens in phãtasia, propter sui extensionem, seu improportionem non poterat recipi in intellectu, qui est potentia spiritualis, & indivisibilis, in ipso reciperetur. Et propter hãc productionem speciei intelligibilis, quam facit intellectus agens, dicitur, quòd intellectus agens depurat phantasma à conditionibus materialibus, seu individualibus. Item, quòd transfert obiectum de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium. Insuper, quòd illustrat phantasmata. Et demum, quòd facit abstractionem. Hæ enim omnes loquutiones idem significant sub diversis considerationibus, nempe intellectum agentem ex phantasmatibus, seu ex speciebus in phantasia (quæ cùm sit potentia corporis, est corporalis, sensibilis, & extensa; & à qua species illæ sensibiles, & extensæ dicuntur phan-

a Suar, lib. 2. c. 1. n. 15. & alijs. Et nobis obijciunt: Angelus in principio suæ creationis recipit à Deo infusas species intelligibiles omniū rerū: ergo superfluit in eo intellectus agens. Resp. ex Scot. *ibi ver. cōfirmo denique* (omisso antecedenti falso; tunc enim non fuerunt ei infusæ species rerū singulariū: vt dicemus c. 4. *diff.* 3. *à n.* 6.) negādo consequentiā: cùm enim illas species receperit ab extrinseco, fueritque liberum Deo illas infundere, imperfectus merito reputabitur Angelus, si careret principio, seu instrumento illas acquirendi. Præterea illo argumento probaretur, Christum Dominū non habuisse intellectū agentē: quia ab instanti suæ conceptionis habuit species omniū rerum. Item probaretur, carere intellectu agenti homines, quib⁹ à principio suæ creationis infunderentur species intelligibiles omniū rerū. Insuper simili argumēto probatur in hominib⁹ beatis nō esse admittēdas potentias generativam, nutritivā & augmentativā: quia nūquā habituræ sunt exercitium suorum actuū.

10 Obijciunt secundò: intellectus agens adinventus est, vt obiecta, quæ sunt in phantasia reddat intelligibilia: sed Angelus non habet phantasmata: ergo in eo non est distinguēd⁹ intellectus agēs. Resp. negādo minorē: quia admisso, quòd Aristoteles, dū posuit intellectū agentē, nihil de Angelis cogitaverit, tamē ratio ponēdi illū in homine currit etiā in Angelo. Ideo enim distinxit in homine intellectū agentē, vt res sensibiliter existentes in phantasia proportionaret cū intellectu, ex eis educēdo seu producēdo species intelligibiles. Sed nō minorē improportionē habēt res sensibiles in se, quā in phātasia: ergo, vt Angel⁹ illas percipiat, debet ab intellectu agēte proportionari educēdo, aut producēdo ex eis species intelligibiles. Quod sanè convincit, saltē egere Angelum intellectu agēte, si à principio suæ creationis non recepisset species omniū rerum. Sed quòd non receperit species singulariū dicem⁹ loco numero præcedēti citato. Immo quod admissa omniū specierū receptione, adhuc ponēdus sit in Angelo intellectus agens, expendebam⁹ numero præcedenti.

11 Obijciunt tertio: Angel⁹ à principio suæ creationes fuit ornatus speciebus impressis à Deo: ergo saltē in eo nō est distinguēd⁹ intellect⁹ patibilis. Resp. (admisso, quòd etiā tunc receperit species singulariū: de quo loco citato) negando cōsequentiam. Quia recipiendo species à Deo, quas aliàs reciperet ab intellectu agente exercuit munus possibilis non minùs, quàm si illas recepisset ab intellectu agenti. Hac ratione materia prima cœlorum habet veram potentiam

receptivam, & illam exercuit respectu formæ cœli; & tamen semper fuit, est, & erit sub illa. Præterquam quòd, etsi tunc non exercuisset munus intellectus patibilis, non proptereà hic intellectus Angelo fuisset denegandus: quia illa specierum infusio fuit gratuita: & alias spectat ad Angeli perfectionem habere potentias sibi necessarias ad consequendum propriam perfectionem, nempe omnium rerum cognitionem, & species impressas ad illam necessarias.

DIFFICVLTAS VII.

Quomodo potentiæ Angeli distinguantur ab eius essentia?

1 SVppono ex Scoto *in 2. d. 16. §. Dico igitur & §. Ideo dico* potentias animæ tam inter se, quàm ab anima distingui, nō realiter. Quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate. sed sufficit ponere has potentias formaliter distinctas ad salvandum aliquas auctoritates, quę dicunt, potentias exire, & fluere ab essentia, & alia huiusmodi: ergo non est dicendum, quòd distinguuntur realiter ab essentia. Item ad salvandum quòd vna potentia non est al iausfficit, quòd potentiæ distinguantur formaliter: ergo non est dicendum quòd inter se distinguuntur realiter. Quòd autem distinguantur formaliter tā inter se, quàm ab essentia, probatur ex eo quòd tam essentia, quàm quælibet potentia seu passio habet suam conceptibilitatē obiectivam distinctam à cōceptibilitate alterius.

2 Hinc suppono secundò, saltem potentias intellectivam, & volitivam Angeli, seu eius intellectum, & voluntatem non distingui realiter, sed solùm formaliter ab illius essentia. Quia militant eædem rationes, ac numero præcedenti de anima, & potentijs expendebamus. Vnde constat, immerito supponere Sua. *l. b. 2. c. 2. n. 17.* intellectū Angeli esse qualitatem: etenim cū identificetur cum eius essentia; istaque sit substantia, pertenet ad prædicamentum substantiæ reductivè.

3 Est tamen inter Auctores contraversia, an potentia Angeli ad movendum res alias distinguatur ab eius intellectu, & voluntate? Respendetur, eodem modo esse philosaphandum de hac potentia, ac de intellectu, & voluntate. Quare dicēdū est primò, nō distingui realiter ab eius essentia. Quia non sunt multiplicādæ entitates sine necessitate: & aliàs sufficit formalis distinctio ad salvādū omnia, quæ de sub-

substantia, seu essentia animæ, & de eius potentia motrice dicuntur. Vide Pilosum *disp.16. art.1.*

4 Dico secundo: potentia motrix Angeli formaliter distinguitur ab eius intellectu, & voluntate. Quia habent aliam, & aliam conceptibilitatem. Potentia enim motrix non operatur immanenter: etenim Angelus movens lapidem v. g. ei imprimit impulsum: intellectus autem, & voluntas immanenter operantur. Secũdò, quia potentia motrix solùm circa materiam proximam operatur: (& ideo habet determinatam sphęram) intellectus autem, & voluntas circa obiectum quantũcumque distans: ergo saltem formaliter distinguuntur.

6 Ex his reijcio sententiam asserentem, potentiam motricem Angeli ab eius intellectu, & voluntate realiter distingui. Hanc sequitur Suarez *in Metaph. disp. 35. sect.6. à num. 21. & lib. 4. de Angelis cap.29. num.4 citans nostros Aureolum, & Franciscum Mairon, & ex alijs Henricum, Gotfredum, Caiet. & Conimbricenses.* Pro qua obicit: potentia, qua Angelus se movet localiter distinguitur realiter à sua essentia: ergo & potentia, qua movet alia corpora, aut spiritus. Patet consequentia; quia est eadem potentia. Antecedens probat ex doctrina illa communi Thomistarum, quòd potentiæ spectant ad prædicamẽtum qualitatis; quod realiter distinguitur à prædicamento substantiæ. Respondetur negando antecedẽs, & eius probationem: quæcumque enim potentia identificatur cum essentia, à qua dimanat; pertinetque ad prædicamentum sui subiecti: vt ex dictis constat.

6 Obijcit secundò: potentiæ istæ habent actus essentialiter diversos: ergo realiter distinguuntur ipsæ potentiæ. Antecedens constat; quia motio localis genere est distincta à volitione, & intellectione. Item constat consequentia: quia potentiæ distinguuntur per suos actus. Respondetur negando consequentiam: solùm enim debebat inferri, potentias illas differre essentialiter. Stat autem benè, aliqua differre essentialiter, non tamen realiter: vt patet in homine v.g. cuius partes essentiales (animal, & rationale) habent longè diversas essentias; suntque principia actuum essentialiter diversorum; (nempe sensationis; & ratiocinationis) & tamen non distinguuntur realiter.

7 Ex dictis pro no[illegible] sententia etiam reijcitur sententia affirmans, potentiam motiuam Angeli ab eius intellectu, & voluntate non distingui. Pro qua sententia Suarez *capite illo 29. n. 1. citat D. Thom. diversis in locis, sed præcipuè quæst. 16. de Malo artic. 1.*

ad

ad 14. vbi expressè dicit, Angelum movere corpora solo imperio voluntatis: citat insuper *Hervæum, Capreolum, Soncinam, Durand. Argentinam, & Bassolium: quibus adde Vasq. 1. p. disp. 218. cap. 3. num* 10. Pro qua sententia obijcitur. Angelus est purè spiritualis: ergo omnes eius potentiæ sunt purè spirituales: ergo tantùm habet intellectum, & voluntatem: ergo potentia motrix in eo indistincta est ab intellectu, & voluntate. Respondetur negando duas vltimas consequentias: sicut enim intellectus, & voluntas illius sunt purè spirituales; ita potentia motrix illius est purè spiritualis: & sicut in eo distinguimus intellectum à voluntate propter diversos actus harum potentiarum; ita debemus distinguere potentiam motricem: movere enim aliud quid distinctũ est ab intelligere, & velle. Recolantur dicta *nu.* 4.

8 Dices: si in Angelo ponitur potentia loco motiva distincta ab intellectu, & voluntate, debet poni corporea, & extensa. Sed corporea non potest poni: quippe Angelus nequit recipere aliqu[illegible] corporeum: ergo non est ponenda distincta ab intellectu, & voluntate. Probatur maior; quia illa potentia terminatur ad producendum aliquid extensum, & corporeum, (impulsum v. g. in lapide, quando illum movet.) Respondetur negando maiorẽ. Ad probationem dico, quòd ex eo quòd terminus alicuius potentiæ sit corporalis, & extensus, non infertur, potentiam illã debere esse corporalem, & extensam: Potentia siquidem, qua Deus producit lapidem v. g. est spiritualis, licet eius terminus sit corporeus, & extensus. Immo, & in creaturis idem contingere, debent fateri Auctores oppositæ sententiæ: etenim impulsus, quo ab Angelo movetur lapis v. g. est corporalis, & extensus, vti receptus in subiecto corporali, & extenso: & tamen producitur (secundùm ipsos) ab intellectu, & voluntate: quæ potentiæ sunt purè spirituales.

9 Obijcitur secundò, sufficit intellectus Angeli ad dirigendum motum, & voluntas ad illum exequendum: ergo superfluit potentia motrix distincta ab intellectu, & voluntate. Respondetur negando antecedens: quia intellectus solùm ordinatur ad intelligendum, & voluntas ad volendum: non autem ad efficiendum illum motum: quia sunt potentiæ immanentes, quæ nihil producunt extra se, seu in externa materia. Contra: ergo in Deo potentia executiva distinguitur ab eius intellectu, & voluntate. Respondetur concedẽdo: quia nullũ est inconveniens admittere in Deo attribu-

butum formaliter distinctum ab intellectu, & voluntate, quod sit potentia executiva, seu omnipotentia. Et aliàs hoc videtur necessarium: cùm voluntas, & intellectus non possint esse proximum principium trasmutandi res. Sic sentit Merinero *in addictionibus ad tractatum de Scientia disp. 3. circa quæst. 3.*

10 Dices, hoc esse contra Scotum, qui *in 1. dist. 37. §. Responsio vers. Et confirmatur* dicit, quòd *omnipotentia est voluntas, ad cuius velle sequitur, rem esse.* Respondetur negando, esse contra Scotum ponere potentiam executiuam distinctam à voluntate. Ibi autem solùm vult, quòd omnipotentia præsuppositivè, & realiter est voluntas. Nec ad eius intentũ erat necessariũ, statuere, quòd omnipotẽtia nõ distinguebatur, aut distinguebatur ab intellectu, & volũtate. Quærebat enim ibi, vtrũ omnipotentia inferat immensitatem? seu vtrũ ex eo, quòd Deus operetur hic v. g. inferatur, ipsum esse hîc secundum essentiam? Et respondet negative. Ad cuius probationem dixit, quòd *omnipotentia est voluntas, ad cuius velle sequitur, rem esse.* Quæ probatio æquè tenet, sive omnipotentia sit formaliter voluntas diuina, sive ab illa formaliter distinguatur; dummodo illi subordinetur. Quod convincit instantia solis, qui, si esset liber, eiusque potentia seu virtus productiva indistincta ab intellectu, & voluntate, non minùs, si vellet, applicare se, produceret metalla, vbi non est realiter præsens per suam substantiam, & essent am, ac producit nunc, quando eius potentia productiva est omnino independens ab intellectu, & voluntate. Ad intentum ergo Scoti non conducebat determinare, quòd omnipotentia erat distincta; aut indistincta ab intellectu, & voluntate diuina; eiusque argumentum æquè probabat intentum, sive esset distincta, sive nõ Quare solũ voluit ibi statuere, Deũ posse operari, adhuc vbi non esset, (si hoc esset possibile) ad nutũ suæ voluntatis se ad operandũ applicãdo. Et proptereà dixit, quòd eius *omnipotentia est voluntas*, scilicet aut præsuppositivè, aut formaliter.

11 Nec nova, aut inusitata debet reputari hæc explicatio, aut solutio: etenim Scotistæ (sicut, & multi alij) simili solutione vtimur sæpissimè, præcipuè respõdẽdo auctoritatibus, quibus dicitur, beatitudinẽ consistere in actu intellectus; sufficiat illa *Ioan. 17.* vbi ipsemet Christus Dominus alloquens patrem suum dixit: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.* Itẽ sic respõdemus Scotistæ auctoritatibus, quibus dicitur, imperiũ cõsistere in intellectu: sufficiat illa *Prover. 8.* vbi sapientia dicit *per me Prin-*

ci-

ſinuat eſſe diſtinctam ab illis.

14. Obijciunt quartò, in anima diſtinguitur potentia motrix ab intellectu, & voluntate: ergo in Angelo non eſt diſtinguenda. Probatur cōſequētia primò: quia anima eſt minoris perfectionis quàm Angelus: & *quæ in inferioribus ſunt diviſa, in ſuperioribus ſunt vnita*. Secundò, quia Angelus per ſe primò movet corpus, & non vnam partem per aliam; ſicut anima movet proprium corpus. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad primam probationem concedo, animā eſſe minoris perfectionis quàm Angelum: ex hoc autem non infertur, in Angelo potentiā motricem debere vniri ſeu identificari cum intellectu, & voluntate: aliàs ſimili argumēto probaretur, debere intellectum, & voluntatem Angeli identificari cum eſſentia, aut inter ſe. Illud autem principium. (*Quæ in inferioribus ſunt diſperſa; ſunt in ſuperioribus vnita*.) ad ſummum habet locum, quando diſtinctio inuenta in inferioribus oritur ex peculiari conditione & imperfectione illorum; vel è converſo, quando in ſuperiori naturai nvenitur aliqua ratio formalis obiecti; in qua poſsint duæ inferiores facultates in vna ſuperiori vniri. At verò in præſenti voluntas, & potentia motiva animæ non diſtinguuntur per ſe primò ex conditione, aut imperfectione animæ, ſed ex proprijs obiectis, ſeu actibus, & effectibus, ad quos ordinantur. Quæ diſtinctionis ratio in Angelo etiam ſubſiſtit. Nec in eo reperitur ex parte obiecti. ſeu termini aliqua convenientia, ſeu formalis vnitas, ſub qua poſsint illæ duæ facultates in vnam coaleſcere. Et cùm aliàs potentiæ iſtæ (ſcilicet voluntas, & potentia motiva Angeli) ſint in natura finita; & inſuper ipſæ etiam potentiæ finitæ, & limitatæ ſint: nullum reſtat principium, ex quo colligamus, h[a]s facultates, quæ in anima diſtinctæ ſunt, in Angelo eſſe indiſtinctas: vt benè vidit Suarez *lib. 4. cap. 29. n. 10.*

15 Ad ſecundam probationem dicimus, animam per potētiam organicam movere corpus per partes: per potentiam verò non organicam movere ſimul totum ſuum corpus vt *numero 13.* libabamus. Solùm nota, potentiam quam anima habet ad movendum corpus, dici organicam, non ex parte ipſius animæ; quia cùm hæc ſit purè ſpiritus, nequit habere organa ad operandum. Dicitur ergo illa potentia organica ex parte corporis, quod movetur medijs organis corporeis. Nec eſt inconveniens, quòd potentia ſpiritualis, & inorganica ex parte ſubiecti, ſit organica ex parte illius, quod movet. Sicut non

est inconveniens, quòd sit purè spiritualis ex parte subiecti; & simul sit corporalis, & extensa ex parte effectus producti: vt patet in potentia, qua Deus creat lapidem v. g. Recolantur dicta *n.* 8. Item videatur Scotus citatus *num.* 13. *præcipuè quæst. illa* 7.

CAPVT III.

De numero, & distinctione Angelorum.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum ingens sit Angelorum numerus?

1 RESPONDETVR affirmativè. Quia *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Daniel.* 7. Quibus verbis significatur, tantam esse Angelorum multitudinem, vt superet captum humanum, iuxta illud *Iob.* 25. *numquid est numerus militum eius?* Ratio à priori est divina voluntas sic disponens. Congruentiæ autem ratio prima est, quòd Angelus est nobilissima creatura: ergo in maximo numero, & quantitate debuit produci. Secunda est, quòd Angeli sunt creati, vt assisterent Deo: congruit autem, tantam maiestatem, infinita ferè Angelorum multitudine assisti. Dices, quòd *Tobiæ* 12. dicitur: *Ego enim sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui stamus ante Dominum.* Respondetur, septem esse Angelos, quos præfecit Deus vniversæ terræ: vt constat *ex Apocalipsis cap.* 8. *& alibi*: & de istis loquitur Raphael.

2 Vnde constat immeritò dixisse Aristotelem 12. *Metaph. cap.* 7. *&* 8. Angelos esse quadraginta, & septem pro numero orbium cœlestium secundùm astrologiam Eudoxij. Nisi velis dicere, fuisse locutum solùm de Angelis, qui assistunt orbibus cœlestibus, & eos movent: nam 1. *de cælo cap.* 9. plures substantias separatas agnoscit residentes in supremo cœlo, & optimam, ac felicissimam vitam ibi habentes: & loquitur quasi de multitudine: dicitque hoc nō aliter constare, quàm divina maiorum traditione: vt notat Lorca *disp.* 3. *quæst.* . .

3 His ab omnibus statutis, vt magis constet, quàm ingens sit Angelorum multitudo, aliquas comparationes faciunt Auctores sequentibus dubiis à nostris proponendas, & decidendas.

DV-

DVBIVM I.

4 PEtes primò, an Angeli excedant numerum hominum, qui sunt, fuerunt, & erunt? Respondetur affirmativè. Quia Beatæ Birgittæ revelatum est, ita esse plures Angelos, quàm homines, vt vnicuique hominũ decem Angeli possent in custodiam designari: vt ex Dionysio Cartusiano refert Vazq. *disp.* 180 *cap.* 3. *num.* 6. Secundò, quia regula recepta est, quod in rebus intentis à Deo, perfectiores excedant imperfectiores, vel magnitudine, vel numero. Sed Angeli sunt perfectiores hominibus: ergo illos excedunt numero. Maiorem autem, aut illam regulam confirmat instãtia cœlorum: superiores enim sunt maioris magnitudinis. Vt bene notat Suar. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. Hanc conclusionem tamquam probabiliorem defendunt Rada *controu.* 5. *art.* 3. *conclus.* 5. *Vazq. ibi num.* 8. & *Suarez ibi n.* 12.

5 Hinc reijcitur sententia quorumdam, qui (vt refert D. Athanasius *libro de quæstionibus ad Anthiochum Principem quæst.* 2.) affirmabant, æqualem esse numerum Angelorum, & hominum. Fundamentum illorum erat illud *Deuteronomij* 32. *Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei*; vt legunt Septuaginta Interpretes. Respondetur, hanc sententiam & interpretationem esse valde peregrinam, *vt ex Abulensi super illum locum quæstion.* 4. *notat Suarez ibi numero* 12. Tùm, quia non est recedendum à Vulgata, quæ legit, *iuxta numerum filiorum Israel*, præterea Septuaginta nomine *Angelorum* intelligunt filios Israel; qui filij Dei vocantur propter specialem Dei protectionem. Et demum, quia, etsi propriè legatur, *iuxta numerum Angelorum Dei* inde solùm colligunt antiqui Patres, humana regna, & imperia diuisa esse iuxta numerum Angelorum, qui ad illorum custodiam deputati sunt.

6 Reijcitur secundò sententia affirmans, plures esse homines, quàm Angelos. Sic sentit Magister *in* 2. *distinct.* 11. & *Duran. in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 4. *ad* 1. Cui sententiæ non parũ favet D. Gregor. *homil.* 34. *in Euangelia* asserens, in gloria æqualem futurum esse numerum Angelorum, & hominum. Vnde apertè sequitur, Angelos esse hominibus pauciores: quoniam tàm Angeli, quàm homines dividuntur in duas sortes: altera est damnatorum, & altera beatorum. Sed beatorum sors est in vtrisque æqualis: (secundùm hanc Gregorij sententiam) sors verò damnatorum in hominibus

bus est longè maior: quia *multi sunt vocati, pauci vero electi*: *Matth 20. num. 16.* ergo hominum multitudo superat multitudinem Angelorum. Resp. *cum Suar. ibi num. 6* quòd illa sententia D. Gregorij (nempe æqualem esse futurum numerum Angelorum, & hominum in gloria) nullum habet fundamentum.

7 Immo oppositum videtur deduci *ex illo Apocalipsis 12. num. 4.* vbi dicitur, quòd draconis *cauda trahebat tertiam partem stellarum cæli.* Si enim ibi significatur, tertiam partem Angelorum cōsensisse Lucifero, & cum eo è cœlo corruisse (vt est multorum sententia) planè infertur, multò minorem futurum esse numerum hominum beatorum, quàm Angelorum: quia ruinæ Angelorum reparandæ sunt per homines (iuxta Aug. *in Enchiridio cap. 61. & 62. & alibi, & iuxta* B*ernardum, Anselmum, Bedam, & alios apud Suarez ibi num* 7.) sed tertia pars tantùm corruit per ruinam: ergo illa est reparanda ex hominibus: ergo Angeli beati erunt saltem duplo plures, quā homines.

8 Sed hinc alij sumunt argumentum pro prædicta sententia sic: sedes malorum Angelorum restaurandæ sunt per homines: ergo maior est numerus hominum, quàm Angelorum. Probatur consequentia: quia numerus bonorum Angelorum solùm est duplo maior, quàm malorum: cùm tertia pars tantùm corruerit: & aliàs numerus malorum hominum est maior quā duplo maior numerūs bonorū: vt satis insinuatur *Matth. 20. multi sunt vocati, pauci verò electi.* Respondetur cùm Suarez *ibi num. 7.* quòd, etsi probabile sit, vacuas illas sedes esse ex hominibus adimplendas: non tamen est certum, sed dubium, quòd implendæ sint per homines in eodem numero. Fortè enim solùm sunt implendæ per excellentiam gloriæ itaùt licet pauciores sint homines, qui assumendi sunt ad gloriam, quàm Angeli, qui ceciderunt, propter abundantiam gloriæ illis æquivaleant, immo, & superent. v. g. si per Virginis gloriam dicantur reparādæ illæ sedes; vel suo modo, & proportione per gloriam Apostolorū, Martyrum, aut aliorū, qui maximis meritis præfulgent in Ecclesia.

9 Hinc in forma distinguendū est antecedens sic: sedes illæ implendæ sunt per homines, distinguo: in eodem numero, nego: in eadem excellentia gloriæ, vel in maiori, concedo. Vnde nego consequentiam. Ratio autem huius distinctionis sumi videtur ex eo, quòd parùm reputaretur inconveniens, si minor numerus hominum assumatur ad gloriam, quàm fuit nume-

me-

merus Angelorum, qui corruerunt, dummodo Deo non minor resultet gloria, sitque tanta, aut maior in cœlesti patria fruitio. Sicut à contrario reputaretur incommodum, si minor gloria resultaret Deo, essetque minor in cœlesti patria fruitio, quam futura erat, si non cecidissent Angeli, etiam si multo plures loco illorum, qui corruerunt, assumerentur homines.

10 Instabis sequi ex hac solutione, & distinctione adhibita illi Patrum propositioni, *sedes Angelorum restaurandæ sunt per homines*, non satis firma esse quæ diximus *numero* 7. Respondetur ita esse: solùm enim est probabile, & nos solùm probabiliter instabamus ibi contra sententiam illam D. Gregorij. (*Angelorum, & hominum numerus æqualis futurus est in beatitudine*) Dicimus tamen, quòd adhuc omissa illa probabili doctrina, & instantia, nullum habet fundamentum prædicta Gregorij doctrina: vt cum Suarez notabamus ibi.

11 Nota in calci huius dubij quod, quamvis affirmemus, numerum Angelorum excedere hominum numerum, latet tamen nos, quantus sit iste excessus. Quare sine vllo prorsus fundamento, illum determinaremus. Vnde reijciunt communiter sententiam quorumdam, qui (teste Athanasio citato *numero* 5.) dixerunt, numerum Angelorum nōaginta novem partibus excedere numerum hominum. Quia putabant, hoc adūbrari in parabola nonaginta novem ovium, quas Pastor reliquit in deserto, & vnius, quam quæsivit: vt refertur *Luc.* 15. Existimabant enim, per nonaginta novem significari Angelos; & quòd per vnam illam ovem prędictam significabatur homo. Falluntur tamen hi; quia Aug. *libro octuaginta quinque quæstionum, quæstione* 65. dicit, per nonaginta novem oves significari homines perditos peccatores, & superbos, non autem Angelos: quia de hominibus, & non de Angelis loquebatur ibi Christus Dominus. Alia huc spectantia vide apud Suarez *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 12.

12 Dices contra doctrinam huius notabilis: *num.* 4. diximus, revelatum esse B. Birgittæ, potuisse cuicumque hominum designari in custodes decem Angelos: ergo numerus Angelorū determinatè excedit numerum hominum. Resp. negando consequentiam: quia Angeli, qui designātur in custodes hominum, sunt ex infimo novem Angelorum ordinum; Est autem incertum, an revelatio illa loquatur solùm de Angelis illius ordinis?

DVBIVM II.

13 PEtes ſecundò, an numerus Angelorum excedat numerum rerum corporearum? Reſpondetur ſub diſtinctione. Et ideo dico primò: numerus Angelorum excedit numerum ſpecierum materialiũ. Quia Iob. 25. *Quis numerus militum eius?* Quibus verbis inſinuatur, ferè infinitum eſſe Angelorum numerum. Et ideo D. Gregor. *libro 17. Moralium cap. 9.* tractans illa verba dixit: *ſupernorum civium numerus infinitus eſt, & definitus exprimitur, vt qui Deo numerabilis eſt, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur.* Idem docent *Anſelmus, Iræneus, Dionyſius, &* Gregorius *Niſſenus citati à Suarez lib. 1. cap. 11. num. 3.* tantus ergo Angelorum numerus excedit numerum ſpecierum materialiũ. Hinc confirmantur dicta pro reſolutione dubij primi.

14 Dico ſecundò: Angelorum multitudo non excedit, immo neque adæquat numerum omnium individuorum materialium. Quia videtur incredibile, eſſe tot Angelos, quot grana ſeminum, arenæ maris, & reliquarum ſpecierum.

15 Vtramque hanc concluſionem docent Rada *controv. 5. art. 3. concluſione 3. & 4.* & multi Thomiſtæ ſic intelligentes D. Thom. *quæſt. illa 50. art. 3.* dicentem, *quòd Angeli ſecundùm quod ſunt immateriales ſubſtantiæ in quadam multitudine maxima ſunt omnem materialem multitudinem excedentes.* Præſertim legatur *Caietanus in hunc articulum, &* Ferrara *2. contra gentes cap. 92.*

DIFFICVLTAS II.

De diſtinctione Angelorum eos conſiderando ſecundùm naturalia.

1 QVantum ad Angelorum diſtinctionem, eos conſiderando ſecundùm naturalia tria diſputant communiter, tribus item dubijs à nobis abſolvenda.

DVBIVM I.

2 PEtes primò, an ſit poſſibile, Angelos ſolùm numero differre? Reſpõd. affirmativè. Quia in hoc nulla apparet repugnantia. Secundò quia omnis quidditas creata eſt communicabilis pluribus individuis: ſed natura Angelica eſt natura, ſeu quidditas creata: ergo eſt communicabilis. Maior cõſtat ex eo quod ſola natura divina eſt de ſe hæc: quare ſola eſſentia divina nequit concipi, vt vniverſalis. Reſpodẽt aliqui Thomiſtæ, naturæ An-

Angelicæ repugnare comunicari sine sui divisione propter imperfectionē, quam importat omnis creatura, seu, quia nulla creatura est simpliciter infinita: quæ infinitas est absolutè necessaria in Deo, vt natura eadem numero, seu sine sui divisione communicetur pluribus personis. Insuper repugnat Angelo propter sui perfectionem, seu quia substantia spiritualis est, se communicare cum sui divisione: sicut communicantur naturæ aliæ creatæ. Sed contra est, quòd eo ipsò, quod natura creata non est sua singularitas, nequit fugere hanc imperfectionem: si enim singularitas non est de eius essentia, poterit concipi sine illa; & consequēter erit communicabilis pluribus cum sui divisione: sicut quæcumque alia natura creata.

3 Respondent aliqui Thomistæ, posse quidem naturam Angelicam concipi sine singularitate; non tamen posse à parte rei plurificari: quia hoc sibi repugnat propter sui perfectionem. Sed contra, quòd eo ipso, quod potest concipi sine singularitate, est de se plurificabilis: sicut è contra; eo quòd essentia divina nequit concipi sine singularitate, est de se implurificabilis. Illud quoque, quod de perfectione Angeli dicitur, nempe non posse cum sui divisione plurificari, gratis omnino asseritur: tota enim perfectio Angeli est quòd est substantia spiritualis intellectualis: sed hoc etiam reperitur in anima rationali, & tamen est de se plurificabilis, & de facto plurificatur cū sui divisione. Id autem, quod respondent Thomistæ, nempe animas plurificari per relationem, aut ordinem ad corpus, frivolum est: etenim in illo priori naturæ ante vnionem ad corpus sunt plurificatæ, & solùm numero distinctæ.

4 Hanc sententiam tenent Scotus *in 2. distinct. 3. quæst. 7. Faber disp. 23. cap. 2. Rada art. 3. à conclusione 6. Pilosus disp. 8. art. 11. à num. 3. & alij Scotistæ; ex alijs autem Suarez lib. 1. cap. 15. n. 8. Vazquez disp. 181. cap. 1. &* 2. Immo, præter Thomistas omnes ferè Theologi hanc Scoti sententiam sequuntur, vt notat Fab. *ibi n.* 18. *citans Alensem, Ricardum Henr. Durandum, & Gabrielem.*

5 Sed non posse dari plures Angelos numero tantùm differentes, defendit D. Thom. 1. *p. q. 50. art. 4. & alibi*: quē sequuntur Thomistæ, præcipuè *Cai. Capr. & Ferrara*: estq; sententia Gotfredi; Ægidij, & aliorum, quos communiter citant, præsertim Fab. *disputione illa 23. c. 1. n. 1.* Bipartiuntur tamē Auctores huius sentētiæ: aliqui enim illorum absolùtè, & absq; vlla distinctione loquūtur. Capreolus tamen *in 2. d. 3. q. 1. concl. 5. & Ferr. 2. contragētes c. 39.* cum

cum alijs prædictam sententiam intelligunt de potentia ordinaria, & de rebus stantibus prout nunc stant: oppositum tamen defendunt de potentia absoluta, & mutato hoc ordine rerum. Sed, quidquid sit de istorum discrimine, omnes prædicti Thomistæ conspirant in hoc, quòd non possunt (sive de potentia absoluta, sive de ordinaria) esse plures Angeli solùm numero distincti. Quam sententiam etiam docent Aristoteles, & Avicena à *numero* 6. citandi. Nec suspicemini multum auctoritatis accrescere huic Thomistarum sententiæ ex eo, quòd ab Avicena, & Aristotele defendatur: vterque enim erroneis principijs nixus hanc sententiam propugnavit: vt ex statim dicendis constabit.

6 Igitur obijciunt nobis Thomistæ Aristotelem 7. *Metaphysic. text. 20. 21. & 41.* dicentem: *In his, quæ carent materia, idem est quod quid est*, (nempe quidditas seu essentia) *cum eo, cuius est*: nempe cum singularitate: Sed Angelus caret materia: ergo in eo singularitas, seu principium individuationis pertinet ad essentiam: ergo impossibile est, quod vnus Angelus differat ab alio singularitate, & non differat essentialiter, seu per aliquod prædicatum essentiale. Respondetur ex Scoto *in 2. distinction. 3. quæstion. 6. §. Ad quæstionem quintam à versiculo Ad illud, & iterum quæstion. sept. §. Ad primum argumentum*, ibi Aristotelem loqui de materia metaphysice sumpta, seu pro differentia individuali: quæ dicitur materia totius: eoquòd sustentat omnia prædicata metaphysica; (hominis verbi gratia) sicut materia prima sustentat formam. Itaque asserit Aristoteles, quòd in entibus, quæ non habent materiam metaphysicam, seu prædicatum singularitatis distinctum ab illorum essentia, idem omnino est quidditas seu essentia cum illorum singularitate: & consequenter est impossibile, quod ista distinguantur numero, quin etiam distinguantur essentialiter: cum in eis ratio propterquam differunt numero, sit ipsissima, propter quam differunt essentialiter. Vt patet in Deo; in quo singularitas pertinet ad eius essentiam, seu quidditatem: estîc ex sua quidditate præcisè est hic Deus singularissimus nihil præter Deitatem includens. Merito ergo dixit Aristoteles, quòd *in his, quæ carent materia* sumpta metaphysicè, seu pro differentia individuali condistincta ab essentia rei, idem est

est quidditas, seu essentia rei cũ eius singularitate.

7 Quare in forma respondetur distinguendo maiorem illam: (*In his, quæ materia carent, &c.*) est enim falsa, sumpta materia pro altera parte compositi physici; vera autem sumpta pro differentia indiuiduali. In quo sensu falsa est minor. Michael quippe v. g. non caret differentia indiuiduali condistincta ab eius quidditate: siquidem potest in Michaeli concipi tota, & adæquata essentia Angeli, quin concipiatur hæcceitas, seu singularitas illius. Sicut in Petro potest concipi tota, & adæquata essentia hominis, quin concipiamus hæcceitatem, Petreitatem, aut singularitatem illius. Et ratio vtriusque est, quòd sicut differentiæ specificæ sunt extra genus: ita hæcceitates seu differentiæ materiales sunt extra speciem. Quare sicut tota essentia generis (animalis v. g.) potest adæquatè concipi sine differentia specifica: ita tota essentia speciei (hominis v. g.) potest adæquatè concipi sine singularitate.

8 Dices: si solus Deus caret materia sumpta pro differentia indiuiduali cõdistincta à quidditate; quare Aristoteles loquitur in numero plurali dicẽs *In his, quæ materia carent, &c?* Respon. rationem esse, quòd erronè existimavit, Angelos (quos vocavit intelligentias 12. *Metaphys.* vt notabamus *in prooemio numero 6.* (esse entia necessaria: vt patet 12. *Metaphys. text.* 43. De quo legatur Scotus *quodlibet.* 7. §. *Ad aliud vers. Dicitur secundò.*

9 Ex hoc ergo principio erroneo (*Angeli, seu intelligentiæ sunt entia necessaria*) intulit Aristoteles, Angelos carere materia sumpta pro principio indiuiduationis contrahente eius essentiam, seu condistincto ab eius quidditate: & consequenter, non posse esse plures Angelos numericè tantùm distinctos. Quod vt clarius fiat: ex mente Aristotelis, atque nomine ipsius formemus hoc argumentum. In ente necessario quidquid potest esse, necessario est: quia in tali ente esse, & posse sunt idem realiter. Sed Angelus est ens necessarium: ergo in eo quidquid esse potest, necessariò ponitur in actu: ergo si in eo possunt esse plura individua, necessario sunt actu, & formaliter. Si autem possunt esse plura eiusdem rationis; ergo necessariò sunt infinita in actu. Sed infinita in actu esse non possunt: ergo neque plura: ergo tantùm est in tali natura vnum individuum, nec plura esse possunt: ergo in tali natura individuatio est indistincta à quidditate, seu essentia: ergo *in his, quæ carent mate-*

ria, idem est quidquid est cum eo, cuius est.

10 Ex dictis *à numero 6.* satis constat responsio ad argumentum, quod ex illis verbis Aristotelis (*In his, quæ materia carent, &c.*) fit contra nostram sententiam. Constat enim, quòd ibi sumitur materia pro differentia individuali. Quia tamen Scotus *quæstione illa 7.* & cum eo Scotistæ communiter prædicto argumento secundam adhibent solutionem. Respondetur secundò, Aristotelem sensisse quidem, quòd omne carens materia physica, seu quæ est altera pars compositi, imbibit essentialiter suam singularitatem. Erravit tamen in hoc, sicut, & in principio, ex quo talem elicuit conclusionem. Hoc autem fuit principium illius conclusionis: *Omne ens carens materia est formaliter necessarium.* Cum ergo nullus Catholicus admittere possit hoc principium Aristotelis; meritò nos discordamus ab eo etiam in conclusione, quam merè propter tale principium ipse Aristoteles defendit. *Rationabilius est enim* (ait Scotus *quæst. illa 7. §. Ad primum versiculo Sed discri-damn.*) *Theologo discordanti à Philosopho in principio, propter quod tenet aliquam conclusionem, consequenter discordare in conclusione, quàm errare cum eo in conclusione, & discordare ab eo in principio, propter quod ipse erravit.*

11 Hinc Scotus *ibi versiculo Per idem* respondet concedendo, quòd etiam Avicena 9. *Metaph. cap. 4.* sensit, quòd *tantùm sit vnus Angelus in vna specie. Sed propositio, cui hæc propositio innititur, scilicet, quòd Angelus superior creet inferiorem, à nullo Theologo, vel Catholico conceditur. Quare nec eius conclusio debet concedi ab aliquo Theologo.* Recolantur dicta *capit. 1. difsic. 2. n. 2.* vbi argumentum Avicenæ adduximus, & solvimus.

12 Hinc etiam *ibi versiculo Et quod additur* discordat à Philosopho, quatenus *in 1. de Cælo, & mun. t. ex. 92. & inde* docet, quòd in corporibus supercœlestibus, non est nisi vnum individuum vnius speciei, (etiam loquendo de possibili) sicut vnus Sol, vna Luna, &c. Sed audiamus Scotum sic loquentem: *Respondeo: sua ratio fuit, quòd tale corpus singulare fuit ex tota materia illius speciei, & hoc non tantùm actuali, sed etiam potentiali secundùm eum; quia secundum eum nulla erat materia possibilis, manente specie tali, quæ non erat tota in vno singulari in tali specie: nihil enim posuit posse produci novum in immobilibus, seu in sempiternis secundùm quod talia sunt, scilicet immobilia, & sempiterna. Et quia non concordant cum eo Theologi in hac propositione. Omne corpus sempiternum est ex tota materia illius speciei actuali, & po-*

potentiali; ideo non est concordandum cum eo in conclusione. Quare etiam ipsi Thomistæ nobiscum, & cũ omnibus Theologis fatentur, posse à Deo creari plures Soles, Lunas, &c. solùm numero distinctos: cùm enim sint entia materialia, adhuc Thomistæ non inveniunt in hoc aliquam repugnantiam.

13 Obijciunt secundò contra conclusionem, quòd multiplicatio individuorum in eadem specie solùm est propter cõservationem speciei. Sed species Angelica conservatur in vno: cùm sit incorruptibilis: ergo in qualibet specie Angelica vnicum est individuum. Maiorẽ docet Aristoteles *2. de Anima tex.* 34. Respondetur ex Scoto *diversit. Ad vltimum* negando maiorẽ: ad probationem dico, Aristotelem non dixisse, quòd illa causa erat vnica, & principalis. Præcipuam autem rationem ponendi de facto plura individua in quacumque specie Angelica assignabimus *à num. 27.* Respondetur secundò, hoc argumentum non probare, impossibile esse dari plures Angelos solùm numero distinctos: de quo tantùm in præsenti disputamus.

14 Obijciunt tertiò: ratio, & principium distinctionis numeralis, & constitutionis individui est materia signata quantitate, aut sola quantitas. Sed Angelus est incapax materiæ, & quantitatis: ergo nequit numericè distingui ab alio eiusdem speciei. Resp. negando maiorem: principium siquidem indiuiduationis est vltima realitas entis, quòd dicitur singulare, aut individuum: vt docet Scotus *in 2. dist. 3. q. 6. §. Ad quæstionẽ vers. Respondeo* Præterea argumento illo probaretur, Michaelẽ v.g. non posse numericè distingui ab alio Angelo etiam alterius speciei, (si sunt Angeli diversæ speciei: de quo à *n.* 27.) immo neque ab aliqua re. Si enim est incapax materiæ, & quantitatis; & ab vna illarum sumitur individuatio secundùm Thomistas obijcientes hoc argumentum; erit profectò incapax individuationis: & consequenter poterit quidẽ distingui ab alio ente per prædicata specifica, seu essentialia; non tamen per indiuiduationem.

15 Obijciunt quartò, quòd distinctio numeralis dicitur materialis: sed Angelus non habet materiam: ergo non potest distingui individualiter. Respondetur, quòd dicitur materialis, sumpta materia, non physicè, seu pro altera parte compositi; sed sumpta metaphysicè, seu pro prædicato illo, quod omnia alia sustentat; vt iam satis constat ex dictis *à n.* 6.

16 Obijciunt quintò. Omnis differentia formalis est specifica: sed omnes Angeli differunt per differentiam forma-

lem: ergo omnes differunt differentia ſpecifica: ergo omnes differunt ſpecificè: ergo non poſſunt eſſe in aliqua ſpecie Angelica plura indiuidua ſolùm numero diſtincta. Maior probatur duabus auctoritatibus Philoſophi. Prima eſt *ex octavo Metaphyſic.* vbi dicit, quòd *formæ ſe habent, ſicut numeri.* Sicut enim ternarius verbi gratia ſpecificè differt à quaternario: ſic, quæ differunt per formas, ſpecificè differunt. Secunda auctoritas eſt *ex decimo Metaphyſicor.* vbi docet, quòd *maſculus, & fæmina, non differunt ſpecie; quia maſculinitas, & femineitas ſunt differentiæ materiales formæ humanitatis*: per hoc innuens, quòd differentiæ formales omnes diſtinguant in ſpecie: quia forma, & ſpecies ſunt idem.

17. Reſpondetur ex Scoto *quæſt. illa 7. §. Ad primum argumentum à verſiculo Ad rationem* diſtinguendo maiorem: etenim duæ formæ interſe comparatæ aliquando differunt eſſentialiter (inadæquatè, ſeu incompletè) ſicut differunt anima rationalis, & anima leonis. Aliquando differunt ſolùm numero: ſicut differunt anima Petri, & anima Pauli; duæ albedines ſimilium, aut diſsimilium graduum, &c. Quando duæ formæ differunt formaliter, ſeu eſſentialiter, dicit Scotus, quòd eſt differentia formalis in forma. Sin verò ſolùm numero, aut etiam accidentaliter differant; dicit quòd eſt formalis differentia formarum. Sed de vocibus non eſt multum curandum, dum conſtat de re. Igitur falſa eſt maior, ſi intendat, quòd omnis forma neceſſariò differt ſpecie à quacumque alia forma, cum qua poteſt comparari, aut à conſtituto per quamcumque alaim formam. Contrarium enim convincit inſtantia duarum animarum rationalium; duarum albedinum. (etiam diſsimilium graduum) Eſt autem vera maior, ſi intendat, quòd omnis differentia formalis eſt differentia ſpecifica, ſeu neceſſariò conſtituens ſpeciem. Hinc verum eſt, quòd ſinguli Angeli differunt differentia ſpecifica, non inter ſe, ſed comparati cum aliјs entibus alterius ſpeciei. Sicut verum eſt, quòd ſingulæ animæ rationales differunr ſpecificè, (incomplete, ſeu inadæquatè) non comparatæ inter ſe, ſed cum aliјs alterius naturæ, aut ſpeciei.

18. Per quod patet ad illud *octaui Metaphyſic.* (*formæ ſe habent; ſicut numeri*) eſt quippe verum de formis eiuſdem ſpeciei, ſi cōparentur, nō inter ſe ſe, ſed cū forma alterius ſpeciei. Idem eſt dicendū ad illud *10. metaph.* Fate-

temur enim , quòd ibi innuit Philoſophus, omnes differentias formales deſtinguere in ſpecie illa, quæ per eas conſtituuntur, ſi illæ differentiæ, aut ipſa conſtituta comparentur cum alijs ſpecificè diſtinctis; ſecus autem, ſi comparentur inter ſe duæ differentiæ ſolùm numericæ diſtinctæ; vt ſunt duæ rationalitates; duæ leonitates, &c.

19 Hinc etiam patet intelligentia minoris : etenim verum eſt, nullum eſſe Angelum, qui non differat differentia formali, & ſpecificè diſtincta, ſi compararetur cum alio Angelo, vel ente non habente formam, aut eſſentiam eiuſdem ſpeciei: ſecus autem, ſi cōpararetur cum alio eiuſdem eſſentiæ. In quo ſenſu concedendæ ſunt duæ priores conſequentiæ, & neganda vltima.

20 Obijciunt ſextò : omnis forma ſeparata à materia habet in ſe totā perfectionem ſuæ ſpeciei. Sed Angelus eſt forma ſeparata à materia: ergo habet omnem perfectionem ſuæ ſpeciei: ergo in illa ſpecie (Michaelis v.g.) nulla alia perfectio poteſt reperiri : ergo in illa ſpecie non poteſt dari aliud indiuiduum. Maior probatur, ſeu declaratur; quia forma, quæ ex natura ſua non ſeparatur a materia, ſed exigit conſortium cum illa ad cōponendum ſpeciem : ideo non continet totam perfectionem ſpeciei, quia ſpecies illa participat à materia aliquam perfectionem : ergo Angelus, ſeu forma illa, quæ ex natura ſua ſeparatur à materia, ſeu quæ excludit cōſortium materiæ, continet in ſe totam perfectionem ſuæ ſpeciei. Reſpondetur ex Scoto *ibi verſic. Ad aliud dico, quòd ſi* diſtinguendo minorem: eſt enim falſa de materia totius. Itaque ſi intendat, quòd ens illud, quod non habet materiam, quæ ſit altera pars ſui, includit totam perfectionem ſuæ ſpeciei, ſeu quæ in illa ſpecie poteſt reperiri, non ſolū ex prædicato ſpecifico , ſed etiam ex prædicato materiali, & numerico; propoſitio illa eſt falſa: quia in alio, & alio indiuiduo illius ſpeciei eſt alia , & alia perfectio materialis. Vt patet in anima rationali ſeparata; in qua reperitur tota perfectio ſpecifica (inadæquata, ſeu incompleta) non tamē tota numerica illius ſpeciei: cùm in alia anima ſit diſtincta perfectio indiuidualis ſeu materialis, aut numeralis. Sin verò intēdat maior illa, quòd ens, quod ſeparatur à materia totius , ſeu quod nō habet prędicatum ſingularitatis diſtinctum ab eſſentia (vt ſatis manet declaratum *à n.* 6.) imbibit totam perfectionem etiam indiuidualem ſuæ ſpeciei, aut lineæ; vera eſt maior, ſed falſa eſt minor. Angelus quippe nō eſt ſeparatus à materia in hoc ſenſu, ſeu non imbibit ſingularitatem

tatem, tamquam aliquid essentiale sui. Et ideo negamus consequentias. Probatio autem maioris solùm convincit, quòd Michael v.g. includit totam perfectionem specificam, non autem numericam alterius individui suæ speciei.

21 Obijciunt septimò ordinem vniversi, in quo omnia sunt ordinata, & superiora non sunt minùs perfecta, quàm inferiora. Vnde sic argumentatur. Suprema pars vniversi non est minùs perfecta aliis partibus. (Supponunt, quòd in vniverso sunt tres partes, seu sphæræ rerum, seu entium subordinatorum. Prima est substantiarum immaterialium: secunda corporum cœlestium: tertia rerum generabilium, & corruptibiliũ.) Sed Angeli sunt suprema pars vniversi: ergo non sunt minùs perfecti, quàm corpora cœlestia. Tunc sic: corpora cœlestia propter sui perfectionē non sunt multiplicabilia numero: ergo neque Angeli. Resp. negando minorem subsumptā: corpora enim cœlestia sũt multiplicabilia numero: spectatq; ad perfectionē cuiuscũque rei creatæ multiplicatio numerica: cùm quodlibet individuũ addat aliquam perfectionem materialē, seu individualem super naturæ specificæ perfectionē. Quòd autē de facto tantũ sit vnꝰ sol, vna luna, vnus Iupiter, &c oritur ex volũtate divina; & ratio cõgruē tiæ, est quòd ad ministeriũ, quod circa inferiora exercet quilibet planeta nō est necessaria multiplicatio individuorum.

22 Obijciunt octauò: in republica Angelorũ ponendus est perfectior ordo entium. Sed ordo per se est perfectior, quā ordo per accidēs. (Vocatur ordo per se ille, qui reperitur inter ea, quæ sunt essentialiter subordinata. Ordo autem per accidēs dicitur ille, qui reperitur inter ea, quæ aliquo modo se respiciũt, inter se tamē non habent aliquā depēdentiam, aut subordinatienē: talem ordinem habent individua eiusdem speciei.) Ergo ordo per se potiùs, quàm ordo per accidēs ibi est collocãdus. Tunc sic. Inter specificè distincta est ordo per se; & inter solùm nomero distincta est ordo per accidens: ergo dicendum est, omnes Angelos specificè distingui. Probatur minor subsumpta: *octavo enim Metaphys. tex.* 10. dicitur, quòd species se habent sicut numeri: & consequēter species rerum sunt essentialiter subordinatæ in perfectione taliter, quòd non sint duę species eiusdem perfectionis: ac per consequens inter species est ordo per se quia iste reperitur inter illa, quæ sunt essentialiter subordinata. Quòd autem inter individua eiusdem speciei sit ordo per accidens, dicitur 3. *Metaphys. tex.* 11. Responsetur, admisso toto hoc argumen-

mento, ex illo non probari, esse impossibile dari plures Angelos solùm numero distinctos: quod in præsenti intendunt Thomistæ. Quare autem hoc argumento non convincatur, defacto omnes Angelos specificè differre, constabit ex dicendis *à n. 30.* vnde apparebit, vrgentiores congruentias oppositū persuadere.

23 Obijciunt nonò: in his, quæ sunt vnius speciei non est prius, & posterius: vt dicitur 3. *metaphy. tex. 11.* & est per se notū: ex natura quippe sua Petrus v.g. non exigit esse priùs Paulo. Sed in Angelis etiam vnius ordinis sunt primi, medij, & vltimi secundùm D. Dionysium *c. 10. Angelicæ Hierarchiæ*: ergo in eadem specie nō reperiuntur multi Angeli solū numero distincti. Respondetur distinguendo minorē: est enim falsa loquendo de Angelis secundùm naturalia, aut in esse naturæ consideratis; vera autem loquendo de eis secundùm illa, quæ gratuitò acceperunt, aut secundùm, ministeriū, quod exercēt. Sicuti inter homines, servata vnitate speciei, sunt alij alijs excellentiores. Dices, quòd Angelis collata sunt gratuita ad mensuram naturaliū ita vt perfectioribus in natura excellētiores gratiæ sint concessæ: vt cōmuniter circumfertur: ergo in naturalibus differunt Angeli. Resp. ita esse. Itaq; multi Angeli excedunt alios in naturali perfectione, nō specifica, sed individuali, de quo latè dicem⁹ *à n. 33.*

DVBIVM II.

24 Petes secundò, an de facto dentur plures Angeli solùm numero distincti? Respond. affirmativè. Quia hoc à fortiori probant omnia illa, quæ adducemus dubio sequenti *à num. 17.* ad probandum, omnes Angelos esse eiusdem speciei infimæ. Et quamvis hoc postremum negēt multi *num. 33.* citandi; hanc tamen nostram conclusionem defendunt communiter tam antiqui, quàm recentiores; etsi non nulli dicant, rem esse dubiam. De quo præsertim legantur *Fabro disp. 23. c. 2. à num. 19. & Suar. lib. 1. c. 15. num. 15. qui citat Scotum Alensem; D. Bonav. D. Albertum Magnum Gabrielem, Marsilium*, Dur. *Molinam; & Valentiam.*

25 Vazq. autē *disp. 181. c. 3. n. 6. & Pesantius 1. p. q. 5. ar. 4.* dicūt, se ignorare, an de facto sint plures Angeli solū numero distincti? Et obiciunt Damas. *2. de Fide c. 3.* vbi de Angelis ita scribit. *Ac de essentia quidem æquales naturæ inter se? An dispares sint? Haud quaquam compertum habemus. Solùs ille scit, qui eos creavit Deus; quique omnia perspecta & explorata habet.* Respondetur, solùm intendere, de hoc nōs non posse habere evidentem rationem: habemus tamen satis probabiles rationes, quibus ducta tota ferè Schola (contra Thomistas) defendit nostram con-

conclusionem. Immo ipsemet Damascenus *n.* 28. citandus expressè fatetur, Angelos esse eiusdem speciei infimæ; & consequenter solùm numero differētes. Quod & docent alij Patres ibidem citandi.

26 Sed D. Thom. & Thomistæ, alijque Auctores *n.* 5. citati à fortiori defendunt, de facto non dari plures Angelos solùm numero distinctos. Quorū rationes solutæ manebūt ex dicendis *à n.* 28.

DVBIVM III.

27 PEtes tertiò, an inter Angelos detur distinctio specifica? Respondetur negativè. Itaque affirmo, omnes Angelos esse eiusdē speciei infimæ. Probatur primò: quia in hoc nulla est repugnantia: vt suppono cū Becano *in tract. de Angelis c.* 1. *q.* 4. *n.* 4. Suar. *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 4, & cū communissima sententia affirmantium contra Thomistas, nō esse aliquam repugnantiam in hoc, quòd sint multi Angeli solum numero differentes: vt dixi *n.* 2.

28 Scio, esse inefficax argumentum, ex non repugnantia, aut possibilitate inferre factum, seu defacto esse omnes Angelos sub eadem specie infima. Tamē propter non nullos fuit necessarium, probationem huius conclusionis sumere à non repugnātia. Qua supposita probatur secundò nostra conclusio auctoritate Damasc. *lib. de Decr. & plaut. c.* 7. dicens: *Incorpoream assentiam appello animum, Angelum, dæmonem: vnumquodque enim istorum species est infima*: & *cap.* 1. dixerat: *vniuscuiusque speciei vna est natura; & omnium Angelorum vna est natura, & omnium hominum*. Idem docent Basilius *lib.* 3. *contra Eunomium in principio*. *Greg. Nyssenus de Opificio hominis cap.* 17. *Athanas. orat. in id, omnia mihi tradita sunt circa finem*, & *Anselmus lib.* 2. *Cur Deus homo cap.* 21. Quæ auctoritates sunt adeo expressę, vt fateattur Auctores oppositi, aliquos horum Patrum sic fuesse opinatos. De quo præcipuè legatur Suar. *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 7.

29 Dices, etiam pro opposita sententia stare aliquos alios Patres; nec non & Scotum. Respondetur, parum esse incommodum, quòd aliqui Patres opponantur nostræ sententiæ; cùm ipsam apertè doceant alij numero præcedenti citati. Sed, vt verum fatear, nulla expressa Patrū auctoritas nobis est opposita. Minusq; vrget nos Doctor subtilis: quamvis enim Tartaretus *in* 2. *d.* 3. *q.* 7. *in principio* dicat, Scotū supponere, plures esse Angelorū species, quòd & multoties repetūt Scotistæ: tamē nullibi apud Scotum hoc reperitur; nec ipsi Scotistæ verba Scoti adducunt. Nec capio, quomodo Scotus posset supponere rem,

quam

quam parum ante Scoti tempora, affirmat D. Bonav. *n.6.* citãdus esse sub probabili opinione positam(Floruit Scotus ad annos 1300. Præcesserat Bonav. anno 1265. teste Bellarmino libro de scriptoribus Ecclesiasticis.) Sic enim loquitur D. Bonav. *Circa hoc duplex est opinio, & vtraque probabilis*: & posteà ipse defendit, omnes Angelos esse eiusdem speciei. Quomodo ergo Scotus potuit sine aliqua probatione hoc supponere. Dices satis apertè hoc supponere Scotum *q. illa 7. §. Qui dicunt versic. Et confirmatur* Item *in 3. d. 20. §. Et vers. Ad primum principale.* Resp. in istis locis, neq; in aliquo alio hoc supponere Scotum, tamquam sibi certum; sed loquutum fuisse cõmuni modo loquendi multorũ in re, quam ipse tunc non disputabat. Et ad hoc expendo quod *quæst. illa 7.* Sic loquitur. *Et confirmatur etiam per aliquos, quibus est inconveniens, &c.* an si diceret se tũc ex aliorum mente loqui illorũque modo loquendi vti: quia tunc non quærebat specificam distinctionem Angelorum: sed vtrùm possent esse aliqui solùm numero distincti. In tertio autẽ citato reddebat rationem, quare fuerit redemptus homo, & non Angelus? Et approbat respõsionem illorum, qui dicunt, rationem esse, quòd ceciderat tota natura hominis; non autem Angelorum. Per quòd sufficientissimè respondebat quæsito. Illa autẽ verba, quæ admiscuit; *Ideo non cecidit aliqua species Angelica tota; licet fortê de qualibet specie ceciderit aliquis*, tamquam per transennam, & dicta per aliquos (vt dixerat *in 2. citato*) protulit.

30 Porbatur tertiò, quia pro hac sententia sunt vrgentiores cõgruentiæ, quàm pro opposita. Prima est, quòd spectat ad perfectionem naturæ Angelicæ omnes Angelos esse eiusdem speciei infimæ: ergo ita sunt de facto. Antecedens constat ex eo, quòd vnitas pertinet ad perfectionem: & ideo Deus summè vnus est: ergo quò inter Angelos fuerit maior vnitas, eo eorum status est perfectior, Sed ponendo, omnes Angelos esse eiusdem speciei infimæ inter ipsos maior datur vnitas, quàm ponendo, eos esse diversarum specierum: ergo sunt eiusdem speciei. Secunda congruentia est, quòd sic ponitur maior vnitas in illa cœlesti patria: vt illi felicissimi cives *communicantes ad invicem, gaudeant adinvicem, & naturali beatitudine copulati adinvicem securè, & amicabiliter disponantur*: ait Damas. *in elementario cap. 12.* & refertur à Scoto *quodl. 2. §. Hic concordant versic. Prima ratio.* Quod & experientia docet: cõmunicantes enim eãdẽ naturam, sanguinẽ, patriã, immo & religionẽ, vel ministeria maiori auiditate se diligunt, iuvant, & defendũt.

Vnde

Vnde proloquium illud fuit exortum: *simile simil:m quærit*; aut *similes cũ similibus fa:illimê congregãtur.*

31 Quartò probatur à simili de republica hominum; in qua omes sunt eiusdem speciei infimæ: ergo idem contingit in republica Angelorum. Dices, non posse esse homines diversæ speciei, benè tamen Angelos. Sed contra, quòd aliqui probant nostram cõclusionem ex eo quòd putant, repugnare esse Angelos diversæ speciei. Quod probant à simili de homine, seu de anima rationali, quæ est incapax specificæ distinctionis; secundò, quia non apparet, vnde posit in natura Angelica sumi specifica distinctio: cùm in eis solùm reperiamus prædicatum naturæ spiritualis completæ; (in quo omnes conveniunt, tanquam in genere, seu in aliqvo communi) & prædicatum naturæ intellectivę, & volitivæ: in quo omnes Angeli conveniunt, tamquam in prædicato infimæ speciei. Insuper non est omnino certum, nõ posse esse homines diversæ speciei. Et tunc currit ista paritas, seu quarta ratio. Si autẽ verũ sit, repugnare esse diversas species in natura Angelica; inde evidenter probabitur nostra cõclusio. Sed ab hoc cõsultò supersedeo.

32 Igitur cõstat ex dictis, quòd nõ repugnat, omnes Angelos esse eiusdem speciei infimæ. Item quod gravissimi Patres apertè docẽt, de facto omnes esse eiusdem speciei athomæ. Insuper quòd Scotus nullibi docet oppositũ. Et demũ, quòd hoc suadent aliquæ cõgruẽtiæ, & paritas hominũ, qui omnes sunt eiusdem speciei specialissimæ. Propter quę coacti sumus absolutè propugnare, omnes Angelos coprehẽdi sub vna specie infima. Quod apertissime docet Seraphicus Doctor *in 2.d.9.art.1.q.1.&* pro hac sententia citantur Guilliermus Parisiensis *in lib. de vniverso secundæ partis principalis 1.p. à c. 66. fol. mihi 223, & Alvertus Magnus in summa 2.p.tract.2.q.8.*

33 Sed in Angelis esse aliquã distinctionẽ essentialem, seu nõ omnes esse eiusdem speciei infimæ, docent cõmuniter, præcipuè Suar. *lib.1.c.12.n.5.* citãs *D. Th. Æ:id. Scot.*, (de cuiº tamẽ mẽte diximº *n.2*) & *Alensem*; quibus *c.14.n.3.* addit *Magistrum, Gab. Richard. & Durandũ,* possetque multos alios addere, tam Thomistas quàm Scotistas. Pro qua sententia obijcies, quod tã Patres, quã Scolastici sæpe dicunt, Angelos recepisse gratiã iuxta proportionem naturaliũ: ergo supponunt, eã recepisse ad mensurã diversitatis specificæ. Resp negãdo cõsequẽtiã. Quod enim supponũt est in naturalibº fuisse aliquã distinctionẽ melioritatis in illis, qui excellẽtiorẽ gratiã receperunt, quod nos fatemur; dicimº tamẽ hanc perfectionẽ maiorẽ esse in di-

dividualē, nō ſpecificā. In qua perfectione anima Chriſti Dñi. excedebat reliquas animas. Itaq; ſicut in hominib⁹ experimur alios aliis eſſe lōgè perfectiores vi, & efficacitate intelligēdi: & cum hoc benè cōponitur, omnes homines eſſe eiuſdē ſpeciei: ita in Angelis eſt philoſophandum.

34 Dices, differentias ingeniorum in hominibus non oriri ex maiori, vel minori perfectione individuali illorū, ſed ex meliori, vel peiori temperamento corporali. Cùm enim noſtrū intelligere pro hoc ſtatu pendeat à ſenſibus, corpora, quæ meliori gaudent tēperamento, ſunt magis diſpoſita ad intelligendum. Sed contra, quòd quamvis hæc ita ſint, quando temperamenta ſunt diverſa; quid dicemus de duobus hominibus, qui gaudent æquè perfecto temperamēto; & tamen vnus habet animam rationalem individualiter perfectiorem alterius anima? Itaque diuerſitas intelligendi in hominibus poteſt ex duplici capite provenire, nempe aut ex diverſo tēperamento corporis, cui talis anima vnitur, & quo medio intelligit in hoc ſtatu: aut ex diverſitate perfectionis individualis, qua vna anima ſuperat aliam. Quod autem vna anima rationalis ſuperat aliam in perfectione individuali, ſuppono cum Magiſtro *in 2. d. 17. cum D. Th. Bon. &. Richardo &* cum communi ſententia, quæ valde conformis eſt doctrinæ *Scoti* 8. *Met. & quol. b.* 21. §. *Sed quæ verſi.* Reſpōdeo, *ſi Ariſtoteles* & quam propugnavi *lib.* 2. *de Anima diſp.* 2 *q.* 5.

35 Obijcies ſecundò, quòd multitudo ſpecierum ſpectat ad pulchritudinē, & perfectionē vniverſi: ergo ponēda eſt diverſitas ſpecierū in Angelis. Reſp negando cōſequentiā; magis enim pōderāt aliæ cōgruētiæ pro noſtra cōcluſione adductæ, nempe quòd Angeli per vnitatē ſpecificā magis appropinquāt ad vnitē, & perfectionē Dei: & inter ſe magis amicabiliter copulantur: ſicque ponitur maior vnitas in cœleſti patria.

10 Obijcies tertiò, quòd magis Deus manifeſtat ſuā bonitatē, & ſapiētiā creando multas ſpecies: ergo creavit Angelos ſpecificè diſtinctos. Reſp. negādo cōſequētiā: quia *Deus nō manifeſtat bonitatē, niſi ſalva cōdecētia, & perfectione civitatis ſupernæ*: ait D. Bon. *ibi n.* 7. ac ſi diceret, quòd magis ponderat cōgruētia de vnitate patriæ cœleſtis, ſeu quòd omnes illi⁹ cives ſint eiuſdē naturæ ſpecificæ: ſicq; ſtatus illius civitatis magis appropinquat ad perfectionē, & vnitatem Dei.

36 Obijcies quartò, quòd in corporib⁹ cœleſtib⁹, & ſyderib⁹ varietas ſpecierū invenitur. ergo & in Angelis. Reſp. negādo cōſequētiā, aut paritatē: quia *nō eſt ſimile*, (inquit D. Bon. *ibi n.* 9.) *nec in re, nec in ratione. in re nō; quia illa habēt diverſas operationes ſpecificas; non*

sic Angeli. *In ratione nō: quia illa sūt ordinata ad diversas necessitates; Angeli verò omnes ad vnū principale*. Ac si diceret, in Angelis non assignari diversas operationes specificè distinctas, ex quibus posset colligi, illos specie differre: sicut assignamus in corporibus cœlestibus: vt patet in diversissimis illorū influxibus. Insuper astra sunt creata ex intentione consequendi diversos fines, seu inserviendi homini in diversis ministerijs specificè diversis. Vnde colligimus, aliqua astra esse specificè diversa. Omnes autem Angeli ordinati sunt primariò, & per se ad intelligendum, & amādum Deum. Et quamvis hoc excellentiùs in aliquibus, quàm in alijs reperiatur, hoc tamen non sufficit ad colligendum distinctionem specificam inter illos: sicut neque hanc colligimus inter calorem remissum, & intensum; inter magis album, & minùs album &c.

37 Obijcies quintò, quòd in inferioribus invenimus inter extremè distantia in eodem gradu plures essentias medias: vt inter homines, & animalia imperfecta innumerabiles species animalium perfectiorum, & irrationalium: & sic de alijs: ergo multo magis inter Deum, & homines, qui sunt quasi extremi summè distantia in gradu intellectuali, debuerunt produci multi gradus naturarum intellectualiū speciei diversarum. Respondetur negando consequentiam: quia magis ponderat congruentia vnitatis patriæ cœlestis, seu quòd omnes illius cives sint eiusdem naturæ specificæ: sicque status illius civitatis magis appropinquet ad perfectionem vnitatis Dei; & inter se amicabiliùs copulentur.

38 His omnibus adde, quòd ferè omnia nobis obiecta, & multa alia, quæ possent obijci, probant, in hominibus reperiendas esse diversas species. Diceremus enim, quod esset pulchritudo vniversi ponere homines diversæ speciei. Item, quòd Deus plùs manifestaret suam bonitatem, sapientiam, & alia attributa. Insuper, quod hoc suaderet instantia corporum cœlestium, & syderum. Et demum, quòd propter vltimum argumentum numero præcedenti adductum deberemus inter Deum, & aliquam speciem infimam hominis ponere multas species subalternas ipsius hominis: immo, & multas species infimas hominis: sicut de Angelis philosophatur opposita sententia.

39 Immo & prima obiectio posita n. 33. etiam probat, in hominibus reperiendas esse diversas species. Communis enim illa locutio Patrum, & Theologorum (*Angeli receperunt gratiam ad mensuram seu proportionem naturaliū, seu perfectionis naturalis*) habet etiā lo-

locum in omnibus. Siquidem si perseverasset status innocentiæ, cuique illorum divisisset Deus gratiam ad mensurā perfectionis individualis: etenim mihi non apparet ratio, ob quam Deus gratiam Angelis contulerit ad mensuram perfectionis (sive specificę, sive individuæ) non autem hominibus, qui nascerētur, perseverante statu innocentiæ.

40 Quin potiùs addo, de facto Deum hominibus, qui iustificantur per receptionem baptismi ante vsum rationis, conferre gratiā ad mensuram perfectionis naturalis. Ita q. ex opere operato, seu vi, & efficacia baptismi confert Deus parvulo vnum gradum v. g. gratiæ sanctificantis: attendendo autem ad perfectionem naturalem, qua superat alium parvulum, qui etiam recipit baptismum, confert ei aliquam vberiorem gratiam. Et ratio est, quod naturalia hominis non destruuntur per peccatum: ergo ablato per baptismum peccato, remanet excessus perfectionis naturalis, quo homo perfectissimus in naturalibus excedit imperfectum. Si ergo Patres, & Theologi invenerunt rationem congruētiæ in maiori perfectione naturali vnius Angeli, vt Deus illi maiorem conferret gratiam: eandem prorsus invenire debent in homine, qui alium excedit in naturali perfectione, vt ablato peccato, ei maiorem cōferat gratiam. Non enim apparet aliqua disparitatis ratio.

41 Neque hoc est contra Patres nolentes admittere in hominibus aliquod initium naturale gratiæ, aut gloriæ. Patres enim, & Theologi solùm negāt (contra Pelagianos, & Semipelagianos) initium gratiæ, aut gloriæ per modum meriti, aut dispositionis moralis. Non tamen negant, posse reperiri in natura aliquam congruentiam seu proportionem cum maiori collatione gratiæ, aut gloriæ. Alioquin malè dicerent, Angelis fuisse distributam gratiam ad mensuram naturalium. Hinc *in tractatu de Prædestinatione disp. 4. q. 3. num. 13.* dicebamus, quòd excessus bonitatis naturalis, quem habet Petrus v. g. oblatus Deo in esse possibili comparatus cum Iuda, aut cum alio reprobo minoris perfectionis naturalis, fuit aliqua ratio congruentię, vt à Deo prædestinaretur ad gloriam.

DIFFICVLTAS III.

De distinctione Angelorum quantum ad ordines, & Hierarchias.

1 TRactant de Angelorum choris, aut ordinibus, nec

F

nec non de eorum Hierarchijs *D. Dionysius toto libro de cœlesti Hierarchia, Greg. hom. 34. in Evangelia, Isidorus libro 1. sententiarum c. 12. Beda in libro quæstionum quæst. 9. & Bern. serm. 19. in Cantica. Ex Scholasticis autem Magister in 2. d. 9. vbi Distinctionistæ; Thomistæ autem 1. p. q. 108.*

2 Cùm autem Dionysius primus omnium tractaverit hanc materiam, supponendum est, opera D. Dionysij, quæ nunc extant, sine dubio esse illius: nam à communi Ecclesia recepta sunt, tamquam vera Dionysij opera: sunt enim allegata ad confirmanda fidei dogmata *in Concilio Lateranensi sub Martino 1.* (qui Ecclesiam regebat ad annum octingentesimum octuagesimũ tertium.) *sub consultatione 3. & 5. & in 6. Synodo generali actione 4. & 10.* (celebrata fuit circa annum sexcentesimũ octuagesimũ) Itẽ *D. Greg. Dam. & alij Patres & Scriptores à 900. plus annis* eadem opera allegant. Insuper refer Baronius *t. 2. Annalium ad annum millesimum*, quòd, cùm hæc opera missa fuissent à Pontifice in Galiam, & introducerentur Parisijs, quædam miracula facta sunt, per quæ Deus eorum veritatem confirmavit. Quæ omnia notat eruditus Lorca *in tractat. de Angelis d sp. 3. q. 3.* Hinc reiicio aliquos antiquos, qui dubitarunt, an opera, quæ nunc sub nomine Dionysij circunferuntur, verè sint ipsius Dionysij? A fortiori reijcio Caietanũ, qui *in cõmento tertij libri Regum, & in Acta Apostolorum cap. 21.* probabilius censet, prædicta opera non esse Dionysii. Intolerabilius adhuc est, quod dicunt aliqui hæretici recentiores, qui affirmant, prædicta opera esse fictitia, & falsò imponi Dionysio. Quod autem omnes hi fallũtur, constat ex dictis.

3 Dices, quòd *Aug. Hieronymus, & Gennadius in libris de scriptoribus Ecclesiasticis* Dionysij operũ non meminerunt. Neque *Eusebius Cæsariensis*; qui omnes scriptores vsque ad sua tẽpora memorat. Immo neque *Gelasius Papa in capit. Sancta Romana d. 15.* vbi approbat ferè omnium Sanctorũ Patrum scripta, Dionysium nõ recenset: ergo opera Dionysij, quæ post hos Patres in lucem prodierunt, non sunt ipsius Dionysij. Resp. negando consequentiã. Solùm enim sequitur, prædictos Patres non legisse Dionysiũ. Nec mirũ, cũ in Ecclesia hæc opera fraude hæreticorũ latuerint: cognoscebãt enim, opera Dionysij esse tãtæ auctoritatis, vt eorũ dogmata pro illa palàm refutarentur. Non tamẽ potuerũt illa opera sic occultare, vt *ab Athanasio, Nazianzeno, Cyrillo & Chrysostomo* non legerentur. quare ab his antiquioribus, & gravissimis Patribus citatur Dionysius. Legantur *Baronius citatus, & Sixtus Senensis lib. 2. Bibliotticæ verbo Dionysius*, qui alia argumen-

menta quæ fieri solent contra opera Dionysij, adducunt, & solvunt.

DVBIVM I.

4 PEtes primò, quid sit Hierarchia? & in quibus reb⁹ reperiatur? Item petes, quid sit Angelorum chorus seu ordo? Resp. ex convenientia Patrū, & Theologorum, quos *n.* 1. citavimus, quòd Hierarchia iuxta Græci nominis etymologiam idem significat, quòd sacer Principat⁹, hoc est, collectio personarum, inter quas est aliquis dignitatis ordo, & quæ militāt sub vno Principe. Vnde infertur, quòd in rebus irrationalibus Hierarchia inveniri non potest: quia non sunt capaces principatus propij, aut imperij: hoc enim in illis solùm qui propriè obediunt, potest reperiri. Item Deo propter Trinitatem personarū Hierarchia attribui non potest: quia inter divinas personas neque est Principatus, aut imperiū, nec ordo dignitatis. Quare non benè aliqui distinguunt Hierarchiam in increatam & creatam. Nulla enim est increata.

5 Ex quibus constat, nomen *Hierarchiam* commune esse Angelis, & hominibus: & consequenter, quòd Hierarchia reperitur in cœlo, & in terra: atque in inferno. Dices: *in inferno nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Iob 10. *num.* 22. ergo ibi non est Hierarchia. Resp. negando consequentiam: quia etsi ibi nullus ordo gratiæ reperiatur: benè tamen reperitur ordo naturæ: nullus enim dæmonum amisit per peccatum perfectionem naturalem: & consequenter ibi est, ordo perfectionum naturalium per quas vnus dæmon alium excedit. Item ibi est ordo iustitiæ; secundùm quem vnicuique infligitur pœna pro mēsura delictorum.

6 Angelorum autem ordo, seu chorus accipitur à Dionysio & alijs *numero* 1. citatis pro collectione, seu multitudine magis speciali, & intra Hierarchiam cōtenta personarum, quæ peculiarem similitudinem in aliquo dignitatis gradun inter se habent.

DVBIVM. II.

7 PEtes secundò, numerum Hierarchiarum cœlestis curiæ, necnon ordinum Angelorum. Respondetur, cum Dionysio, & alijs *num.* 1. citatis, tres esse Angelorū Hierarchias, & novem esse ordines seu choros. Itaque vniversa cælestium spirituum multitudo partita est à Patribus, & Theologis in tres classes, seu præcipuas partes, quas appellarunt Hierarchias: eo quòd quævis illarum classium comprehendit perso-

nas, inter quas est aliquis dignitatis ordo, militantque sub vno Principe, seu persona alijs excellentiori. Item quælibet ex his tribus Hierarchijs partita est in tres choros, seu ordines: eo quòd quælibet illarum comprehendit tria personarum genera, quæ genera habent aliquam distinctionem ab omnibus alijs; personæ autem vniuscuiusque generis habẽt inter se aliquã specialem convenientiam, propter quam componunt vnum ordinẽ, seu chorum.

8 Fundamentũ autem, quo Patres præcipue Dionysius, partiti sunt vniversam Angelorum rẽpublicam in tres Hierarchias, sumptum fuit ab humanis. Sicut enim in humanis sunt tria regna sub vno Rege sic in Angelis sunt tres Principatus: & sicut cõtingit in humanis quòd omnes subditi vnius Regis ex vna parte constituant vnam rempublicam, aut monarchiã: & ex alia, in tria regna constituentia diversas Hierarchias, aut principatus eo quòd habẽt diversas leges, mores, &c. dividantur: ita contingit in Angelis: omnes enim ex vna parte constituunt vnũ integrum regnum, aut monarchiam, nempe cœlestem patriam: ex alia autem in tres principatus, aut Hierarchias dividuntur; eo quòd quælibet illarum suam specialem distinctionem habet, suumque præcipuum Principem: vt ex dicendis in hac difficultate cõstabit.

9 Dices; contingit in humanis, seu politicis sub vno Rege esse nõ solùm tria regna partialia: cur ergo Dionysius vniversam cœlestium spirituum rempublicam in tres tantùm Hierarchias divisit? Resp. meritò, & congruẽtissime sic Angelorum cætum divisisse. Sicut enim in humanis politicis sunt tres gradus, nempe supremus, infimus, & medius: in supremo sunt Principes, qui rẽpublicam gubernant; in medio nobiles, & potentes; & in infimo plebis vulgus, aut multitudo. Ita in illa fœlicissima Angelorum republica sunt gradus, quorum vnusquisque distinctam Hierarchiam constituit.

10 Eodem modo dividenda est quælibet Hierarchia in tres ordines, aut choros. Contingit enim in humanis, vt partiale alicuius Regis regnum dividatur in aliquot civitates habentes diversas leges, mores, iura, &c. & sic constituunt diversas respublicas. Similiter contingit in illa Angelorum republica: quælibet enim Hierarchia dividitur in tres illos gradus (supremum, infimum, & medium) & ideo quælibet Hierarchia partitur in tres ordines seu choros: vt ex dicendis in hac difficultate magis constabit.

11 No-

11 Nota quòd circa ternarium numerum Hierarchiarum numquam aliqua extitit cōtroversia: benè tamen circa numerum ordinum Angelorum. Augustinus enim *in Enchiridio capit.* 59 existimavit, quatuor tantùm esse ordines, seu chóros, quibus vniversitas Angelorum comprehenditur. Idem videtur sentire Theodoretus *super D. Paulum ad Ephesios* 1. *&* *ad Collosſ.* 1. quibus locis de Angelis agit Apostolus. Tamen nunc temporis, & multis àb hinc annis ita receptum est in Ecclesia, novem esse Angelorum choros, aut ordines, vt censeat Lorca *num.* 2. citatus sine temeritate ab hac sententia non licere recessum. Esse autem novem Angelorum choros, seu ordines Dionysius non alio argumento confirmat, quàm traditione Apostolica. Dicit enim, se hanc doctrinam accepisse à Beato Paulo Magistro suo: immo profitetur, se eā fideliter tradere, proùt ab Apostolo Paulo accepit. Cum ergo ex dictis à 1.2. constet, librum de cœlesti Hierarchia esse D. Dionysij; & ipse ibi tam asseveranter affirmet, esse doctrinam D. Pauli, eamque Ecclesia vnanimiter amplectatur; temerarium foret, nunc de illo Angelorum numero dubitare.

DVBIVM III.

12 PEtes tertiò singulorum ordinum nomina; nec non, & seriem, qua sunt numerandi. Respond. quòd ista sunt nomina: Angelus, Archangelus, Principatus, Potestates, virtutes, dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim. Quæ nomina expressè continentur in scriptura: nam *ad Colos.* 1. *n.* 6 *sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates*: *Et ad Rom.* 8. *n.* 38. *neq; Angeli, necque Principatus, neque virtutes.* Et 1. *ad Thesal.* 4. *n.* 16. dicitur, quòd *Dominus in voce Archangeli descendet de cœlo.* De Cherub. autem fit mentio *Genes.* 3. *n.* 24. verbis illis: *collocavit Deus ante paradisum voluptatis Cherubim.* Et demū *Isaiæ* 6. *n.* 1. *Seraphim stabant super illud.*

13 Prædicti novem Angelorum ordines sunt numerandi eo modo, quo *num.* 12. manent numerati. Quia sic eos numerat Dionysius; cui subscribunt cōmuniter Theologi. Quare derelinquendus est Gregorius qui aliquo modo discordat à Dionysio; etenim post Archangelum statim numerat virtutes, & Principatus eo loco, in quo Dionysius constituit virtutes.

14 Ex quibus constat, quos ordines, aut choros compre-

hendat quælibet Hierarchia. Prima quippe, seu infima comprehendit Angelos, Archangelos, & Principatus. Secunda continet Potestates, virtutes, & Dominationes. Tertia demum, seu suprema amplectitur Thronos, Cherubim, & Seraphim. Ita Dionysius, & Theologi, non obstante, quòd aliqui Patres secuti D. Gregorium aliqualiter discordent iuxta dicta numero præcedenti.

DVBIVM IV.

15 Petes quartò, quomodo differant Angelorum ordines? Hoc est, vtrùm illæ novem voces *Angelus*, *Archangelus*, *&c.* significent distinctas personas? An verò significent novem munera distincta? Respondetur, per prædictas voces significari distinctas personas. Itaque vox illa *Angelus* supponit pro quadam spirituali creatura personaliter distincta à quacumque alia persona significata per quamcumque aliam ex illis novem vocibus. Sic apertè sentit Ecclesia, dum in officio omnium Sanctorum omnes istos novem ordines singillatim nominat, & omnium illorum intercessionē deprecatur: vt constat ex antiphona *ad Magnificat* in primis vesperis. Etenim si illis novem vocibus solùm significarentur novem officia, aut ministeria eiusdem personæ, & non personæ distinctæ, Ecclesia non loqueretur cum illis; sed ad summum deprecaretur Deum ob illorum munerum excellētiam. Igitur sicut Ecclesia in ordine Confessorum veneratur diversas personas, ac in ordine, aut choro Martyrum, Apostolorum, Virginum, &c. ita in ordine Angelorum diversas veneratur personas, ac in ordine seu choro Archangelorum, Principatuum, &c. singulæ ergo illæ novem voces singulas collectiones, seu turmas personarum distinctarum significant.

16 Dices, aliquando vox vnius ordinis supponit pro persona alterius: ergo voces illæ novem potiùs significant diversa officia, quàm diversas personas. Antecedens patet: nam supremus Angelus vocatur Cherub *Ezech.* 28. cùm fuerit de supremo ordine, vel fortasse supremus. Item Gabriel vocatur Angelus *Lucæ* 1. cùm tamē verisimile sit, ad minus fuisse Archangelum. Immo sunt, qui existiment fuisse de Ordine Seraphico propter excellentiā mysterij Incarnationis, ad quod nuntiandum missus est. Resp negando consequētiam: etsi enim aliquando sumātur aliquot illorum vocum pro munere, aut officio non concernente necessariò distinctam perso-

ſonam: cùm in vna, & eadem perſona poſsint inveniri diverſa officia. Tamen communius eſt, quod quælibet illarum novem vocum ſupponat pro perſona diſtincti ordinis. Vt contingit in humanis: aliquando enim Rex vocatur Dux, comes, aut Marchio: (Hiſpaniarum Rex vocatur Flandriæ Comes) & quamvis tunc vox illa *Comes* non ſignificet perſonam diſtinctam à Rege. Communiter tamen loquẽdo prædicta vox *Comes* ſupponit pro perſona alterius, & diſtincti ordinis, aut dignitatis, ac eſt perſona Regis.

17 Pro ampliori intelligentia nota, quòd, cum omnes cœleſtes ſpiritus pleni ſint ſcientia; omnes aut ſinguli illorum poſſunt vocari Cherub: Cherub enim plenitudò ſciẽtiæ interpretatur. Hinc Abulenſis *Exodi* 25. *q.* 19. docet nomen Cherub commune eſſe in ſcriptura omnibus Angelis. Et ſic accipitur cũ *Iſaiæ* 37. dicitur, Deum ſedere ſuper Cherubim. Item cùm *Pſal.* 17. dicitur *Aſcendit ſuper Cherubim*. Quod tamen nõ impedit, vt communiter loquẽdo vox *Cherub* ſupponat perſonaliter ſeu pro perſona Angelica diſtincti chori, aut ordinis, ac ſunt reliqui octo ordines Angelorum.

18 Ex his habemus, omnes, aut multas illarum novem vocum; *Angelus*, *Archangelus*, *&c.* poſſe ſumi pro munere, aut officio præciſè; nec non & pro perſona diverſi ordinis, aut chori Angelorum. Dicimus ergo malè inferri, non poſſe ſumi pro perſona, ex eo quòd aliquando ſumatur pro munere preciſè. Quod confirmat inſtantia huius vocis *Pater* in divinis. Dupliciter quippe poteſt ſumi, nempe eſſentialiter, & notionaliter. (vt ſuppono ex tractatu Trinitatis) Eſſentialiter ſumpta vox *Pater* eſt communis omnibus tribus divinis perſonis: ſi tamen ſumatur notionaliter, eſt propria primæ perſonæ. Ad rem ergo: ex eo quòd aliquando vox *Pater* ſumatur eſſentialiter ſeu prout eſt cõmunis omnibus tribus perſonis Trinitatis; malè inferretur, non poſſe aliàs ſumi notionaliter, ſeu pro determinata perſona.

DVBIVM V.

19 PEtes quintò, quomodo diſtinguãtur Hierarchię inter ſe? Reſp. cum Lorca *n.* 2. citato ſic diſtingui, aut nobis innoteſcere. In ſuprema conſideratur perfectio per immediatam habitudinem in ordine ad Deum. In ſecunda conſideratur perfectio potentiæ, ſeu virtutis ſcilicet collocantur in ſecunda agentia potentiæ præſtantiſsimæ. In tertia autem ſeu infima conſideratur executio miniſteriorum, quæ à Deo iniunguntur, hoc eſt, collocantur

illæ persone, seu illa agentia, quæ exequũtur voluntatem divinam circa ministeria hominibus exhibita. Singuli autẽ ordines vniuscuiusque Hierarchiæ differunt quatenus magis, & minus sunt perfecti in illo genere, aut linea; & secundùm hanc considerationem nomina singulis ordinibus applicantur. Quod magis explicatur hoc modo.

2 Suprema Hierarchia describitur, seu nobis explicatur per immediatum ordinem ad Deum; hoc est in ea collocantur omnes illi spiritus, qui in divinis laudibus occupantur; diuinæque maiestati sic assistunt, vt (regulariter) operibus diuinæ prouidentiæ non attendant. Et ideo gradus huius Hérarchiæ, seu spiritus, qui collocantur in ea distinguuntur per tres perfectiones, quæ Deum respiciunt, & inter se eundem ordinem seruant. Nam primus gradus est illorum spirituum, qui super omnes alios charitate seu amore Dei flagrãt. Et ideo spirit⁹ huius ordinis dicuntur Seraphim, id est, ardentes, seu accensi. Meritoque hic gradus, seu ordo ponitur supremus; quia charitas est præstantissima virtus. Secundus gradus huius Hierarchiæ est illorum spirituum, qui præ cæteris omnibus occupantur in cognitione diuinæ maiestatis. Et ideo spiritus illi, qui hoc choro, aut ordine comprehenduntur, vocantur Cherubim: Cherub enim plenitudo scientiæ interpretatur. Tertius gradus huius Hierarchiæ est illorum spirituum, qui præ alijs humilitate, & subiectione præfulgent, quasi non audentes prospicere diuinam illam, & infinitam Dei maiestatem. Et ideo personæ, seu spiritus huius ordinis ob humilitatem, & subiectionem dicuntur Throni, aut sedes Dei.

21 Secunda autem Hierarchia per perfectionem potentiæ declaratur; vt notabamus *numero* 19. Et ideo spiritus huius Hierarchiæ nomina sumpserunt, quæ potentiam denotant; diuiduntúrque in alios tres ordines penes maiorem, aut minorem gradum potentiæ. Quare in primo gradu, seu ordine collocantur illi spiritus, qui spirituali, & excelso modo præsident omnibus inferioribus diuinæ prouidentiæ, & gratiæ in visibilibus ministris, hisque dominantur. Et ideo ipsi vocantur *Dominationes*. In secundo gradu seu ordine huius Hierarchiæ collocantur spiritus illi, per quos miracula frequentius fiunt: nam quamvis omnes Angeli miracula faciant, istius ordinis spiritus altiori ad hoc gaudent virtute. Et ideo nominantur *virtutes*. In tertio,

&

& infimo gradu huius Hierarchiæ collocantur spiritus illi, qui quasi præcipiunt, & ordinant; quæ agenda sunt à spiritibus infimæ Herarchiæ: Et ideo vocantur *Potestates*: habent enim specialem præ omnibus alijs potestatem præcipiendi, & ordinandi prædicta.

22 Infima Hierchia cōprehēdit omnes illos spiritus, qui frequenter: & quasi ex munere, aut officio circa ministeria hominibus exhibenda occupātur. Et in infimo ordine sunt illi, qui destinantur ad custodiendum homines particulares, aut ad nuntiandum res minoris momenti comparatione aliarum, quæ in excellentia præstantiores sunt. Hique vocantur Angeli, sumpto nomine ab officio, seu ministerio nuntiandi. Cumque hic ordo, aut Angelorum chorus sit infimus illius cœlestis patriæ, spiritus, aut personæ illius retinent sibi nomen commune: cōsuevit enim imperfectior species commune nomen sibi appropriare. In secundo gradu seu ordine huius Hierarchiæ sunt illi spiritus qui destinantur ad custodiendum personas excellentes; vt sunt Papa, Rex, & Princeps; aut ad annuntiandū hominibus res magnas. Vt enim dicit Gregor. *homil. 34. in Evang. qui minima nuntiant, Angeli; qui verò summa Archangeli vocantur*, id est: quasi præstantiores Angeli: Addit Dionysius *cap. 9.* Archangelos etiam præsidere, & illuminare Angelos. Quod intelligo in ordine ad hoc ministerium custodiēdi personas privatas; hoc est, vt Angeli benè custodiant illas; sicut ipsi Archangeli custodiunt communes, & Principes, qui tenentur alios regere, & gubernare. In tertio, & supremo gradu, aut ordine huius Hierarchiæ collocantur illi spiritus, qui omnibus Angelis & Archāgelis præsunt in his, quæ ad salutem hominum, mundique conservationem, & bonum spectant tum instruendo, & illuminando, tum movendo, & præcipiendo iuxta Dei voluntatem sibi manifestatam. Gradus iste vocatur ordo Principatuum, seu Principū, sumpto nomine à munere præsidendi alijs: spiritusque huius chori vocantur Principes, aut Principatus retento nomine sui ordinis.

23 Notat autem Suarez *lib. 1. cap. 13. num. 11.* esse verisimile, aliquos ex his Principibus per se ipsos suscipere curam regnorum principalium, vel maximorum Regum, aut Pontificū: atque illos qui *apud Dan. 10.* Princeps Persarum; aut Græcorum appellantur, fuisse Angelos ordinis Principatuum: ibique nomen *Princeps* propriè, & non cōmuniter esse sumptum: vt Dionysius etiam *capit. 9.* sentit Michaelem in hoc ordine colloca-

can-

cando. His dictis à Suarez subscribo: non tamen his, quæ addit, scilicet huius Principatuum ordinis fuisse omnes Angelos, qui sub Michaeli præliabantur cum Dracone, & Angelis eius; vt dicitur *Apocalypsis 12.* Existimo enim, ex omnibus Angelorum choris aliquos cecidisse: & cõsequenter omnibus cœlestibus spiritibus hoc prælium esse commissum.

DVBIVM VI.

14 PEtes sextò, an specificè differant Angeli diversorum ordinũ, aut Hierarchiarum? Respondetur negativè ex dictis *difficultate 2. à num. 17.* Vnde constat, omnes Angelos esse eiusdem speciei infimæ: vbi latè rem istam examinavimus, & solvimus, quæ contra hanc sententiam obijciuntur. In præsenti autem solvenda est quædam auctoritas, quæ contra hoc militare videtur. Igitur August. *lib. contra Priscillianista: cap. 11.* sic loquitur. *Esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, & Potestates in cœlestibus apparatibus firmissimè credo: & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quænam ista sint; & quid inter se differant, nescio.* Contra Augustinum ergo est determinare, & declarare prædictos ordines, & Hierarchias: necnon & affirmare, quòd specifice non differant. Respond. ita esse: sed pro nobis stant quantum ad explicationem Hierarchiarum, & ordinum *Dionysius, Gregorius, & alij Patres num. 1. citati.* Quod autem D. Augustinus non legerit D. Dionysium diximus *num. 3.* Si autem Augustinus verbis illis (*quid inter se differant nescio*) loquatur de distinctione specifica in prædicatis naturalibus Angelorum; pro nobis stant *D. Damascenus, & alij Patres citati difficultate præcedenti num. 28.* qui expresśè affirmant, omnes Angelos esse eiusdem speciei infimæ.

CAPVT IIII.

De spectantibus ad intellectum Angelorum.

EGIMVS de spectantibus ad quidditatem, necnon & ad individuationem Angelorum: succedit de potẽtijs illorum disputare. Et cùm inter potentias Angeli intellectus sit generatione prior ab illo exordimur. Sunt autem multa, quæ de intellectu Angeli disputant Authores. Ego verò ne multitudine confundar, si ea cuncta simul proponam, quatuor difficultatibus omnia dividam. Primò quæram de intellectu seu potentia intellectiva An-

Angeli. Secundò de eius intellectione, seu de actu quo intelligit. Tertiò de speciebus impressis, quibus causatur actus. Et quartò de obiectis, quæ per actus cognoscuntur.

DIFFICVLTAS I.

De intellectu, seu potentia intellectiva Angeli.

1 SVppono, in Angelo, præter eius substantiam, seu essentiam, dari potētias aliquas, quibus medijs suas operationes exercet. (abstineo nunc à modo, quo illæ potentiæ differunt ab essentia) Quia in Angelo sunt distinctæ operationes, nempe intellectio, volitio, &c. Ergo concernunt, seu respiciunt diversa principia; sed essentia Angeli est eadem, & vnissima: ergo saltem debent dari in illo distinctæ potentiæ, à quibus illæ diversæ operationes proximè oriantur; seu per quas illa essentia Angeli, quæ est principium cōmune, & indifferens ad diversas operationes, quasi restringatur, & determinetur; per intellectum ad intelligendum; per voluntatem ad amandum, &c. Quo supposito restant aliqua dubia.

DVBIVM I.

2 PEtes primò, quomodo intellectus Angeli distinguatur ab eius substantia? Respondetur, non distingui realiter, sed solùm formaliter ex natura rei: iuxta dicta *capit. 2. diffic. 7.* Neque in hoc ampliùs est immorandum in præsenti: est enim difficultas Metaphysica communis cuicumque subiecto, & eius potentijs; neque in Angelo habet specialem difficultatem: quidquid dixerit Durandus *in 2. distinct. 3. quæst. 5.* qui admittens distinctionem realem inter animam, & eius potentias; illam negat inter substantiam Angeli, & eius potentias; immeritò tamen: quia nulla est diversitatis ratio: vt notat Suarez *lib. 2. cap. 1. n. 2.*

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, Vtrùm in Angelo ponendus sit duplex intellectus, alius agens, & alius passibilis? Respondetur affirmativè ex dictis *cap. 2. diff. 6. à n. 3.* Quòd autem hi duo intellectus non distinguantur realiter, sed solùm formaliter, apertè deducitur ex dictis *cap. 2. difficult. 7. num. 1.*

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò ſtatus in quibus intellectus Angeli poteſt conſiderari circa aliquod obiectum. Respondetur, intellectum Angeli circa obiectum, quod nunc cognoſcit, (circa Petrum v. g. exiſtentem) priùs fuiſſe ſine ſpecie impreſſa illius. Et tunc dicitur intellectus eſſe in potentia, nempe quia intra ſe nullum principium habet ipſum determinans ad cognoſcendum illud obiectum. Poſteà intellectus Angeli recipit ſpeciem illius obiecti. Et tunc in illo priori naturæ, antequam prorumpat in productionē intellectionis, ſeu ſpeciei expreſſæ, dicitur intellectus eſſe in actu primo: eò ſcilicet quia habet primum actum, ſeu actuationem requiſitam ad intelligendum illud obiectum. Demum intellectus informatus ſpecie illa impreſſa (& poſita debita applicatione, ſeu attentione potentiæ: quam ſuppono requiri etiam in Angelo: aliàs ſimul intelligeret omnia obiecta; quorum ſpecies impreſſas habet: quod non admittunt communiter, (vt dicemus infra) producit ſimul cum illa intellectionem, ſeu expreſſam ſpeciē: & cùm ſit actio immanens, illam in ſeipſa recipit. Et tunc dicitur intellectus eſſe in actu ſecundò, ſeu vltimo, reſpectu cognitionis illius obiecti: quia nihil aliud reſtat, vt illud obiectum intelligat.

5 Notamus autem communiter Scotiſtæ, quòd non dicitur intellectus intelligens, ſeu cognoſcens inquantùm producēs intellectionem, ſeu ſpeciem expreſſam, ſed inquantùm illam intra ſe recipit: Quia *eſſe intelligētem* eſt effectus formalis intellectionis: ſicut *eſſe album* eſt effectus formalis albedinis: & ſicut albedo non denominat album ſuum principium efficiens, aut productivum, ſed ſubiectum in quo recipitur. Vt patet in caſu, quod Deus crearet albedinem in Petro: tunc enim Deus nòn diceretur albus, ſed Petrus: ſicut de facto corpus dicitur animatum, & non Deus, etſi ipſe ſolus creet animam rationalem. Ita ſimiliter intellectio, ſeu cognitio (Idem vniverſaliter eſt dicendum de viſione, & quacumque actione immanente; quæ abuſivè, & Grammaticaliter dicitur actio; cùm in re ſit qualitas:) non denominat intelligens ſuum principium, aut cauſam effectivam: ſed ſubiectum in quo recipitur. Ita Scotus *in 1. diſt. 3. quæſt. 7. §. & verſ. Ad auctoritatem Philoſophi:* Quare benè expreſsit, vel addit *ibi §. Ad argumenta principalia, verſ. Ad ſecundum;* quòd intellectu *ſumus formaliter intelligentes, inquantum recipit, non inquantum agit, licet agat: quia hoc acti-*

attidit sibi, in quantum est quo intelligimus. Sed quia ista, & multa alia, quæ de intellectu Angeli possent tractari, communia sunt intellectui Angelico, & humano; ad alia transimus.

DIFFICVLTAS II.

De actu, quo Angelus intelligit.

1 SVppono, præter substantiam Angeli, & præter eius intellectum aut potentiam intellectivam egere Angelum actuali intellectione, vt actualiter intelligat; seu cognoscat aliquod obiectum. In hoc nulla est controuersia. Antiqua tamen satisque molesta est in declarando, quid sit creata intellectio? (siue Angelica, siue humana) Durandus enim dixit, intellectionem esse respectum, quem dicit intellectus ad obiectum. Noster Aureolus *in 1. distinct. 35. quæst. 1. art. 1.* dixit: esse speciem intelligibilem, seu apparentiam obiecti in potentia in esse intelligibili Gotfredus *quodlib. 4. quæst. 8.* dixit: esse receptionem specierum intelligibilium. Thomistæ communiter dicunt, intellectionem esse actionem. Quas sententias referunt, & refutant communiter Scotistæ: præcipuè autem legatur noster Felix *2. p. Tentativæ tract. de Visione cap. 6. diff. 1. à num. 1.*

2 Igitur contra omnes has sententias suppono, intellectionem creatam, (siue Angelicam, siue humanam) seu actum, quo intellectus actualiter intelligit, esse veram qualitatem. (Speciē expressam, formalem repræsentationem obiecti, & conceptum vocamus: immo, & verbum mentis, si visionem beatam excludamus.) Ita Scotus *in 1. dist. 3. q. 6. §. & vers. Hic sunt, & vers. Cum ergo, & alibi sæpe, Scotistæ omnes; & ex alijs Suar. Vazq. Valentia, Salas, Ægidius, & multi alij citati à prædicto Felix ibi num. 4.* Et ratio est, quòd concretum exprimit formam, qua formaliter est tale: ergo intelligens, intellectione formaliter intelligit, & non per aliquid ab intellectione productum. Quæ ratio præcipuè militat contra Thomistas illos, qui dicunt, intellectionem esse actionem productivam alicuius termini. Secundò probat Scotus ibi à sufficienti partium enumeratione; nempe probando, quòd non sit substantia, quantitas, &c.

3 Dices, quòd ex 10. *Ethic. c. 3.* fœlicitas, quæ est contemplatio non est qualitas, sed actio: & sæpe Aristoteles intellectionem enumerat inter actiones. Resp. cum Scoto *quodlibet. 13. §. & versic. Ad ista* operationem dici actionem; & actum secundum, quia in duobus convenit cum actione propriè dicta; nempe quia

quia est semper in fieri, seu fluxu; & quia semper tendit in obiectum. Deficit tamen ei substantialis conditio actionis, quæ est habere terminum per eam productum. Respondetur secundò ex Scoto *in 1. distinct. 3. quæst. 6. §. Tertia versic. Ex his* quòd quoties intellectio vocatur actio, sermo est de dictione, quæ est vera actio, per quam intellectio producitur. Aut sermo est de actione immanente: quæ æquivocè, & grammaticaliter est actio, quando sumitur, non pro fieri qualitatis, sed pro ipsa qualitate recepta in potentia. Multa alia huc spectantia videantur apud Felix ibi: non enim habent specialem difficultatem de intellectione Angeli; sed communia sunt cuicumque cognitioni creatæ.

DVBIVM I.

4 PEtes, quomodo distinguatur cognitio Angeli ab eius substantia, & potentia? Respondetur distingui realiter. Quia sæpe existunt substantia, & intellectus Angeli sine intellectione, seu cognitione. Vt patet, quando Angelus cognoscit hoc obiectum. (Petrum v. g.) Dices, Angelum necessariò intelligere aliquod obiectum: ergo Angeli intellectus saltem est inseparabilis ab aliqua cognitione: ergo saltem à cognitione aliqua vagè sumpta non distinguitur realiter, dato quòd distinguatur ab hac, & illa sumpta determinatè. Respondetur, admisso antecedenti satis dubio, & priori consequentia, negando secundam. Solùm enim sequitur, tunc non concludi distinctionem realem cognitionis à substantia, & potentia ex separatione: probaretur tamen aliũde, nẽpe ex eo quod essentia Angeli est de prædicamento substantiæ: (ad quod reducitur intellectus: quia identificatur cũ illa) actus autem pertinet ad prædicamentum qualitatis, ex dictis, *num.* 2.

5 Dices, esse aliquos, etiam Scotistas, qui affirmant, non esse necessarium realiter distingui res, quæ spectant ad diversa prędicamenta. Sic sentit Merinero *in Logica cap. 4. Categoriarum quæst. 3. n. 2.* Pro qua sententia citat Scotum, & multos alios: ergo inefficaciter probamus, intellectionem Angeli realiter distingui ab eius essentia, & intellectũ, ex eo quod intellectio spectet ad prædicamentum qualitatis; essentia autem, & intellectus ad prædicamentum substãtiæ. Respondetur negando consequentiã: (quidquid sit de doctrina antecedentis mihi suspecta) vt enim notat ipsemet Merinero ibi, quando comparatio fit inter prædicamentum substantiæ ex vna parte, & prædi-

di-

dicamentum accidentis ex alia, ſemper reperitur realis diſtinctio inter ea, quæ in diverſis prędicamentis collocantur. Immo hoc eſt ſimpliciter neceſſarium: inter nulla enim videtur ex cogitabilis maior diſtinctio; quàm inter ſubſtantiam, & accidens.

DVBIVM II.

6 Petes ſecundò, an in Angelo ponendi ſint multi actus? An ſufficiat vnus ad intelligēdum omnia obiecta? Reſpondetur cum Scoto *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. §. Secunda propoſitio*, & cū communiſsima ſententia, Angelum non poſſe eodem actu omnia obiecta intelligere. Quia hoc eſt proprium Dei: vt docet Scotus. *in 2. diſt. 1. q. quæſt. 2. § Oſtenſo. verſiculo Primo oſtendo*. Itaque ſunt ponendi in Angelo tot actus, quot ſunt obiecta, quæ actualiter intelligit. (ſaltem quando obiecta ſunt omnino diſparata). Quia quælibet creata intellectio commenſuratur ſuo intelligibili: quia intellectio eſt expreſſa mēſura repræſentatiua ſui obiecti. Quare obiectum adæquatè cognitum, aut propoſitum, neque excedit cognitionem; neque ab illa exceditur.

7 Vnde deducitur, quòd intellectiones Angeli diſtinguendæ ſunt ſpecie, quando obiecta illarum intellectionum ſpecie differunt. Quia illa ſpecifica obiectorum diſtinctio eſt ſignum manifeſtativum ſpecificæ diſtinctionis cognitionum, per quas prædicta obiecta attinguntur.

8 Deducitur ſecundò, quòd intellectiones Angeli diſtinguendæ ſunt numero, quando obiecta ſunt numero diſtincta; (loquor de obiectis omnino diſparatis, quia illa obiectorum numerica diſtinctio eſt ſignum manifeſtativum numericæ diſtinctionis cognitionum Angeli. Dices, communiter circumferri, quòd diſtinctio ſpecifica actuum ſumitur ab obiectis; numerica verò à ſubiectis actuum. Quare tot ſunt logicæ (verbi gratia) numero diſtinctæ. quot ſunt homines logica pollentes: ergo malè dicimus diſtinctionem numericam ſumendam eſſe ab obiectis numero diſtinctis. Reſpondetur negando conſequentiam: quamvis enim diverſitas numerica cognitionum creatarum indicative, & tamquàm à ſigno ſumatur à ſubiectis illarum: (ſicut & à principijs efficientibus; & & fortè aliunde) hoc non tollit, quòd etiam ſummatur ab obiectis numero diſtinctis. Itaque ſicut valent hæ conſequentiæ:

cog-

cognitio Michaelis est in distincto numero subiecto, ac cognitio Gabrielis; Ergo ipsæ cognitiones numero distinguuntur, etiam si versentur circa idemmet numero obiectum; (supponamus, Michaelem, & Gabrielem solùm numero distingui) Cognitio, qua Michael cognoscit Petrum v.g. efficitur à Michaeli; & cognitio, qua Gabriel cognoscit Petrum, efficitur à Gabrieli? Ergo numero differunt: ita valet hæc consequentia: cognitio qua Gabriel attingit Petrum; & cognitio qua cognoscit Paulum habent obiecta numero distincta; Ergo ipsæ cognitiones ex hoc capite numero distinguuntur.

9 Hinc intelligitur, quòd sicut ad vnitatem specificam actus debent concurrere multa specificè eadem, nempe obiectum, principium efficiens, & modus attingendi obiectum Et ad diversificandum specificè actum sufficit, quòd specificè differat obiectum, aut principium efficiens aut modus, vel mediũ attingendi. Vt communiter dicimus Scotistæ cum Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 5. §. Ad quæstionẽ vers. Aliter, & alibi.* Ita similiter ad vnitatem numericam cognitionis Angelicæ debent concurrere idem numero obiectum, eadem numero causa efficiens, idemmet numero subiectum, & fortè alia; ad diversificandum autem talem cognitionem numero, sufficit, quòd quodlibet illorum numero differat. Et vtriusque eadem ratio redditur ab aliquibus, nempe quòd vnitas sapit rationem, vel naturam boni quia accedit ad Deum: qui vnissimus est: diversitas autem sapit naturã mali: recedit enim ab vnitate, seu perfectione Dei. Bonum autem debet esse ex integra causa; malũ verò ex quocumque defectu. Et ideo ad tribuendum vnitatem actui debẽt omnia simul eadem concurrere: ad diversificandum verò (sive specificè, sivè numericè) sufficit diuersitas cuiuscũque principij actus.

DVBIVM III.

10 PEtes tertiò, an cognitio Angeli posit esse discursiva? Respondetur affirmativè. Quia nulla est imperfectio in cognitione discursiva: vt ex dicẽdis constabit. Dices: ergo etiã in Deo est admittenda. Respondetur concedendo. De quo *numero* 16.

11 Nota, discursum obiectivum dari, quãdo id, quod cognoscitur, cognoscitur, vt dependens ab alio, ita vt cognoscatur vtrumque & eorum connexio. Ad formalem autem discursum requiritur nõ solùm quòd cognoscatur vnum, esse dependens ab alio, sed etiam quòd ex parte

te cognoſcentis detur duplex cognitio, quarum vna dependeat ab alia. Non tamen requiritur, quod inter vtramque cognitionem ſit ſucceſsio temporis; ſed ſufficit prioritas naturæ, ſeu quòd *principium diſcurſus ſit naturaliter prius notum, vt ſic ſit cauſitivum alterius extremi diſcurſus.* (inquit Scotus *quæſt. 4. prologi in principio verſ. Sed oppoſitum.* Et eſt contra D. Thom. 1. *p. quæſt.* 14. *articul.* 7. *in corpore*, vbi requirit ſucceſsionem temporis inter cognitiones ad diſcurſum neceſſarias) Et ratio eſt, quòd cùm prior cognitio ſit cauſa poſterioris cognitionis; inter vtramque ſolùm requiretur prioritas cauſalitatis, ſeu naturæ.

12 Hinc conſtat, nullam imperfectionem reperiri in cognitione diſcurſiva, ob quam negãda ſit Angelo: cùm enim in ipſo poſsit, & defacto ſit multiplex cognitio, nullum erit incommodum ponere in eo duas cognitiones, quarum vna ſit cauſa alterius. Hanc cõcluſionem *num.* 10. poſitam defendunt Scotus *in* 2. *diſtinct. 1. quæſt. 6. §. Contra; anima à verſ. Item quæritur, & diſt. 7. §. Contra concluſionem verſ. Quod etiam negatur: & in Reportatis §. De tertio articulo, verſ. Ad vnam rationem, Gregorius in 2. diſt. 7. q. 5. art. 2.* Gabriel *diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. concluſ. 9. & Ocham quæſt.* 16. Ex noſtris autem communiſsime, ſed præcipue Fabro *in 2. diſp.* 40. Et ex parte nobiſcum conſentit Suarez *lib. 2. c. 33. num.* 18. quatenus affirmat, quòd in materia ſupernaturali, & in his omnibus, quæ Angelus non evidenter, ſed per cõiecturam iudicat, verè diſcurrit. Pro qua ſententia adducit *præter Scotum, Gab. Greg. & Ocham citatos, Marſilium diſt. 2. quæſt. 6. art. 2. Peſantium, & alios.* Immo & conatur oſtendere hoc eſſe de mente D. Thom. Itaque Suarez affirmat, Angelũ non diſcurrere circa res corporeas, & naturales; benè tamen circa ſupernaturales, & vniverſaliter circa res, quas evidenter non cognoſcit. Idem defendit Vazq. *diſp.* 222. *cap. 2. & aly.*

13 Sed in Angelis non reperiri diſcurſivam cognitionẽ, defendunt Alenſis 2. *p. q.* 20. *Caiet. Ferrara, Capreol. & communiter Thomiſtæ citati à Suar. ibi n.* 3. qui exiſtimant eſſe ſententiam D. Thomæ diverſis in locis, quæ notat prædictus Suarez.

14 Igitur noſtra cõcluſio. *n.* 10. poſita cõtrà omnes has ſententias affirmat, Angelũ in quacumque materia, ſive naturali, ſive ſpirituali poſſe diſcurrere. Quia ſpectat ad eius perfectionem cognoſcere rem omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt: ſed eadem veritas (v. g. quod homo eſt riſibilis) poteſt cognoſci, non ſolùm intuitivè, & ſine diſcurſu; ſed etiam per diſcurſum; deducẽdo illam ex alia, & cum

G de-

dependentia ab illa: (ab ista scilicet, homo est rationabilis:) ergo circa quamcumque materiam, etiam intuitive notam, potest Angelus discurrere. Confirmatur: quia quæcumque res naturalis ordinis dicit respectũ ad Deum: ergo ex cognitione cuiuscumque creaturæ potest Angelus deducere cognitionẽ Dei.

15 Sed pro alijs sentẽtijs obijcies: Angelus, quando cognoscit principium, simul cognoscit conclusionem: quia illius etiam habet speciem: ergo non discurrit. Respondetur distinguendo consequens. Est enim verum, quòd non discurrit, quãdo cognoscit aliquam veritatem independenter ab alia. Falsum tamen est, quòd circa illammet veritatem, quam intuetur, non potest formare discursum cognoscendo illam dependenter ab alia: immo existimo, omnem, & quãcumque veritatem, quã intuetur, simul cognoscere per discursum: quia ad eius perfectionẽ spectat cognoscere rem omnibus modis, quibus potest cognosci. Nec ad discursum requiritur, quòd intellectus procedat à cognito ad non cognitum; sed quod simpliciter necessarium est, est, quòd procedat â priùs cognito ad posteriùs cognitum; prioritate (inquam) & posterioritate, non temporis, sed naturæ (vt notabamus *numero* 11.) Aliàs non possemus repetère discursum.

16 Addo, ad rationem discursus esse accidentarium, quòd distincto actu intellectus attingatur conclusio, ac attingitur principium: solùm enim requiritur, quòd ex vi cognitionis principij, seu ex præcognito principio deducatur cognitio conclusionis; sive illa cognitio sit distinctus actus intellectus, sive idem attingens vtrumque obiectum cum dependentia vnius ab alio. Etenim tunc verificaretur, quòd cognitio, seu attingẽtia vnius obiecti erat prior, & causa alterius attingentiæ. Quod patet in actu cognitionis divinæ: qui vnissimus cùm sit, attingit omnia, & cum omnibus respectibus, seu dependentijs, cũ quibus possunt attingi. Quare Deus non solùm se in se ipso, sed etiam cognoscit se in creaturis, & ex creaturis. Et ideo existimo, quòd illa cognitio, qua Deus se cognoscit ex vi cognitionis creaturæ, est formalis discursus: quia attingentia illa, pro vt terminatur ad Deum, verè est cognitio talis naturæ, vt si nulla alia esset in Deo, ostenderet illi existentiam Dei: & aliàs talis attingentia est cognitio dependens ab attingentia, seu præcognitione creaturæ. Neque est inconveniens admittere in Deo cognitionem discursivam: esset tamen, si Deus non haberet aliã

cog-

cognitionem, nempe qua cognoscit se in se ipso: hac autem supposita, affirmare, quòd etiam se cognoscit per discursum, est affirmare, esse in Deo aliquam perfectionem: cognoscere enim rem aliquam omnibus modis, quibus cognoscibilis est, spectat ad perfectionem cognoscentis.

17 Obijciunt secundò, quòd Angeli vocantur intelligentiæ; homines autem rationales: ergo quia homines possunt discurrere, non autem Angeli. Respondetur negando consequentiam: à frequentiori enim modo cognoscendi sumptæ fuerunt illæ denominationes: etenim homo frequentiùs, & omnino necessariò in multis materijs vtitur discursu. Non autem sic Angelus: cùm enim habeat inditas species tantarum rerum, non necessariò vtitur discursu in multis materijs: benè tamen in aliquibus, nempè cùm circa futurum contingens versatur. Quare dixit D. Thom. 1. *p.* *q.* 57. *art.* 3. *in corpore* posse Angelum cognoscere futura contingentia nō per certitudinem, sed per coniecturam; sicut medicus præcognoscit sanitatem infirmi. Item Angelus vtitur necessariò discursiva cognitione ad cognoscendum secreta cordiū. Et ideo D. Thom. *ibi art.* 4. *in corpore* dixit, posse Angelum coniecturare actus internos ex indicijs externis. Insuper dæmones vsi sunt discursu, immo erraverunt iudicantes aliquando, Christum Dominum non esse filium Dei: vt ex Augustino 9. *de Civitate cap.* 21. notat Angelicus Doctor 3. *p. quæst.* 44. *art.* 1. *ad* 2. dicens, *videntes, Christum esurire post ieiunium æstimaverunt, eum non esse filium Dei.* Multa huc spectantia vide apud D. Thomam ibi.

18 Ex quibus omnibus, non solùm constat conclusio nostra *numero* 10. posita, scilicet, quòd Angelus potest discurrere: sed etiam amplianda est, & dicendum, de facto discurrere necessario in illis materijs, quas aliter cognoscere non potest; nempè circa cognitionem futurorum contingentium; circa cognitionem secretorum cordium; & circa cognitionem divinitatis Christi Domini, quando degebat in carne mortali. Itaque si Angelus circa has materias aliquam cognitionem velit habere, necessarium est, vt vtatur discursu, immo, & per coniecturas natura sua fallibiles, & quæ sæpe ipsos fallunt. Circa alia autem, quæ Angelus certò cognoscit, & quorum habet proprias species (sive à principio inditas, sivè à se acquisitas) etiam discurrit. Vt sic verū sit, Angelum cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est: quia hoc postulat perfectio naturæ Angelicæ.

 19 Sed

19 Sed contra istam rationem, & doctrinam duo obijci possunt. Primum est, etiam debere poni in Angelo fidem de obiecto, quod per proprias species cognoscit, vt sic cognoscat rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est. Respondetur negando: quia fides nequit componi cum evidenti cognitione eiusdem obiecti: vt communis opinio docet in tractatu de fide; & docet Scotus *in 3. distinct. 24. §. Ad quæstionem versic. Sed accipiendo*. Et ideo etsi fateantur communissimè spectare ad perfectionem cognoscentis cognoscere rem omnibus modis, quibus res est cognoscibilis; notitiam tamen per fidem negant in Deo, & in Christo Domino: immo & in Beatis de illis rebus, quas Beatus evidenter cognoscit.

20 Alterum, quod nobis potest obijci, est, sequi ex præfata doctrina, Angelum necessariò discurrere, non solùm in illis materijs, quas aliter cognoscere non potest; (vt sunt futura libera, &c.) Sed etiam in alijs rebus, quas evidenter cognoscit. Si enim spectat ad eius perfectionem cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est; semper & in omni evẽtu hoc est illi tribuendũ. Respõdetur ita esse. Solùm autem hoc discrimen est notandum, quòd ad cognoscẽdum futura libera, secreta cordium, & humanitatem Christi Domini, quando vivebat in terris, Angelus ita necessariò vtitur discursu, vt nullo modo possit de his rebus aliter aliquam habere cognitionem. Alia verò etsi non cognosceret simul per discursum, non tamen ignoraret: cum illorum haberet evidẽtem cognitionem aut per intuitionem, aut per species abstractivas. Quod discrimen voluimus notare supra; cum diximus Angelum necessario discurrere circa secreta cordium, circa futura libera & circa cognitionem diuinitatis Christi Domini, dum degebat in mundo; non autem discurrere necessariò circa alias materias.

21 Adde circa futura libera, secreta cordium, & divinitatem Christi Domini, dum vivebat in terris, aliquando falli Angelum in suis discursibus, vt notabamus *num.* 17. quia sumit principia fallibilia, nempe coniecturas. Circa materias verò, quas cognoscit evidenter, efficacem conficit discursum: quia sumit principia omnino certa; & simul evidenter cognoscit connexionem extremorum: & ideo consequentia est illi omnino manifesta.

DV-

DVBIVM IIII.

22 PEtes quartò, vtrùm Angelus iudicet per compositionem, aut divisionem extremorum? Respondetur affirmativè cum Fabro *disputat. 41. num. 15. Pauso disputat. 13. numero 2, & alij. Esto que val le conforme Scoto in 2. distinct. 6. quæst. 1. §. Ad argumenta versic. Ad secundum*, quatenus absolutè, & absque limitatione ad intellectum humanum affirmat quòd *est duplex intellectio scilicet absoluta, & comparativa*. Immo cùm concludat, quòd similiter est in Angelo volitio duplex nempe absoluta, & comparativa, videtur satis apertè concedere, esse etiam in Angelo cognitionem comparativam. Probatur ergo conclusio ista: Angelus non solùm cognoscit per simplicem apprehensionem, Petrum v.g. & eius albedinem; sed etiam iudicat, Petrum esse album; Petrum non esse nigrum; &c. Ergo non solùm apprehendit illa extrema; sed etiam illa componit, & dividit inter se se.

23 Dices, superfluum esse illud iudicium: quia à parte rei albedo Petri albi est coniuncta cum Petro, & nigredo divisa, seu separata ab illo: ergo sufficit, quod Angelus per apprehensionem simplicem cognoscat totum illud coniunctum, vt est in rebus. Respondetur negando assumptum: ad cuius probationem negatur consequentia: quia in simplici apprehensione non reperitur veritas, aut falsitas: & ideo, vt verè constet Angelo, Petrum esse album, & non esse nigrum, debet per secundam operationem intellectus componere Petrum cum albedine; & nigredinem ab illo separare.

24 Instabis, veritatem, aut falsitatem non reperiri in simplici apprehensione, aut prima operatione intellectus, quando per ipsam cognoscuntur extrema separata; & in hoc casu verum est, & ab omnibus recipitur, quòd in simplici apprehensione veritas, aut falsitas nō reperitur. Tamen quando apprehenditur aliquod complexum, sicut est à parte rei, Petrus albus v.g. tunc in prima operatione formalis veritas, & falsitas reperitur, nec est aliqua necessitas, vt intellectus per secundam operationē iudicet componēdo aut dividendo illa extrema, quæ à parte rei esse composita, aut divisa certò cognoscit intellectus. Sed cōtra hoc est, quòd numquam intellectus manet omnino certus de veritate, aut falsitate fundamentali, (quæ est in rebus ipsis) aut de coniunctione albedinis v. g cum Petro albo, aut de separatione nigredinis ab illo, quoadvsque

 per

per ſecundam operationem intellectus ipſa extrema componat, aut dividat iudicando, eſſe coniuncta, vel ſeparata. Eſt enim ſecunda operatio intellectus quaſi regula, & correctiva ſimplicis apprehenſionis, aut primæ operationis: & ideo errores apprehenſionis corrigit iudicium, componendo, aut dividendo extrema aliter quàm per apprehenſionem cognoſcebantur coniuncta, vel ſeparata. Quod convincit duplex exemplum; aliud eſt deſumptum à rebus naturalibus; quale eſt baculi exiſtentis in aqua defluente, qui apparet ſenſibus fractus, & ita apprehenditur ab intellectu. Aliud exemplum deſumitur à fide divina; qua docemur, in Euchariſtia non eſſe panem, aut vinum, & ſic iudicat intellectus: quamvis alias intellectus ductus experientia ſenſuum apprehendat, ibi eſſe panem, & vinum.

25 Obijcies, hoc poſſe quidem contingere in hominibus, aut in intellectu coniuncto ſenſibus; non autem in Angelo, (aut anima ſeparata) qui cognoſcit res; ſicut ſunt à parte rei. Sed contra, quòd per illas inſtantias ſolùm intendimus probare, quod intellectus, non omnino ſirmatur per ſimplicem apprehenſionem quoadvſque accedat iudicium: adhoc enim ponitur ſecunda operatio intellectus: aliàs fruſtra poneretur. Et ideo quamvis Angelus non patiatur deceptionem intellectus per ſimplicem apprehenſionem; (ſaltem in rebus, quas evidenter cognoſcit) firmatur tamen in ſua cognitione apprehenſiva per cognitionem iudicativam. Prætereà, intellectus Angeli ſubiectus eſt deceptioni per ſimplicem apprehenſionem (ſicut & de cognitione diſcurſiva notabamus *numero* 23,) in rebus, quas non cognoſcit evidenter. Quare egere poteſt iudicio, aut ſecunda operatione, vt corrigat primam, aut ſaltem, vt firmetur in ſua cognitione.

26 Denique adde, his omnibus omiſsis, neceſſariò ponendum eſſe in Angelo iudicium, aut ſecundam operationem intellectus in quacumque materia; (etiam ſi ab illo evidenter cognoſcatur) vt ſic cognoſcat rem omnibus modis, quibus eſt cognoſcibilis: vt de diſcurſu dicebamus *à numero* 14. quia ſpectat ad eius perfectionem cognoſcere rem omnibus modis, quibus eſt cognoſcibilis.

27 Ex quibus omnibus reijcitur ſententia *Caiet. Valentiæ, Zumel, & Granados, quam communiter defendunt Thomiſtæ cum* D. *Th.* 1. *p. quæſt.* 58. *artic.* 4. quæ ſententia affirmat abſolutè, & abſque aliqua limitatione, Angelum

lam numquam iudicare componendo, aut dividendo. De quo legatur Suarez *lib. 2. capit. 32. num. 5.* Reijcitur etiam ipsemet Suarez qui *numero 6, & 17.* affirmat, Angelum nō componere aut dividere circa res, quas evidenter cognoscit; bene tamen circa res, quas sine evidentia cognoscit. Tamen ex dictis vtraque ista sententia reijcitur; cùm enim spectet ad perfectionem naturæ Angelicæ cognoscere rem omnibus modis, quibus est cognoscibilis; etiam rem illam, quam per apprehensionem cognoscit evidenter, cognoscet etiam per iudicium, aut secundam operationem intellectus; vt sic non solùm firmetur in cognitione illius veritatis; (v.g. quòd Petrus est albus) sed etiam, vt veritatem illam omnibus modis, quibus est cognoscibilis, (demus quòd per primam operationem intellectus cognoscantur complexa, & in illa reperiatur formalis veritas, aut falsitas) cognoscat Angelus.

28 Fundamenta autem vtriusque sententiæ etiam manēt soluta ex dictis. Quamvîs enim verum esset, Angelum evidenter cognoscere per apprehensionem coniunctionem albedinis cum Petro, & disiunctionem nigredinis ab illo, quando cognoscit Petrum esse album. Et consequenter quamvîs verum esset, quòd in apprehensione aut in prima operatione intellectus posset aliquando reperire veritatem, aut falsitatem, nempe quando apprehendit terminos complexos. Tamen non propter hoc negandum esset Angelo iudicium compositionis, aut divisionis: tum, quia secunda operatio intellectus, seu iudicium ex natura sua est regula, seu est nata regulare, seu corrigere apprehensionem, seu primam operationem. Tum, quia per iudicium firmatur intellectus in veritate apprehēsa. Tum demū, quia cognoscere rē omnibus, modis quibus est cognoscibilis, spectat ad perfectionem naturæ Angelicæ. Et ideo *à numero 29.* Admittemus cum concorde Theologorum placito in Angelis cognitionem matutinam, & vespertinam: & in Christo Domino, præter scientiam beatam, admittunt communiter scientiam experimentalem, necnon, & per accidens infusam de eodem obiecto: immo & per se infusam conantur Thomistæ in eo esse admittendam adhuc de obiectis naturalibus. De quo in tractatu Incarnationis. Nec alia ratione ducuntur Theologi, nisi quod cognoscere rem novo modo addit novā perfectionem in cognoscente.

Et meritò; quia eo ipsò, quòd cognitio alicuius obiecti est perfectio cognoscentis, nova cognitio est nova perfectio. *Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis.* Quare si cognoscere est simpliciter perfectio, nova, seu maior cognitio est nova, seu maior perfectio. Ponenda ergo est in Angelo cognitio iudicativa eiusdem veritatis, (etiam admisso quòd apprehensio, seu prima operatio intellectus cognoscat terminos cõplexos, & in ipsa formalis veritas, aut falsitas reperiatur) vt sic cognoscat Angelus nouo modo, nẽpe iudicando veritatem, quam per primam operationem prænoverat apprehendendo.

DVBIVM II.

29 PEtes quintò, vtrùm in Angelo detur cognitio matutina, & vespertina? Respõdetur affirmativè. Ita Scotus in *2. dist. 5. quæst. 9. § Ad quæstionem vers. Potest tamen, Fabro disput. 25. cap. 4. num. 35. Pilosus disp. 13. art. 4. num. 4. D. Bonav. D. Thom. Alexander, & communissimè Scholastici cum D. Augustino, Bernardo, &c. quos citant communiter præcipue Vazq. in 1. p. disput. 51. à capit. 1.* Et ratio est quòd spectat ad perfectionem Angelicæ naturæ cognoscere creaturas alio, & alio modo, seu omnibus modis, quibus possunt cognosci. Sed cognitione vespertina, & matutina cognoscuntur creaturæ alio, & alio modo: ergo in Angelo est distinguenda cognitio matutina, & vespertina. Maior conceditur ab omnibus, & constat ex dictis numero præcedenti. Minorem etiam concedunt omnes. (si nunc abstineamus à diversis explicationibus cognitionis matutinæ & vespertinæ, in quas diuiduntur Auctores, & quæ videri possunt præcipuè apud Vazquez citatum) Consequentia autem est legitima.

30 Sed pro completa notitia horum nota, quòd D. Augustinus distinxit in Angelo duas creaturarum cognitiones: quarum primam vocat matutinam, & secunduam vespertinam, sumpta metaphora à die naturali, cuius priorem partem vocamus mane, & posteriorem vesperam. Hanc distinctionem cognitionis Angelicæ in matutinam, & vespertinam adinvenit Augustinus, quam sæpe in suis libris conculcat, sed præcipuè *libro 4. de Genesi ad litteram à cap. 22. & 11. de Civitate Dei cap. 9.* Namque recipiunt multi Patres, & Scholastici omnes. De quo legatur noster Felix *tom. 2. Tentativa tractatu de Visione cap. 11. difficult. 2. à numero 1.*

31 Est

31 Est autem inter Auctores prolixa satis contraversia in explicando mentē Augustini circa cognitiones matutinam, & vespertinam. De quo præsertim legantur præcitati Vazquez & Felix. Cùm enim hæc disputatio ad tractatum visionis Dei spectet, inde supponendo probabiliora, ad specialē difficultatem de Angelorum matutina, & vespertina cognitione descendemus. Suppono ergo quòd cognitio matutina vocatur cognitio, qua cognoscitur creatura (lux v. g.) in ipso Deo. Vespertinam verò vocant, qua Angelus cognovit eamdemet lucem in se ipsa. Ratio huius distinctionis est, quòd quælibet creatura habet esse non solùm in se ipsa, sed etiam in ipso Deo. Quare potest cognosci & in se ipsa, & in ipso Deo. Cùmque esse, quod creatura habet in Deo, sit prius quā esse quod habet in se: hinc ortū habuit, vt cognitio, qua Angelus cognoscit esse creaturæ vt est in Deo, vocaretur matutina; & similiter cùm esse proprium, seu, quod creatura habet in se, sit posterius se ipso, prout est in Deo, cognitio Angeli, qua cognoscit creaturam in se, vocetur vespertina.

32 Ex quibus constat, saltem in Angelo Beato esse admittendam cognitionem matutinam, & vespertinam. Est autem controversia, vtrùm admittenda etiam sit in Angelo viatore, seu dum fuit in statu viæ? Respondetur, affirmativè *cum Scoto, Alvo, & Piloso num. 9. citatis: pro qua sententia etiam citatur D. Bonav. Ricardus, Ægidius, Albertus Magnus, & alij.* Quia cognoscere rem alio, & alio modo spectat ad perfectionem cognoscentis: ergo ad perfectionem naturæ Angelicæ, etiam, dum erat in statu viatoris, pertinebat cognoscere creaturam non solùm in verbo, seu in Deo sed etiam in se ipsa, seu non solùm in se ipsa sed etiam in verbo.

33 Dices, Angelum viatorem non habuisse cognitionē evidentem Dei: ergo non potuit cognoscere creaturam in Deo. Antecedens constat: quia, si habuisset evidētem cognitionem Dei, fuisset beatus, & consequenter non viator. Insuper nullus Angelus peccasset: quia cum beata Dei visione non stat peccatum, saltem de potentia ordinata. Respondetur negando antecedens: ad probationem dicimus, cognitionem beatam debere esse intuitivam, & facialem; cognitio autem, quam habuit Angelus in via, erat abstractiva orta à quadam specie impressa gratuitò infusa Angelo à Deo, qui ipsum repræsentabat, etsi abstractivè, quidditativè, & secundùm omnia sua prædicata: (vt suppono cum Scoto *in 2. d. 3. q. 9. §. & versic. Dico igitur*) Ange-

gelus ergo viator in Deo per talem speciem cognito simul cognoscebat creaturas cognitione matutina: & postea per proprias creaturarum species cognovit ipsas creaturas vespertina cognitione. Quare immeritò restringitur cognitio matutina, & vespertina ad scientiā beatam Angelorum. Fuit enim communis omnibus Angelis viatoribus: cū omnibus illis fuerit infusa prædicta species abstractivè repræsentans Deum. Etenim cùm omnes sint perfectissimæ naturæ, non apparet, cur aliquibus, & non omnibus infunderetur. Et ideo omnes Angeli viatores cūctas creaturas illas, quarūm habuerunt infusas species, cognoverunt matutinè, & vespertinè, vel saltem ad omnes illas sic cognoscendum habuerunt sufficiens principium, quandiu duravit illa species impressa divinitatis.

34 Consultò verò dico, *quandiu duravit illa species impressa Dei*: finito enim statu viæ fuit ablata; malo quidem in pœnam peccati; bonis autem quia loco illius cognitionis abstractivæ successit visio beata Dei, in quo clarè viso matutinè fuerunt cognitæ creaturæ.

35 Ex quibus refutata manet sententia Vazquez *1. part. disp. 31. cap. 2. num. 6.* affirmantis, cognitionem matutinā solū in beatis Angelis distingui, nusquam verò in viatoribus hominibus, aut etiam in Angelis. Quæ sententia est (inquit) Alexandri, & multorum Thomistarum. Sed, cuiuscumque illa sit, manet refutata ex dictis. Quæcumque enim cognitio creaturæ in Deo dicitur matutina cōparata ad aliam eiusdem Angeli, qua cognovit creaturam in se ipsa. Cuius rationem reddit Augustinus *libro octuaginta trium quæstionum q. 26.* dicens; *quia priùs videtur ipsa creatura in verbo, quâm in eipsa.*

36 Vnde sic argumentor: cognitio, qua Angelus viator cognovit creaturam in Deo, seu in verbo, fuit prior cognitione, qua vidit eam in se ipsa. Sed secundū Augustinum cognitio, qua priùs videtur creatura, est matutina: ergo in Angelo viatore fuit etiam cognitio matutina. Respondet Vazquez *ibi num. 8.* ly *priùs* in Augustino esse intelligendum non de prioritate temporis; sed ordinis, & dignitatis. Sed contra hinc instauro argumentum: etsi enim verum sit, quòd creaturę *esse*, quod habet in Deo, dignius sit *esse* quod creatura habet in se ipsa. Est etiam verum, quòd etiam ex natura sua (quod in præsenti vocatur temporis prioritas largè loquendo) creatura prout in Deo est prior, seu præcedit se ipsam, prout cognoscibilem in proprio genere,

seu

ſeu per propriam ſpeciem: ergo ab Angelo viatore priùs natura, & quaſi tempore fuit cognita in verbo quàm in ſe ipſa, ſeu in proprio genere: ergo illa cognitio fuit matutina.

37 Præterea; D. Auguſtinus diſtinxit in Angelo matutinam, & veſpertinam cognitionem; vt ſic ex vtraque cognitione Angelica fieret vnus dies metaphoricus: & conſequenter ſex illi dies, qui conſumpti ſunt in creatione mundi, intelligerentur, non de diebus proprijs, ſed de metaphoricis per ordinem ad Angelicas cognitiones: ergo ex mente Auguſtini in Angelo viatore etiam eſt diſtinguenda cognitio matutina, & veſpertina. Patet conſequentia: quia omnibus illis ſex diebus, vel ſaltem aliquo illorum Angelus fuit viator.

38 Sed pro plena huius intelligentia nota *ex tractatu de opere ſex dierum*, ibi controverti; an Deus vſus ſit ſpacio ſex dierum in creando mundum? An potiùs vno die, aut inſtanti omnia produxerit, quæ in Geneſi leguntur producta eſſe? De quo extat duplex ſententia. Prima affirmat, omnia vno die aut inſtanti fuiſſe producta. Ita *Philo Iudæus, Procopius, Gaccus, & Caietanus cum D. Auguſt. libro 4. de Geneſi ad literam à capit. 22. & 11. de Civitate cap. 9.* Secunda autem ſententia affirmat, ſpatium ſex dierum fuiſſe conſumptum in creatione mundi. *Ita Chryſoſtomus, Ambroſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus & communiter Scholaſtici.* De quo præcipuè videatur Becanus 1. *part. tractatu* 4. *cap.* 1. *num.* 1. & 2. qui citat prædictos Patres, & Auctores. Cùm ergo Scriptura ſacra apertè numeret ſex dies in creatione mundi; & aliàs D. Auguſtinus dicat omnia in vnico die, aut inſtanti fuiſſe creata, recurrit ad ſex dies metaphoricos, vt ſic explicet ſcripturam. Quos dies metaphoricos putat eſſe ſex cognitiones Angelicas, quibus Angeli cognoverunt res illas, quæ dicuntur ſex diebus eſſe productæ. v. g. primus dies non eſt aliud quàm cognitio illa, (tàm matutina, quàm veſpertina, vt ſic ex vtraque conflетur vnus integer dies) qua Angelus cognovit ea omnia, quæ primo die narrantur eſſe facta. Similiter ſecundus dies non eſt aliud, quàm cognitio illa, (matutina, & veſpertina) qua quilibet Angelus cognovit ea, quæ ſecundo die narrantur facta. Et ſic de alijs diebus. Et quamvis hæc Auguſtini expoſitio ſex dierum communiter non recipiatur, vt ex Molina 1. *part. quæſt.* 58. *artic.* 7. notat Piloſus *diſp.* 13. *artic.* 8. *num.* 4. admittunt tamen omnes diſtinctionem cognitionis Angelorum in matutinam, & veſpertinam.

39 His notatis, sic argumentor contra Vazquez, & simul confirmo, quod in Angelo viatore fuit cognitio matutina, & vespertina. Augustinus distinxit cognitionem Angeli in matutinam, & vespertinam, vt sic ex vtraque cognitione fieret vnus dies metaphoricus; & consequenter explicaret sex dies creationis mundi per ordinem ad dictas cognitiones Angelicas. Sed cognitiones illæ nō fuerunt beatæ: ergo ex mente Augustini in Angelo viatore etiam est distinguenda cognitio matutina, & vespertina. Maior constat ex notatis *num*. 37. *&* 38. Minor videtur certa saltem omnibus, qui affirmant, Angelos simul cum aliis rebus fuisse creatos. (Recolantur dicta *n*. 1. *diff*. 3.) Immo debet esse certa omnibus: admittunt enim omnes, aliquando Angelum fuisse viatorem: (sive per lōgiores, sive per breviores moru las) ergo, dum fuit viator, habuit cognitionem matutinam, & vespertinam.

40 Nec vrget id, quod expendit Vazquez capite illo secundo, expēdit, inquam, diversa Augustini testimonia, quæ solùm de cognitione Angelica matutina beata possunt intelligi. Respondetur, hoc admisso, negando, hinc inferri, restringendam esse cognitionem matutinam Angeli ad cognitionē beatam. Nullibi enim talem restri ctionem fecit Augustinus: aut nullibi exclusit cognitionē Angeli viatoris. Quòd autem Augustinus frequenter loquatur de cognitione Angeli matutina beata, arguit quidem, illam esse magis notam, vti permanentem, seu perseverantem, & quæ successit cognitioni matutinæ viæ: ista enim brevissimis illis morulis viæ peractis, evanuit, & loco illius successit in bonis Angelis cognitio matutina beata in æternum duratura. Angelus enim beatus semper videt in Deo, & semper videbit aliquas creaturas; (plures, aut pauciores iuxta beneplacitum Dei) & consequēter perseverat, & perseverabit semper in eo cognitio matutina Beata: proter quod de ea frequenter loquitur Augustinus.

DIFFICVLTAS III.

De speciebus impressis Angelorum.

1 SPeciem intelligibilem vocant Philosophi, & Theologi quandam formam intellectui impressam, per quam determinatur, & movetur ad intelligendum hoc obiectum. Est enim intellectus de se indifferēs ad intelligēdum quodcumque. Obiectum: & insuper prædicta species est quædam similitudo vir-

virtualis obiecti: etenim ipsius obiecti repræsentationem in virtute continet, seu habet virtutem ad producendum simul cū intellectu formalem repræsentationem obiecti: quam communiter vocant intellectionem, speciem expressam, cōceptum, aut verbum mentis.

2 Igitur suppono absolutè loquendo ponendas esse prædictas species intelligibiles. (Abstineo modò, an sint necessariæ non solū homini, sed etiam Angelo? Item, an sint necessariæ non solùm ad cognitionem abstractivam, sed etiam ad intuitivam.) Ita ex nostris Scotus *in 1. d. 3. q. 6. §. Et versic. Ad quæstionem, & q. 7. §. Et versic. Ad quæstionem Alensis, Bonav. Ricardus & Aureolus: ex alijs autem D. Th. Albertus; Henricus, Caiet. Marsilius, Ferrara, & alij, quos citant communiter præcipuè Vazquez disp. 200. c. 2. n. 5. & Suar. lib. 2 c. 3. n. 6.* Estque sententia Augustini *1. de Trinitate c. 2* dicentis, *positionem specierum intelligibilium difficile suaderi tardioribus ingenijs.* Et ratio est quod per tales species determinatur intellectus ad intelligendum hæc obiecta potiùs quam illa. Alias rationes adducemus numero sequēti. Et quāvis species intelligibiles absolute nagaverint *Henr. de Gandabo, Baconius, Mercenarius, Franciscus Piccolomineus, Zabarella, & Bocaferreus citati à nostro Fabro theoremate 79. c. 3. §. Non levis. Item Themistius, Durandus, & alij, quos citant, præsertim Rubius in tractatu de intellectu possibili quæst. 2.* Tamen in præsenti mihi in hoc non est ampliùs immorandum: quia hæc sententia militat contra species intelligibiles abstrahendo ab hominibus, & Angelis: & eam latè refutant in tractatu de Anima: vbi nos eam reiecimus *disp. 4. q. 1.* Quatenus autem potest specialiter militare contra species Angelorum refutabitur ex dicendis in hac difficultate.

DVBIVM I.

3 PEtes primò, vtrùm Angelus egeat speciebus intelligibilibus ad cognoscēdum? Respondetur affirmativè cum Scoto *in 2. d. 3. q. 10. §. Et versic. Ad quæstionem*, & cum ferè omnibus auctoribus numero præcedenti citatis. Quia in Angelo militat illa ratio indifferentiæ, seu indeterminationis intellectus ad diversa obiecta: ergo vt determinetur ad istud potiùs quam ad illud intelligendum; debet habere species intelligibiles. Secūdo quia obiectum concurrit cū intellectu creato ad sui notitiā: (quia *ex obiecto, & potentia paritur notitia*: vt est Philosophorum axioma. Quod & tradit Augustinus *9. de Trinitate. c. 12.* dicens: *liquidò tenendum est quòd omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: ab vtroque enim notitia paritur, cognoscente, & cognito*) aut per se ipsum, aut per sui

re-

repræſentativum; nempe ſpeciē impreſſam, quæ dicitur vicaria obiecti, eò quod habet virtutem movendi potentiam ad cognitionem obiecti: ergo Angelus indiget ſpecie impreſſa, ſaltem quando obiectum per ſe ipſum concurrere non poteſt, vel propter diſtantiam, vel propter non exiſtentiam, vel ex alio capite. Tertiò, quia eſt perfectio intellectus habere in actu primo completum principium intelligendi obiectum abſens: ſed intellectus Angeli ſine ſpecie impreſſa non eſt principium ſufficiens intelligendi obiectum abſens: ergo ponenda eſt in Angelo ſpecies impreſſa ſaltem reſpectu obiecti abſentis. Quartò, quia Angelus verè recordatur præteritorum: ſed recordatio iſta nequit fieri ſine ſpeciebus præteritorum: ergo iſtæ ſpecies non ſunt negandæ Angelo. Demum ſpecialiter ſumitur efficax argumentum ex his probationibus poſterioribus: ſi enim in hominibus conceditur cognitio rerum abſentium, nec non & præteritarū; cùm Angelus ſit perfectioris naturæ, hoc illi non eſt negandum. Sed ad cognoſcendum obiecta abſentia, & præterita homo eget ſpeciebus impreſsis: ergo & Angelus.

4 Hinc conſtat, ſaltē ad cognoſcendum res nondum exiſtentes, item præteritas, & demum abſentes; aut breviùs, (& vt vnico verbo omnes res iſtas comprehendamus) ſaltem ad cognoſcendum abſtractivè ponendas eſſe ſpecies impreſſas in Angelo. Quia cognitio abſtractiva vocatur illa, qua cognoſcitur obiectum abſens, vel ſaltē prout abſtrahit à præſentia: ergo ad iſtá cognitionem nequit concurrere obiectum per ſe ipſum: ergo per ſpeciem, quæ eſt vicaria ſui. Patet hæc conſequentia: quia ſine obiecto concurrente per ſe ipſum, aut per ſui repræſentativum, id eſt, ſpeciem impreſſam, nequit dari cognitio: cùm *ab obiecto, & potentia pariatur notitia.*

5 Ex dictis reijcitur ſententia Durandi *in 2.d.3.q.6.n.17.& ſequentibus, Gabrielis, Ochami, Gregorij, & Baſſolis* quos citant, præſertim Vazq. *diſp.200.c.1.n.1.* Qui aſſerunt, ſolam rei præſentiam in ſe, vel in cauſa ſufficere, vt quæcūque res naturalis ab Angelo abſque ſpecie cognoſcatur. Putant enim, Angelū ſola ſua eſſentia, & intellectu eſſe fœcundum aut conſtitutum in actu primò potentem ad intelligendum quæcumque obiecta naturalia. Immo Ochamus *in 2.quæſt.15.conc.1.* idem docet de omni intellectu, etiam hominis. Sed horum ſententia ex dictis maneat refutata; obijcit tamē, quòd ſine neceſſitate ponuntur ſpecies impreſſę: ergo ſuperfluè. Antecedēs probant; quia intellectus Angeli cū præſentia obiecti habet ſufficiē

tem

tem virtutē ad eliciendum cognitionem intuitivam; ad abstractivam autem sufficit idem intellectus cum habitu, quē efficit notitia intuitiva præterita. Et confirmatur exemplo volūtatis: quæ, si semel habeat obiectū præsens in se, vel in sua causa, (sive sit species, sivè habitus) habet sufficientem virtutem producendi suos actus circa tale obiectum: ergo similiter intellectus Angeli circa obiectum præsens in se, vel in sua causa habet sufficientē virtutē ad eliciendem cognitionē.

6 Respondetur negando antecedens. Ad probationem omitto illud de cognitione intuitiva: est enim mihi certum, (de quo à numero 19.) vel saltem cuicumque Scotistæ saltem probabile, in doctrina Scoti cognitionem intuitivam fieri sine specie impressa obiecti. Nego tamē, cognitionem abstractivam fieri posse sine specie impressa. Ille autem habitus relictus à notitia intuitiva omnino est fictitius. Tū, quia in potentia visiva, & aliis sensibus externis similis habitus non repiritur: nullum enim exercitium habent in absentia suorum obiectorum. Tum, quia, si notitia intuitiva produceret habitum, ille inclinaret potentiam ad notitiam intuitivam, non ad abstractivam: habitus enim inclinant ad actus similes illis, à quibus producuntur. Item inclinaret ad actus memoriæ, non autem ad cognoscendum obiectum nudè, & nō vestitum priori cognitione. Tum demum, quia ponentes illum habitum coguntur affirmare, non posse Deum disponere, vt quis priùs cognoscat aliquod obiectum abstractivè, quam intuitivè.

7 Ad confirmationem dico, parum vrgere illos, qui dicunt, actum voluntatis partialiter effici ab intellectu, seu obiecto cognito. Hi sunt *Gregorius, Gabriel, Ocham; Dionysi. Cisterciensis, Conradus, Caietanus, Henricus, & alij* quos citant communiter, præsertim Vazq. *in 1. 2. disp. 36. cap. 3. num. 7.* Quæ sententia non multùm displicet Scoto *in 2. d. 25.* quamvis enim defendat, voluntatem efficere suos actus; non tamen determinat, an illa sola illos efficiat: vt constat ex §. *Dico ergo ad quæstionē,* vbi sic prosequitur) *quòd nihil aliud à voluntate est causa totalis volitionis in voluntate.* Relinquit ergo locum ad affirmandum, quòd cognitio, aut obiectum cognitum est causa partialis actus voluntatis. Legatur etiam *in Reportatis in 4. d. 49. q. 4. §. Secundū principale vers. Vnde si capiatur* à verbis illis: *Quia si ponatur, quòd intellectio est aliqua causa volitionis essentialiter requisita, &c.* Quod satis insinuat posse affirmari. In hac ergo sententia nulla est prædicta confirmatio.

8 Immo, & in communiori sententia (quæ affirmat,

volitionem totaliter produci à sola voluntate) facilis est disparitas: obiectum enim per se, aut per speciem sui efficit intellectionem partialiter simul cum intellectu; non autem volitionem, eò quòd ista non est similitudo obiecti, sicut intellectio. Itaque ex eo quòd in specie expressa, seu intellectione videm' resplendere obiectum, colligimus, per se aut per sui vicariam (scilicet speciem impressam) habuisse influxum in illam. Cùm autem volitio non sit assimilatio obiecti, sed quidam impulsus potentiæ circa obiectum, nō habemus, vnde colligamus, quòd obiectum habet aliquam efficientiam in volitionem. Quā solutionem fortè intendit Suar. *li.b2. c. 3. num.* 27. & quotquot dicunt, disparitatem esse, quòd voluntas non est potentia, quæ operatur per modum assimilationis, sed per modum impulsus.

9 Obijcit secundò prædicta Durandi, &c. sententia, quòd species intentionalis est eiusdem speciei cum re, quam repræsentat: sed in intellectu Angeli non possunt esse formæ eiusdem speciei cum rebus cognoscendis ab Angelo: (cum homine v. g. ab Angelo cognoscendo) ergo in Angelo non possunt poni species. Consequentia est legitima; minor certa. Maiorem probat Durandus ex eo quod species non ducit in cognitionem alterius nisi ratione similitudinis: sed similitudo solùm est inter illa, quæ sunt eiusdem speciei: ergo species, si darentur, essent eiusdē speciei cum obiectis, quæ repræsentant. Secundò probat eamdē maiorem exemplo luminis, & coloris, ex quibus aliqua similitudo derivatur eiusdem speciei cum ipsis, minùs tamē perfecta. Putat enim Durandus, lumen productum in medio aère esse speciem luminis quod est in corpore luminoso: & quod ex colore, qui est in corpore colorato, nascitur species quædam coloris in diaphano: quæ species, vt ipse existimat, est quidam remissus color per refractionem. Denique idem de omnibus sensibilibus qualitatibus affirmat, nempe quòd semper agunt, & producūt effectum eiusdem secum rationis: ergo à simili, si obiecta producerent species intentionales, istæ essent eiusdem rationis cum illis.

10 Respondetur, negando maiorem. Ad primam probationem dico, quod species est similitudo non in entitate, sed in repræsentatione. Itaque species dicitur similitudo obiecti, non quia habet eamdem entitatem, seu eadem prædicata, aut similia, ac habet obiectum in esse entitativo; sed in esse repræsentativo. Vt patet in pictura, seu imagine Cæsaris v. g. Ad secundam pro-

probationem nego, quod ex lumine, aut colore derivetur aliqua similitudo eiusdem speciei cum ipsis: lumen enim est species sensibilis, seu intentionalis ipsius lucis: vt docet Scotus *in 2. d. 13. §. De secundo. versic. Hoc modo*: & consequenter est alterius naturæ, aut essentiæ, quàm lux, à qua producitur: sicut quæcumque species intentionalis est alterius naturæ, ac est eius obiectum. Immerito ergo existimat Durandus, quòd à lumine aliquid deriuatur, & quòd est eiusdem naturæ cum illo. Tum, quia ipsum lumen est quid derivatum à luce. Tum, quia dato, quòd ipsum lumen non esset species intentionalis, sed ab ipso species derivaretur; ista species esset alteriùs naturę, ac est lumē: sicut lumen, quod in rei veritate est species lucis, est alterius naturæ, ac ipsa lux, à qua derivatur. Item nego, quòd ex colore derivatur aliqua similitudo eiusdē speciei cum ipso colore: solùm enim derivatur species intentionalis quæ necessariò est alterius naturæ, ac est color. Ad tertiam probationem dico, verum esse sensibiles qualitates producere alias similes: (v.g, calor producit calorem, &c) ex hoc tamen nō infertur, quòd obiecta debent producere species intentionales eiusdem naturæ. Tum, quia non omnis productio debet esse vnivoca. Tum, quia illa productio est realis; ista autem intentionalis: & ideo à natura solùm intenditur, quòd productum assimiletur producenti, nō in entitate, seu in essendo; sed in repræsentando.

11 Obijcit teriò Durandus: si intellectus Angeli esset instructus prædictis speciebus, semper intelligeret illa omnia obiecta, quorum habet species: sed hoc est falsum: ergo non dantur istæ species. Respondetur negando maiorem: quia præter speciem obiecti requiritur applicatio potentiæ, vel aliquod aliud ad hoc, vt intellect⁹ prorumpat in actualem intellectionem obiecti.

12 Obijciunt quartò: quod repræsentat aliud, non ducit in illius cognitionem, nisi priùs cognoscatur in se. Sed species intentionales non priùs cognoscuntur ab Angelo, quàm obiecta, quorum sunt ræpræsentationes, seu imagines: ergo quia non dantur. Maiorem probat instantia imaginis Cæsaris v.g. quæ non ducit in cognitionem Cæsaris, nisi priùs cognoscatur. Maiorem probat exemplum speciei obiecti visibilis, quæ recepta in oculo non videtur priùs quàm obiectum; immo absolutè non videtur. Idemque contingit intellectui nostro, qui percipit quidem obiecta repręsentata per species, ipsas autem nō percipit:

ergo idem continget in Angelo. Et, dato, quòd propter suam perspicacitatem etiam percipiat, seu cognoscat ipsas species, (si in illo darentur) certum tamen debet esse, quòd ad cognoscendum obiecta per ipsas repræsentata non est necessarium, quòd Angelus illas præcognoscat. Respondetur, distinguendo maiorem: est enim vera de illo, quòd repręsentat aliud tamquā medium præcognitum: & hoc probat instantia imaginis Cæsaris v. g. Et ratio est, quod cùm ducat in cognitionem rei repręsentatę propter similitudinem, seu proportionem, quam habet cum illa, necessarium est, vt priùs cognoscatur: similitudo enim proportio, aut quęcũque alia relatio cognoscitur ex cognitione extremorum: cognoscibilitas quippe rei proportionatur cum esse: & ideo sicut esse relationum dependet ab extremis; ita & earum cognoscibilitas. Falsa autem est maior de illo, quod repręsentat aliud, tamquam medium, aut ratio cognoscendi illud: & hoc modo species impressa repræsentat Angelo suum obiectum. Quod patet in speciebus sensibilibus, quæ non priùs videntur, audiuntur, &c. Et ratio est, quòd non dicuntur medium cognoscendi aliud propter similitudinem, quam habent cum illo; sed quia habent virtutem movendi potētiam, & simul concurrendi cũ illa ad cognitionem illius rei, quam repræsentant, & quarum dicuntur rationes, aut media cognoscendi.

13 Obijciunt quintò: quędā cognoscimus pro hoc statu sine speciebus: etenim intelligimus spiritualia, relationes reales, & entia rationis, quorum sicut nullum datur phantasma, nulla potest dari species: ergo cũ Angelicus intellectus sit maioris activitatis, sic omnia intelliget. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, res spirituales pro statu isto cognosci instar corporalium, & per illarum species. Aut dico cum Piloso *disp. 12. art. 4. n. 4.* cognosci à nobis quoad prædicata communia, quornm habemus species: quia ex Scot. *in. 1. d. 3. q. 2. § & versic. Quintò dico* imprimens intellectui nostro speciē prædicati minùs vniversalis, in illo quoque causat speciem prædicati vniversalioris, etiam transcendentis. Relationes etiam reales intelliguntur per species suorum extremorũ. Et entia rationis per species rerum, quarum instar cognoscuntur.

14. Ex quibus etiam refutata manet sententia Henrici *quodl. 5. q. 14.* quatenus affirmat superfluas esse Angelo species, & ponendum esse in illo habitū quēdam specialem, per quem intellectus Angeli redditur proximè po-

potens ad intelligendum quodcumque obiectum. Fallitur tamen Henr. quia species non esse superfluas, sed omnino necessarias, satis constat ex dictis. Quòd autem superfluus sit ille habitus scientialis, probat Scotus *in 2. d. 3. quaest. 8. §. & versic. Contra istam* ex eo quod hominis intellectus imperfectior vel saltem non magis perfectus intelligit sine tali habitu scientiali: ergo superfluè ponitur in Angelo. Sed vt Henr. probet superfluas esse species, & ponendum esse habitum sciētialem, sic arguit. Species ad hoc ponūtur, vt faciant obiecta praesentia in esse intelligibili. Sed hoc aptiùs facit habitus scientialis: ergo iste, & non illae, est ponendus. Probatur minor instantia alterius habitus scientialis: in habitu Theologiae v. g. continētur omnes conclusiones Theologicae: ergo in habitu posito in Angelo ad intelligendum omnia à se naturaliter intelligibilia, continebuntur virtualiter omnia talia obiecta: ergo aptius est ponere in Angelo vnum talem habitum scientialem, quàm innumeram multitudinem specierum.

15 Respondetur distinguendo maiorem: falsa est enim, si intendat, species poni, vt faciant praesens obiectum terminativè, seu in ratione terminandi. Est autem vera, si intendat, poni speciem, vt faciat obiectum praesens motivè, seu in ratione movendi: ad hoc enim producitur ab obiecto, vt, tamquam vicaria sui, moveat potentiam, & cum illa coefficiat intellectionem. Vnde ad minorem dicimus habitum illum frustraneum esse; quia, cùm omnis habitus se teneat ex parte potentiae, & detur in adiuvamen illius, iste habitus nullo modo poterit movere potentiam ad cognitionem alicuius obiecti; sed solùm posset (si admitteretur) cum potentia iam mota ab obiecto, aut ab illius specie concurrere vel ad substantiam cognitionis, vel ad aliquem modum illius, secundùm diversitatem opinantium. Hinc constat ad probationem minoris: Theologia enim, & quaecumque alia scientia habitualis dicitur continere virtualiter omnes veritates, seu conclusiones illius facultatis, (si talis modus loquendi alicubi reperitur. Etenim quod frequenter dicitur, est, obiectum scientiae continere omnes veritates illius scientiae) quatenus facilem, & expeditam reddit potentiam ad eliciēdum actus circa conclusiones omnes illius facultatis, (si ab omnibus fuit ille habitus generatus)

16 Insuper ex dictis reiecta manet sententia Vazq. *disp. 00. c. 3. à n. 7.* qui affirmat, efficaces

rationes suppetere (nempe quas *numero 2. & 3.* retulimus) ad probandum humanum intellectum instrui speciebus ad intelligendum: addit tamen, vix vllam esse rationem, quæ id de intellectu Angelico eodem modo apertè convincat. Fallitur tamen Vazquez: quia prædictæ rationes æquè de omni intellectu creato probant, indigere speciebus. Quare necessitas specierum vel neganda est in hominis intellectu, vel admittenda est simul in Angelo. Voluntariè autem omninò diceretur, quod Angelus propter perfectionem suæ naturæ est virtualis imago omnium à se naturaliter intelligibilium. Cùm enim sit limitatę virtutis, non continet virtualiter omnes entitates rerum naturalium, quas potest intelligere: & consequenter ex hoc capite nequit virtualiter continere earum intelligibilitates. Non autē apparet alliud caput, ex quo possit dici imago rerum à se naturaliter intelligibilium, quàm homo: ergo si Vazq admittit necessitatem specierum intelligibilium in hominis intellectu, etiam in Angelico debet similem necessitatem admittere.

17 Denique reiecta manet ex dictis sententia, quæ solet tribui *Averroi*, *Alexandro*, *Aphrodisæo*, *& Altisio lorensi*, (teste Suarez *lib. 2. cap. 3. num. 5.*) & aliis. Quæ sententia etsi generaliter fateatur, obiectum intelligibile concurrere ad intellectionem sui per se, vel per aliquid supplens vicem eius; negat tamen, Angelis esse necessarias species quorumcumque obiectorum, etiam à se distinctorum. Hoc tamen ex dictis manet refutatum. Sed obijcit, quòd substantia Angeli potest ei sufficiēter deservire per modum speciei, vt rem quamcumque possit cognoscere: ergo non eget speciebus. Antecedens probat: quia hoc non repugnat, neque excedit perfectionem substantię, vt sic. Deus enim, seu substantia divina est repræsentativa omnium. Neque excedit perfectionem substantiæ finitæ: cùm illa repræsentatiò non sit infinita: immo est valde finita: cùm secundùm multos fiat per species, quæ sunt entia valde imperfecta, & accidentalia: ergo aptius fieri poterit per perfectissimam substantiam Angeli. Respondetur negando antecedens. Ad probationē dicimus, repugnare substantiæ finitæ repræsentare omnia intelligibilia; quia illa nō continet entitativè, id est, non continet virtualiter entitates omnium intelligibilium. Itē illa non continet intelligibiliter, seu non continet illa in esse intelligibili. Quæ continentia duobus tantùm modis potest contingere. Primò, quia vnum est simile alteri, qualiter

liter imago Cæsaris v. g. continet intelligibilitatem illius. Secundò, quia est species impressa illius seu habet virtutem movēdi potentiam ad hoc; vt prorumpat in cognitionem illius. Cùm ergo substantia Angeli sit finita, non continet virtualiter entitates omnium intelligibilium: item non est similis omnibus illis: & insuper non est illorum species impressa: & consequenter ex nullo capite potest non egere speciebus saltē ad abstractivè intelligendum.

18 Habemus ex dictis præsetim *num. 3. 4. & deinceps.* necessariò ponendas esse species impressas in Angelo, saltem ad cognoscendum res absentes, præteritas, & nondum existētes; quia cùm *ab obiecto, & potentia pariatur notitia*: & aliàs res istæ per se ipsas non posśint immediatè movere intellectum Angeli, & simul cum illo producere partialiter intellectionem. (quæ duo esse necessaria ex perte obiecti, suppono ex dictis *num. 1. & per totum hoc dubium*) Quia vtrumque hoc facit obiectum in genere causæ efficientis: causa autem efficiēs ad causandum requirit necessariò, & realem existentiam, & debitam approximationem cū passo, aut cum materia illa, circa quam operatur. Hinc fit, quòd res non existens, item res absens, & demum res præterita, quando ab Angelo cognoscitur, debeat ad istam cognitionem concurrere movendo potentiam, & talem cognitionem partialiter cum illa efficiēdo, non immediatè, sed per speciem impressam sui.

DVBIVM. II.

19 Petes secundò, an ponendæ sint in Angelo species impressæ ad cognoscendum obiectum sibi realiter præsens, & proportionatum? Respondetur, sub distinctione. Ponenda est enim ad cognitionem abstractivam; non autem ad intuitivam. Ita Scotus *in 2. d. 3. q. 10. §. Ad quæstionem versic. Etsi* verbis illis. *Dico, quòd Angelus quālibet quidditatem aliam à se, & suam, & se ipsum potest cognoscere per essentiam, quando cognoscit cognitione intuitiva, scilicet sub ratione qua præsens est in existentia actuali. Et potest cognoscere per speciem, quando cognoscit eam cognitione abstractiva.* Idem docent Fabro *in 2. disp. 26. cap. 1. n. 6. & 7. Pilosus disp. 12. artic. 1. n. 3. & 6.* negans speciem Angelo ad se ipsum intuitivè cognoscendum; & *artic. 3. num. 12. & 2.* cōcedens Angelo speciem ad se ipsum abstractivè cognoscendum. Quod & debent concedere omnes Scotistæ, cùm sit aperta sententia Scoti.

20 Et probatur de cognitione intuitiva: hæc enim solùm

versatur circa obiectũm existẽs, & præsens potentiæ: sed obiectum realiter existens, & præsens potentiæ Angeli (si illi sit proportionatum; qualiter sunt saltem res spirituales) per se ipsum immediatè movet potentiam, & cum illa partialiter producit intellectionem: ergo ad cognoscendum intuitivè obiectum realiter præsens, & proportionatum non est ponenda species impressa in Angelo. Probatur minor: sine aliquo enim fundamento admitteretur species ad ea, quæ obiectũ per se ipsum facere potest: hoc quippe esset superfluũ. Et ideo species vocatur vicaria obiecti: eò scilicet, quòd supplet vices obiecti, quòd immediatè per se ipsũ efficere nõ potest, vel propter carentiã existentiæ, vel propter absentiam, vel propter improportionem.

21 De cognitione abstractiva probatur a contrario: hæc enim versatur circa obiectum abstrahens ab existẽtia, & præsentia reali: ergo debet fieri per speciem. Patet consequentia: quia obiectum præscindens ab existẽntia, & reali præsentia nequit per se ipsum immediatè, sed solùm per speciem sui movere potentiam ad intellectionem, & cum illa efficere ipsam intellectionem. Omnis quippe causa efficiens requirit ad efficiendum, & realem existentiam, & debitam approximationem, vel applicationem passo, seu materiæ, circa quam est operatura.

22 Petes, quare de obiecto præsenti ponenda sit duplex cognitio, alia intuitiva, & abstractiva alia? Respondetur, rationem esse, (præter quàm quòd Scotus non solùm loco, & verbis *num.* 19. citatis loquendo de Angelis; sed etiam *in* 3. *d.* 14. *quæst.* 3. §. *Ad quæstionem versic. Etsi obiicitur* id expressè docet de omni intellectu creato) quòd spectat ad perfectionem cognoscentis cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est. Sed abstractivè cognoscere est distinctus modus cognoscendi: ergo admittendus est in Angelo. Prætereà ponimus in Angelo cognitionem factam per speciem, etiam de obiecto præsenti; vt intellectus habeat intra se principium cognoscendi tale obiectum, quoties voluerit, etiam si obiectum illud perierit, aut absens sit.

23 Dices, ad hoc sufficere ponere speciem impressam, non verò requiri cognitionẽ abstractivam. Resp. ita esse. Itaque si solùm esset hæc ratio solùm poneremus in Angelo speciem impressam: tamen cum alia ratio vrgeat, nempè quòd Angelus cognoscat rem omnibus modis, quibus cognosci potest, ideo affirmamus, esse in eo non solùm speciem impressam, sed etiam

etiam cognitionem abstractivã illius rei.

24 Instabis, has duas cognitiones (scilicet intuitivam, & abstractivam) esse simul impossibiles in eodem intellectu circa eamdem rem: ergo intuitiva posita in Angelo, neganda est abstractiva. Antecedens probatur: habent enim conditiones oppositas: siquidem intuitiva debet versari circa obiectum actu, & realiter existens, & præsens: abstractiva verò debet versari circa obiectum absens, seu vt præcindit ab existentia, & præsentialitate reali. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico de ratione cognitionis abstractivæ solùm esse, quòd fiat per principium ex se, & ex natura sua natum repræsentare obiectum præscindens ab existentia, & præsentialitate reali. Quod habet species impressa in sensibus internis, nec non, & species impressa in intellectu: (quidquid sit de speciebus impressis in sentibus externis) vt expressè docet Scotus *in 3. dist. 14. quæst. 3. §. Ad quæstionem vers. Et si dicatur* verbis illis, *species repræsentat obiectum, vt abstrahit ab actuali existentia, quia eodem modo repræsentat, sive obiectum existat, sive non existat: & per consequens non est ratio cognoscendi existens, vt existens.* Idem docet *in 4. dist. 45. quæst. 2. §. Ad quæstionem versic. Per istam*; vbi reddens rationem, quare cognitio intuitiva non fiat per speciem obiecti præsentis, & existentis dicit; *quia phantasma repræsentat rem existentem, vel non existentem, præsentem, vel non præsentem.* Vnde cõstat, quòd cognitio Angeli facta, media specie impressa, est abstractiva, etiam si aliàs obiectum sit realiter præsens; tunc enim præsentia realis obiecti est accidentaria ad cognitionem factam per speciem: cùm ista eodem modo repræsentaret obiectum, etiam si esset absens.

25 Sed secundò instabis, has duas cognitiones (intuitivam, & abstractivam) non posse simul esse in eodem intellectu; saltem naturaliter loquendo: probatur, quia duo accidentia solũ numero distincta nequeunt esse in eodem subiecto: ergo in Angelo nequeũt simul esse cognitio intuitiva, & abstractiva respectu eiusdem obiecti. Respondetur negando assumptum: ad probationem resp. cum Filoso *disp. 12. art. 3. n. 3.* (& est solutio communis inter nos Scotistas) cognitiones intuitivam, & obstractivam differre specie.

26 Respond. secundò (admisso, quòd hæ cognitiones solùm numero differant) distinguẽdo antecedens probationis: solùm enim est verum de accidẽtibus omninò similibus, seu quæ in omnibꝰ cõveniũt, vt sunt duæ

 quan-

quantitates, duæ qualitates eiusdem intensionis. Cùm enim vnū tale accidens nihil plus, quàm aliud numero distinctum ponat in subiecto, posito vno, superfluit aliud. Est tamen falsum antecedens de accidentibus non omninò similibus, seu quę in aliquo differunt: cùm enim quodlibet illorum possit præstare subiecto aliquid speciale, quòd non præstat aliud, vno posito, potest simul poni aliud sine superfluitatis nota. Propter quod nos Scotistæ cum Scoto *in* 3.*d*.8. §. *Et verſ. Ad quæstionem* ponimus in Christo Domino duas filiationes, per quarum alteram respiciat Patrem, & per alteram referatur ad matrem. Ex qua doctrina communiter affirmamus, in vno, & eodem patre multiplicandas esse relationes solùm numero distinctas ad multiplicationem filiorum. Quam doctrinam, præter Scotistas, admittunt multi Thomistæ, præcipuè *Suar. Molina, & Fonseca*, quos citat noster Merinero *in Logica cap.* 7. *categoriarum disputat.* 3. *quæst.* 3. *num.* 5.

27 Vidimus iam *à num.* 23. quæ militant contra nostram cōclusionem, quatenus circa rem facialiter præsentem simul admittit cognitiones abstractivā, & intuitivam. Videamus modo, quæ militant contra eādem conclusionem, quatenus affirmat, obiectum realiter præsens per se ipsum, & sine interventu speciei impressę movere ad cognitionem intuitivam, & simul cum potentia illam partialiter producere.

28 In primis ergo obijcies, hoc non esse certum apud Scotum. Ipse enim in 4.*d*.49.*q*.11.§. *Reſpondeo, verſic. Si autem obiectum* sic loquitur: *si autem obiectum in se præsens sufficit ad actionem visionis causandæ quantum ad illud, quòd requiritur ex parte obiecti, tunc non requiritur species.* In quo etiam persistit in *Reportatis eadem distinctione quæst.* 10. §. *Ad quæstionem versicul. Per illud*: non ergo est certum apud Scotum, quòd obiectum realiter præsens movet immediatè per se ipsum, & simul producit cognitionem intuitivam. Patet consequentia expendendo duo: alterum est conditionalis illa: *si autem obiectum, &c.* Alterum est, quòd ibi loquitur de visione beata, quæ est cognitio intuitiva.

29 Respondetur, negando consequētiam: apertissimè enim docuit Scotus, ad cognitionem intuitivam concurrere obiectū per se ipsum immediatè sine interventu speciei impressæ: vt constat ex verbis ipsius adductis *num.* 19. Quod & alibi docet, præcipuè *quodlib.* 15. §. *De secundo articulo verſic. Ad secundum.* verbis istis: *Essentia divina non est immediatè obiectum creata beati aliquo ordine prius, quā intelligentia: quia non causatur aliqua* for-

forma in intellectu beato repræsentans illam essentiam: sed primum, quod causatur in intellectu beato, est ipsa visio. Non ergo potest dubitari, Scotum firmissimè sentire, obiectū debitè præsens, & proportionatum per se ipsum, & nulla specie impressa media, concurrere ad cognitionem intuitivam.

30 In locis autem nobis obiectis solùm vult pro tunc abstrahere ab ista quæstione, & ostendere, veram esse doctrinam, quam tunc tradebat in vtraque sententia, nempè sive obiectum concurrat immediate per se ipsum, sive media specie. Et ideo in loco citato Reportatorum sic loquitur. *Illa ratio destruit se secundùm omnem opinionem: quia tâm ponentes species; sicut negantes habent negare necessario maiorem, vel minorem: quia si ponatur, quòd obiectum movet per se immediatè, &c.* Respondetur secundò, sæpe Scotum vti illo modo loquendi, seu illa cōditionali (*si teneatur*) non tam approbando omnes sententias, quàm vt sic doceat, quomodò sit respondendum consequenter ad doctrinā vniuscuiusque.

31 Sed statuto iàm secūdum Scotum, cognitionem intuitivam intellectualem fieri sine specie impressa. (abstineo à cognitione, seu sensatione sensuum externorum) sed solùm per immediatum concursum obiecti facialiter præsentis, adducamus præcipua, quæ contra hoc nobis obijciunt adversarij. Primò enim sic obijciunt. Intellectus debet constitui proximè potens in actu primo ad operādum antequam operari incipiat. Sed per obiectum quātumcumque præsens sit, & debitè approximatū, non potest constitui: ergo adhuc præsenti obiecto, & debitè approximato, eget Angelus specie impressa ad cognitionem, etiam intuitivam. Probatur minor, quia id quod constituit potentiam proximè potentem, debet in ipsa recipi, seu illi inhærere.

32 Respondetur negando minorem. Ad probationem dico, solùm esse necessarium, quòd recipiatur in potentia id, quod constituit potentiam proximè potentem operari communicādo illi aliquam virtutē, seu saltem elevando illam ad altiorem ordinem: qua ratione putant aliqui, lumen gloriæ elevare intellectum ad eliciendum visionem beatam. Non autem est necessarium, quòd recipiatur in potentia id, per quod potentia dicitur constitui proximè potēs operari; eo quòd ipsam potentiam excitat ad operationem, aut quia simul cum illa efficit eumdem effectum. Vt patet in voluntate; in qua non recipitur cognitio, aut obiectum cognitum, etiam si ab isto, vel illa excitetur ad operandum: immo etiam si secundùm aliquos cognitio,

nitio, aut obiectum cognitum partialiter producat actus voluntatis. Patet etiam in duobus portantibus pōdus, quod vnusquisque seorsim portare nō potest: neuter enim illorum recipitur in alio; & tamen quilibet constituitur proximè potens ad talem portationem per consortium alterius Patet item in cōcursu Dei, & creaturæ ad eumdem effectum: non enim requiritur, quòd Deus recipiatur in creatura, vel è contra; immo neque quòd concursus vnius recipiatur in concursu alterius. Et ratio est, quòd illud, per quod aliqua potentia dicitur constitui proximè potens operari, solùm quia illam movet, seu excitat ad operandum, aut quia simul cum illa efficit eumdem effectum, ad vtrumque solùm concurrit in genere causæ efficientis: causa autem efficiens ex natura sua non petit inhærere in illo, quod ad operandum movet, vel excitat, aut in illo, cum quo concurrit ad eumdem effectum. Cùm ergo obiectum dicatur constituere intellectum potentem operari, quia ipsum movet ad operationem; & quia simul cum illo producit cognitionem intuitivam, non requiritur, quòd inhæreat, aut recipiatur in intellectu: vtrūque enim facit in genere causæ efficientis: ad cuius causalitatem solùm requiritur existentia, & debita approximatio.

33 Hinc acutè observarunt *Angelicus Præceptor* 1.*p*. *q*.56.*artic*. 1.*&* *Subtilis Doctor in* 1.*dist*.3.*q*.7. § *Ad quæstionem*. *vers*. *Respondeo*, quòd accidit speciei intelligibili, vt efficiat intellectionē, quòd inhæreat intellectui: quia eodē modo causaret intellectionem, *si posset esse inexistens intellectui absq*, *inhærentia per modum formæ*: inquit Scotus. Sicut *calor non minùs calefaceret, si esset per se subsistens, quàm calefacit inhærens*. (instat D. Th. ibi) Et ratio est iam tacta, nempe quòd causæ efficienti accidit inhærentia in altera concausa.

34 Propter eamdem rationē extendenda est doctrina Scoti, & D. Thom. ad motionem, quā facit species: cùm enim hæc motio sit in genere causæ efficientis, accidit speciei impressæ ad movendum intellectum, vt ipsi inhæreat. Sine tali quippe inhærentia intellectio, aut obiectum cognitum movet voluntatem.

35 Inhæret ergo species impressa intellectui Angeli, vel hominis, non ex eo quòd inhærentia hæc sit necessaria ad movendum potentiam; aut ad coefficiendum cum illa intellectionem; sed quia talis species est accidens: quodcumque autem accidens postulat inhærere subiecto: vt nulli est dubium. Adde, quòd ordine naturæ postulat priùs inhærere subiecto, quàm efficienter operari: inhæ

hærentia quippe spectat ad complementum substantiale accidentis: sicut subsistentia est modus spectans ad complemẽtum substantiale substantiæ. (saltem completæ) Quare sicut in substantiali ordine priùs natura est, quòd substantia habeat subsistentiã, quã quòd operetur: ita in ordine accidentali priùs natura est, quòd accidens habeat actualem inhærẽtiam, quàm quòd prorumpat in operationẽ. Semper tamen est verum, quòd ad efficiendum, sive motionem intellectus, sive intellectionem ipsam, de per accidens se habet inhærentia speciei impressiæ: sicut, & cuiuscumque alterius formæ accidentalis, cùm in suppositione, quòd non inhæreret, æquè efficeret, sicut modo inhærendo.

36. Ex quibus firmior manet responsio *numero* 32. allata, nempè, quòd etsi obiectum non possit recipi in intellectu Angeli; si tamen sit præsens, & debitè proportionatum, potest illum movere, & simul cum illo producere intellectionem.

37. Sed contra hanc doctrinam (nempe quòd obiectum per se ipsum immediatè cõcurrit ad motionem, nec non & ad productionem intellectionis) obijciunt secundò: quod constituit potentiam in actu primo potẽtẽ operari, subordinatur ipsi potẽtiæ: potentia quippè vtitur illo. Sed obiectum non potest subordinari potentiæ Angeli: ergo adhuc præsenti obiecto, & debite proportionato potentiæ, ponẽda est species impressa. Probatur minor: tum, quia quando obiectum est perfectius potentia (v.g. si Angelus cognoscit suam essentiam, perfectiorem Angelum, vel Deum) erit contra ordinem naturæ subordinatio: est quippe contra ordinem naturæ, quòd perfectius, seu nobilius subordinetur minùs nobili, aut minus perfecto. Tum quia subordinatio vnius ad aliud arguit imperfectionem subiectionis in subordinato. Respondetur negando minorem. Ad primã probationem dico, solùm esse contra ordinem naturæ, quòd perfectius, aut nobilius subordinetur minùs perfecto, aut minùs nobili, quando subordinatur tamquam superiori: tunc enim ista subordinatio arguit imperfectionem subiectionis, & inferioritatis subordinati respectu illius, cui subordinatur. Nulla autẽ imperfectio reperitur in subordinatione vnius ad aliud solũ per coniunctionem operationũ ad eũdem effectum. Vt convincit instantia Dei; qui etsi simul cũ causa secunda concurrat ad eumdem effectũ, non tamen ex hoc ei accrescit aliqua imperfectio. Hinc etiam patet ad secundam probationem minoris. Cùm ergo obiectum immediatè con-

concurrens ad cognitionem intuitivam subordinetur potentiæ solùm per coniunctionem suæ operationis cum intellectu, fit, vt nulla imperfectio ipsi obiecto accrescat ex tali subordinatione.

38 Dices, quòd Scotus *in 1. dist. 3. q. 8. §. Respondeo vers. Secundò* ex hoc, quòd potentia vtitur obiecto, & non è contra, infert, potentiam esse principaliorem causam, quàm obiectum: ergo aliqua minor perfectio est in obiecto, quòd ipsum immediatè per se moveat, & producat intellectionem. Respōdetur negando consequentiam: illa enim Scoti doctrina vera est, sive obiectum immediatè, sive media sua specie agat: vt constat ex his Scoti verbis ibi: *illa est principalior causa, qua agente, alia causa coagit, & non è converso: intellectu autem nostro agente ad intellectionem, obiectum in se* (expende) *vel in sua specie coagit*: abs re ergo adducitur prædicta Scoti doctrina: ibi enim non fit comparatio inter concursum immediatum obiecti, & eiusdē obiecti concursum mediatum, & per speciem: sed inter cōcursum obiecti, (sive immediatum, sive mediatum) & concursum potentiæ.

39 Adde, quòd propter similem Scoti rationē possemus dicere, obiectum esse principaliorem causam intellectionis: siquidem obiectum movet intellectum ad intellectionem; & nō movetur ab ipso. Item ex hoc capite obiectum deberet esse nobilior causa, aut principalior: quia ab ipsius motione incipit operatio. Propter hanc quippe prioritatem in operando dicunt multi, quod finis inter causas est nobilissima. Igitur concludendum est, quòd intellectus, & obiectum, quatenus concurrunt ad intellectionem se excedunt ad invicem quantum ad principalitatem causandi. Quippe intellectus est principalior causa, eo quòd vtitur obiecto; obiectū autem nō vtitur intellectu. Obiectum verò est principalior causa; eo quod movet, seu excitat intellectum ad intellectionem; intellectus autem non movet obiectum: necnon, & quia media motione, ab obiecto incipit operatio, seu productio intellectionis.

40 Obijciunt tertiò: (contra immediatum concursum) obiectum realiter præsens est in continua productione specierum intentionalium: ergo, si semel sit coram intellectu Angeli, necessariò in illo producet speciem sui: ergo intellectus Angeli necessariò cognoscet obiectū realiter præsens media specie: ergo etiam cognitio intuitiva fit per speciem. Respōdetur negando vltimam consequentiā: quia de obiecto realiter præsenti est in intellectu duplex cogni-

nitio; alia intuitiva, ad quam concurrit obiectum immediate per se ipsum, tàm movendo potentiam, quàm coefficiendo cum illa intellectionem. Et alia abstractiva facta media specie obiecti: vt satis diximus *à numero* 19. Itaque sicut obiectum realiter existens coram potentia est in continua productione specierum intentionalium: ita est in continua motione potentiæ per se ipsum immediatè: & sicut media productione speciei intellectum excitat, seu movet ad cognitionem abstractivam, seu quæ potest conservari in absentia obiecti: sic per immediatam motionem sui continuè excitat, seu movet intellectum ad cognitionem intuitivam, seu quæ nequit persistere sine reali præsentia obiecti: cum ab ipsius motione essentialiter dependeat.

41 Nota, quòd cognitio intuitiva ex genere suo est perfectior cognitione abstractiva: vt docet Scotus *in 2. dist. 3. q. 10. §. Ad quæstionem vers. Et ex hoc* verbis istis: *cognitio autem per speciem est imperfectior ex suo genere cognitione per essentiã*. Et ratio mihi est, quòd etsi operatio vicarij æquivalẽs sit actioni illius, cuius vices gerit, non tamẽ tantum æstimabilitatis habet: vt patet in actione Regis v. g. & Proregis. Secundo, quia id, quod derivatur ab alio, ex suo genere videtur habere nescio quid minoris perfectionis, aut æstimationis, quã illud à quo derivatur. Sic etsi imagini, & suo prototypo eadem adoratio exhibeatur: (vt suppono ex tractatu de Adoratione) tamen cùm excellentia imaginis sit deriuata ab excellentia prototypi, nescio quid inferioritatis habet comparata cũ excellentia prototypi. Ad rem ergo: cognitio facta per speciẽ est cognitio facta per vicariam obiecti: (sic vocitant speciem) sed actio facta per vicariũ ex genere suo habet aliqualẽ inferioritatem comparata cum simili actione facta ab illo, cuius est vicarius: ergo cognitio per speciem producta imperfectior est ex genere suo cognitione producta ab obiecto per se ipsum immediatè concurrente: & consequenter ista est perfectior illa.

42. Ex dictis in primo dubio constat, Angelum egere speciebus intelligibilibus ad cognoscendum res nondum existentes; item res præteritas; necnon & res existentes, quæ non sunt Angelo præsentes. Insuper ex dictis in dubio secundo constat, etiam egere Angelum speciebus ad cognoscendum abstractivè res facialiter præsentes: non tamen ad illas intuitivè cognoscendum. Ex qua doctrina varia dubia manent soluta. Sed claritatis gratia illa sigillatim proponamus.

DV-

DVBIVM III.

43 PEtes tertiò, Vtrum Angelus cognoscat immediatè se ipsum per suam essentiam? Respondetur affirmativè loquendo de cognitione intuitiva: negativè autem loquendo de abstractiva. Quia essentia Angeli est sibi realiter præsens: sed Angelus cognoscit obiecta realiter præsentia intuitivè sine specie, abstractivè verò per illam: ergo, &c. Minorem probāt omnia dicta *à numero* 19. *vsque ad* 41. præcipuè revideātur verba Scoti illo *numero* 19. transcripta, quæ ad hoc intentum sunt perspicua.

44 Nota, quòd, quando dicimus, Angelū se intuitivè cognoscere per suam essentiam, intelligimus, quòd essentia Angeli est sibi comprincipium obiectivè motivum sui intellectus ad coefficiendum partialiter sui notitiam. Itaque respectu motionis, qua intellectus movetur ad se ipsum intelligendum, ipsa Angeli essentia est totale principium physicum. Illa quippe motio à nullo alio procedit. Respectu verò intellectionis, qua Angelus se intelligit, essentia illius est comprincipiū partialiter efficiens illam intellectionē simul cum intellectu Angeli. Quia *ab o i ctu, & potentia paritur notitia*: vt docent Philosophi, & Theologi: & satis constat ex dictis in tota hac difficultate: præcipuè recolantur dicta *numero* 3. vbi expressa verba Augustini ad hoc propositum adduximus.

45 Hinc refutata manet sententia Henrici *quodlib.* 5. *quæst.* 14. *circa finem sub lit.* V. dicentis, Angelum indigere habitu scientiali (de quo aliquid libavimus *num.* 14.) non solùm ad cognoscendum alia obiecta; sed etiam ad se ipsum cognoscendum. Hæc sunt verba Henrici transcripta à Suarez *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. *Dico, quòd Angelus non intelligit res alias à se per essentiam suam: & quod plus est, neque essentiam suam propriam, vt iam dicetur, sed solùm per aliquid additum suæ essentiæ re differens ab illa.* Quòd autem per hoc additum essentiæ Angeli intelligat Henricus habitum scientialem, est apertū: ipse enim hunc ponit loco specierum. Vnde constat, immeritò dixisse Vazquez *disp.* 204. *c.* 2. *num.* 6. Scotum falsò imposuisse Henrico, affirmasse Angelū egere habitu scientiali ad se ipsum cognoscendum: quia Henricus (solùm dixit, inquit Vazq.) necessarium esse habitum ad intelligenda alia obiecta; non autem ad se ipsum. Sed quòd deceptus fuerit Vazq. ipsamet verba Hērici apertè declarant.

46 Manet etiam refutata sententia, quæ affirmat, substantiā, seu essentiam Angeli esse quidem per se intelligibilem ab intelle-

tellectu Angelico sine aliqua specie sui. Addit tamen, quòd substantia Angeli non movet efficienter ad eliciendum visionē sui; sed quod intellectus Angeli suaptè natura est sufficienter potens in actu primo constitutus ad eliciendum intellectionem suæ substantiæ: ipsa vero substantia Angeli ex se est sufficienter intelligibilis, & præsens, vt terminet actum intellectionis. Quæ sententia communiter tribuitur Caietano *q. 56. art. 1.* etsi à Vazquez numero præcedenti citato excusetur. Sed, quidquid sit de mente Caietani, sententia ista falsa est, & ex dictis refutata manet. Cùm enim *ab obiecto, & potentia pariatur notitia*; tam obiectū cognitum, (quod in præsenti est substantia Angeli) quàm intellectus cognoscens debent partialiter concurrere ad intellectionem cuiuscumque obiecti.

47 Insuper refutata manet sententia, quæ affirmat, Angelum ad se ipsum intelligendum ideo non indigere specie, quia sua substantia est ipsi realiter, aut naturaliter vnita; quod si naturaliter ipsi intellectui non esset vnita, egeret specie ad se ipsam intelligendum. Quia (inquit hæc sententia) species ideo ponitur loco obiecti in potentia cognoscenti, vt coniuncta cum facultate ipsa constituat vnum integrum principium eliciendæ intellectionis, obiectum enim, & potentia pariant notitiam: cùmque obiectum secundùm se coniungi non possit facultati; ordine naturæ provisum est, vt species in locum obiecti substituatur. Quare, quādo obiectum realiter, seu naturaliter coniunctum est cum intellectu, frustra esset species; sed ipsum obiectū per se ipsum potest esse principium cognitionis: ergo cùm essentia Angeli sit naturaliter cōiuncta cum eius intellectu, nulla superaddita specie erit principium suæ intellectionis, seu intelligendi se ipsum. Hæc est sententia *Caietani, & Ferraræ*, iudicio Vazquez ibi *numero* 8. ipsamque docuerant *Ægidius, & Capreolus ab ipso citati*. Sed cuiuscumque sit, falso nititur fundamento. Cùm enim tam obiectum per se ipsum immediatè, quàm eius species concurrant ad movendum intellectum; nec non ad partialiter producendū intellectionem in genere causæ efficientis: vtrique accidit, quòd realiter, aut naturaliter coniungatur cum intellectu. Et ideo eo ipso, quòd obiectum realiter sit præsens, debitè approximatū intellectui, & ipsi sit proportionatum, efficiet quidquid est necessarium ad producendū intellectionem. Recolātur, quæ diximus à *num. 32.*

48 Sed contra cōclusionē *n. 43.* positam (nempe quòd Angelus cognoscit se per suā essentiā) obij-

obiicit sibi Scot. *in 2. dist. 3. q. 8. in principio quaestionis*; anima de se est actu intelligibilis, & sibi praesens non minùs quàm essentia Angeli est actu intelligibilis, & sibi praesens: sed anima non se intelligit per se ipsam: ergo neque Angelus per suam essentiam. Minor patet experientia: spiritualia enim cognoscimus instar corporalium. Propter quod dicebat Philosophus 3. *de Anima textu* 8. *&* 15. *quòd anima intelligit se, sicut alia*. Respondetur ex Scoto § *Ad argumenta ab eodem versiculo*. Distinguendo minorem: est enim vera de anima pro hoc statu, in quo solùm cognoscit res spirituales ad modum sensibilium non autem in se ipsis. (sive hoc proveniat à natura status, sive sit poena peccati originalis) Falsa autem est minor de anima, in quocumque statu: saltem enim in statu separationis (quidquid sit de anima coniuncta cũ corpore glorioso) anima cognoscit spiritualia in se ipsis: & consequenter ad cognoscendũ se ipsam intuitivè non indigebit specie; sed ipsamet movebit suum intellectum: & cum illo coefficiet intellectionem sui. Vnde patet ad probationem minoris: quae solùm procedit de anima pro hoc statu.

49 Obiicitur secundò; essentia Angeli est singularis: sed singulare non est per se intelligibile, nec per se ratio intelligendi: ergo essentia Angeli non potest per se ipsam intelligi. Minor constat experientia duorum singularium omnino similium; (ovorum v. g.) inter quae solùm distinguimus ratione loci, aut alterius accidentis: cuius non est alia ratio; nisi quia non cognoscimus eorum singularitates in se ipsis. Respondetur sicut ad praecedens: ratione enim huius status non cognoscimus singularitates in se ipsis. Quare anima separata illas in se ipsis cognoscit: & à fortiori Angelus.

50 Obiicitur tertiò: receptivum debet denudari à natura recepti: sed Angelus non potest denudari à sua essentia: ergo hanc non potest per se ipsam intelligere. Maior constat *ex 2. de Anima textu* 71. *&* 121. verbis illis: *oportet, oculum esse extra omnem colorem adhoc; vt omnem colorem possit videre*. Item *ex 3. de Anima tex.* 4. vbi vult Philosophus, quòd intellectus est immixtus, & immaterialis adhoc, vt omnia possit intelligere. Respondetur ex Scoto ibi §. *Ad argumenta vers. Ad tertium*. distinguendo maiorem: solùm quippe est vera de potentijs sensitivis. Cùm enim potentia sensitiva sit organica; & potẽtia organica percipiat suum obiectum iuxta dispositionem sui organi, debet organum talis potentiae denudari ab omni sensibili talis potentiae: alioqui falletur potentia, & omnia particula-

cularia sensibilia sentiet iuxta dispositionem organi, seu tamquam si essent illud sensibile, quod est in organo. Exemplo rem declaro. Si in organo potẽtiæ visivæ esset color viridis, quodcumque obiectum visibile cuiuscumque esset coloris, videret sub colore viridi. Quod suadet experientia vitri viridis v.g. positi ante oculos: omnia quippe, quæ medio illo videmus, viridi coloris apparent. Hinc constat, quare maior illa sit vera de potentijs organicis. Idque intendit Aristoteles citatus. Prædicta autem maior non est vera de potentijs, non organicis; quia in eis non sequitur illud incommodum: & cõsequẽter intellectus Angeli (nec non & hominis in statu separationis) potest se ipsum absque aliqua specie intelligere. Aliàs si intellectus, vt intelligeret, deberet denudari à suo receptibili, deberet esse non ens, (instat Scotus) vt intelligeret omne ens. Sicut est, & debet esse immixtus, & immaterialis, vt possit percipere omne ens: si enim esset materialis, solùm perciperet materialia, vel instar materialiũ. Vnde patet solutio ad locũ adductum *ex 3. de Anima.*

51 Obijcitur quartò: nihil patitur a se ipso: sed essentia Angeli identificatur cum suo intellectu: ergo ipsa immediatè non producit intellectionem. Consequentia est legitima: minor certa in sententia Scoti; in qua passiones sunt idem realiter cũ essentia. Maiorem docet Aristoteles 1. *de Generatione textu* 48. Et insuper probatur ex eo, quòd ex opposito sequeretur, quòd idem simul esset in actu, & in potẽtia. Respondetur ex Scoto *in* 1. *dist.* 3. *q.* 7. §. *Ad argumenta pro secunda â vers. Cùm probatur* distinguendo maiorem: (quæ aliàs est absolutè vera de actione corruptiva) solùm enim est vera de agente vnivocè; non autem de agente æquivocè. Cùm enim agens vnivocè habeat formaliter in se formam, quam intendit producere in passo; si in se ageret, sequeretur, quòd simul esset in actu formali, & quòd careret illo actu formali; quia, quatenus patiens, caret illa forma, seu est in potentia ad illam recipiendam. Agens autem æquivocè nõ habet formaliter, sed solũ virtualiter, seu in potentia illã formam, quã intendit inducere in passum. Et sic nullum est inconveniens, quòd agat in se ipsum, seu quòd sit in potentia ad recipiendum illam formam. Tunc enim solũ sequitur, quòd idem, quatenus agẽs, actu habeat virtutem producendi aliquam formam; & quatenus passum habeat potentiam ad recipiendum, non illam virtutem, sed formam productam per illam virtutem, seu facultatem. Hac ratione homo si-

mul habet potentiā ridendi, seu actualiter habet virtutem ridēdi; & habet potentiam subiectivam ad recipiendum ipsummet actum ridendi. Vnde patet ad probationem maioris.

52 Respōd. secundò negando maiorem. Ad probationem dicimus, tàm Philosophum, quàm illam rationē convincere sanè, nihil posse simul esse in actu existentiæ seu extra causas, & in potentia obiectiva, seu in statu possibilitatis. Posse tamen simul esse actu existens, & in potentia subiectiva, suadent multæ instātiæ: Angelus quippe existit actu, seu est in actu, & simul est in potentia subiectiva ad recipiendū suos actus intellectus, volūtatis, &c. Eadem instantia fit de anima, & in multis alijs. Potest ergo Angelus moveri à sua essentia, etiam si sit à se ipso indistincta.

53 Obijcitur quintò: Angelus cognoscit se per suam essentiā? Ergo intellectio, qua Angelus cognoscit suam essentiam, identificatur cum sua essentia. Consequens autem est falsum, quia hoc est proprium solius Dei; cuius intellectio est idem cum essentia. Consequētia autem probatur sic: mediū inter extrema magis appropinquat vtrique extremo, quam ipsa extrema inter se. Sed intellectio, qua Angelus se ipsum intelligit, est medium inter Angelum, & eius essentiā, seu obiectum huiuscognitionis: ergo magis debet appropinquare ipsi Angelo, necnon, & eius essentiæ, quàm Angelus appropinquat, seu identificatur cum sua essentia: ergo, cùm essentia Angeli identificetur cum ipso; cognitio, qua se ipsum intelligit, debet magis identificari, tā cum Angelo, quàm cum ipsius essentia. Confirmatur: quia intellectio non habet distinctionem nisi ab obiecto, & potentia. Sed Angelus, aut eius potentia non distinguitur ab essentia Angeli: ergo, quando ista est obiectum, intellectio non distinguitur ab illa, neque ab eius intellectu. Respondetur ex Scoto *in 2. d. 3. q. 8. §. Ad argumenta principalia vers. Ad vltimum* negando consequentiam, (quam concedit Durand. *in 2. dist. 3. q. 5. n. 5.*) Ad probationem distinguo maiorem: solùm enim est vera de medio, quod propriè (ex natura rei vocat Scotus) est tale: vt color viridis inter album, & nigrū; indivisibile inter partes; spatiū inter duo locata; &c. Est autem falsa de medio impropriè sumpto, & quod solùm dicitur tale, eo quòd suum esse participat ab vtroque scilicet ab obiecto, & potentia. Qua ratione cognitio dicitur mediū inter obiectū motivū, & potentiam. Hinc distinguenda est minor: intellectio quippe, qua Angelus se ipsum cognoscit, est mediū nō propriū, sed impropriū: & ideo negatur vtraq; cōsequētia.

54 Ad confirmationẽ distinguenda est maior: solùm enim est vera de distinctivis extrinsecis: (omitto, quòd etiã hoc modo potest distingui aliunde, nẽpe à modo attingendi obiectũ) intrinsecè enim distinguitur ab obiecto, & potentia, necnon à quacumque alia re per se ipsam formaliter, seu per sua prædicata quidditativa. Cùm ergo intellectio, qua Angel⁹ se ipsum cognoscit, habeat prædicata quidditativa adhuc prædicamentaliter distincta à prædicatis sui ipsius: (Angelus enim spectat ad prædicamentum substantiæ: intellectio verò ad qualitatis iuxta dicta *dif ficultate præcedenti, num. 4.*) necessariò debet distingui quidditativè, immo & realiter ab Angelo, & ab eius essentia.

DVBIVM IIII.

55 Petes quartò, vtrùm Angelus possit intuitivè cognoscere sensibilia? Respondetur negativè cum Piloso *tom. 1. disp. 19. art. 3. n. 5.* Et ratio est, quòd cognitio intuitiva fieri nequit media specie. Sed sensibilia necessariò cognoscuntur ab Angelo (& generaliter à quocumque intellectu creato) medijs speciebus elaboratis ab intellectu agente: ergò cognitio, qua Angelus cognoscit sensibile, aut materiale nequit esse intuitiva. Maiorem probant dicta *à n. 19.* vnde cõstat, quòd ad intuitionem debet concurrere obiectum immediatè per se ipsum: præcipuè videãtur authoritates Scoti adductæ *n. 24.* affirmantis, cognitionẽ intuitivam non posse fieri per speciem, quia hæc repræsentat obiectum sive existat, sive nõ existat, sive sit præsens, sive non sit præsens. Minor autem probatur ex eo, quòd sensibilia non sunt proximè, & actu intelligibilia, quoadvsque proportionẽtur cũ intellectu, qui est potentia purè spiritualis. & ideo ministerio intellectus agentis (quem esse in Angelo suppono *ex c. 2. diffic. 6. à num. 6.*) formatur species intelligibilis deserviens ad intellectionem rei sensibili, quam Angelus intellecturus est.

56 Sed Lichetus, Tartaretus, Viger. & fere omnes Scotistæ (teste Piloso ibi n. 6) oppositum defendunt, & obijciunt Scot. *in 1. d. 3. q. 6. §. Ad rationes vers. Quod additur*, vbi dicit: *intelligens, quod quid est relucens in specie intelligibili, videt illud in suo singulari viso per virtutẽ phantasticam in phantasmate*: ergo docet Scot⁹, quòd singulare sensibile per se ipsũ movet intelligẽtẽ. Resp negãdo cõsequẽtiã: apertè enim cõcedit speciẽ non solũ phãtasticã de illo singulari, sed etiã intelligibilem: & consequẽter cognitio illius singularis sensibilis nequit esse intuitiva: quia ista nequit fieri per speciẽ: vt constat ex dictis. Itaque non docet Scotus, intellectũ immediatè videre singulare sensibile

in se ipso, tamquam in ratione obiectiva, seu ab ipso moveri immediatè: ibi enim *vers. Quòd arguitur* apertè docet, quòd *sensibilia non sunt nata in se esse præsentia intellectui sub ratione actu intelligibilium; sed tantùm in specie intelligibili possunt sic esse præsentia; & hoc quantum ad intellectionem abstractivam.* Quare solùm docet, intelligentem videre intuitivè singulare, non per intellectum, sed per aliam virtutem inferiorem, scilicet per virtutem visivam, quæ sola intuetur visibile, seu tale sensibile. Cùm enim pro hoc statu nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu; omne, quod intelligimus, priùs sensatum fuit non solùm à phātasia, sed etiam ab aliquo sensu exteriori. Propter quam connexionem intellectus cum sensibus pro hoc statu, verum est, quòd intelligens videt id, quod potentia visiva v.g. sentit.

57 Obijciunt secundò eumdē Scot. *in 2. dist. 3. q. 11. §. Respōdeo versic. Tertio dico* vbi docet; quòd etiàm si Angelus *haberet concreatam sibi notitiam singularis, & notitiā existentiæ contingentis; tamen cognitionē intuitivā singularium necessariò recipit à rebus*: ergo sentit, quòd singulare sensibile immediatè movet ad cognitionem intuitivam Angeli. Respondetur negando consequentiā. Cùm enim Scotus ibi nō determinet de quo singulari loquatur, explicandus est de singulari spirituali: sensibile quippè singulare non est immediatè intelligibile secundū Scotum: vt constat ex verbis ipsius numero præcedenti citatis.

58 Obijciūt tertiò eumdem Scotum ibidē §. *Ad rationes vers. Ad aliud dico*, vbi docet, quòd *corporale potest agere in spiritum, vt causa partialis, & minùs principalis: intellectu enim Angeli agente, vt causa magis principali, potest corporale causare notitiam illam*, nempe cognitionē rei sēsibilis: ergo sentit quòd sensibile etsi nō totaliter, aut tāquā principale agens, partialiter tamen, & tāquā causa minùs principalis producit in intellectu Angeli notitiam intuitivam. Resp. negando cōsequentiam: loquitur enim de productione speciei Intelligibilis; ad cuius generationem concurrit simul cū intellectu agēte ipsūmet sensibile, (abstineo determinare, an concurrat efficienter? An tāquam causa exēplaris, aut materialis?) si sermo sit de Angelo, necnon & de anima separata; aut eius phātasma, si loquamur de intellectu nostro pro hoc statu.

59 Obijciūt quartò eūdē Scotū *in 4. d. 45. q. 3. §. & vers. Dico ergo* vbi docet; quòd intellect⁹ *etiā intuitivè cognoscit illa, quæ sensus cognoscit*. Et infra *vers. Sic ergo* cū docuisset, quòd aliqua recordatio ratione obiecti proximi potest competere intellectui, & etiam sensui; subijcit: *vtpotè si intellectus in-*

intuitivè intellexit, me videre album, posteà intellectus recordatur me vidisse album: sentit ergo intellectum cognoscere intuitivè sensibilia. Respondetur cum Filoso *tom.* 1. *disp.* 19. *art.* 4. *num.* 9. solùm velle, quòd intellectus intuetur sensibilia, non immediatè per actum suum, sed per actuum sensus externi; vt *num.* 56 latiùs dicebamus. Respondetur secũdò, Scotum ibi solùm intendere in homine esse memoriam intellectivam distinctam à sensitiva. Quod vt concludat, probat, intuitivè cognoscere intellectum; (sicut, & sensum) eo quòd iste modus cognoscendi conceditur potentiæ cognoscitivæ inferiori, nempe sensitivæ. Non tamen vult, quòd ista memoria intellectiva sit de sensibilibus intuitivè cognitis ab intellectu. Cùm enim debeant cognosci media specie intelligibili, abstractivè tantùm possunt ab intellectu cognosci: vt constat ex dictis *num.* 55. Nec Scoti intentum erat statuere, quòd intellectus cognoscebat sensibilia immediatè & in se ipsis; (oppositum enim expressè docuerat locis *numero.* 55. citatis) Sed quòd cognoscit intuitivè singularia: sicut illa cognoscit potentia sensitiva. Quare verba in contrarium adducta sic sunt intelligenda, quod sicut sensus cognoscit intuitivè obiecta sensibilia singularia: ita intellectus cognoscit, non solùm vniversalia, (abstractivè, vel intuitivè iuxta diversas propositiones, & motiones) sed etiam cognoscit intuitive obiecta intelligibilia singularia, quando per se ipsa movent immediatè.

60 Ratione demum sic argumentantur: sensibila sunt entia: ergo continentur sub obiecto adæquato intellectus, quod est ens: ergo sunt intelligibilia. Respondetur distinguendo cõsequens: verum quippe est de continentia remota: & falsum de proxima: cùm enim obiectum adæquatum intellectus creati sit solùm ens actu intelligibile: & sensibilia solùm sint intelligibilia in potentia; (quatenus ministerio intellectus agentis possunt repræsentari in specie intelligibili) solùm remotè continentur sub obiecto motivo intellectus: & consequenter nullo modo possunt ab illo cognosci intuitivè: cùm necessariò debeant cognosci media specie.

DVBIVM V.

61 PEtes quintò, an Angelus accipiat à rebus species? An illas habeat à Deo infusas? Dico primò: Angelus in sua creatione, seu in primo instanti sui esse accepit à Deo species infusas repræsentativas naturarum commu-

nium. Quia de Luzifero dicitur Ezech. 28. *Tu Cherub plenus sapientia, & perfectus decore in vijs tuis à diebus conditionis tuæ.* Sed de omnibus alijs Angelis est eadem ratio congruentiæ, nempè quòd congruit perfectioni Angelicæ naturæ, vt non expectaverit acquirere species ab omnibus rebus: vt posset statim intelligere hanc, vel illam naturam. In hanc conclusionem conspirant Scholastici.

62 Dico secundò: Angelus accipit à rebus singularibus species repræsentativas singularitatum. Quia Angelus cognoscit singularia: sed non per species sibi inditas à principio suæ conditionis: (aliàs haberet infinitas: tot enim sunt individua possibilia cuiuscumque naturæ) neque per speciem naturæ communis: ergo per species, quas acquirit à rebus singularibus. Probatur minor: natura quippè communis non cōtinet totam entitatem singularis: ergo species naturæ communis nequit repræsentare singularitates. Secūndo probatur, quia, si Angelus habet species omnium singularium, & omnium illorum conditionum, naturaliter cognoscet futura contingentia, v.g. quòd Petrus cras curret. Hanc secundam conclusionem expressè defendit Scotus *in 2. distinct. 3. q. 11. §. & vers. Respondeo, Fabre disput. 27. cap. 4. à num. 25. Pilosus tomo de Angelis disput. 12. art. 5. num. 4. & communissimè Scotistæ, & multi alij, præsertim Alensis, Ricardus, Marsilius, Maior, & Bassolis quos citant, præsertim Vazq. 201. cap. 1. n 1.*

62 Sed Angelum nullas species accipere à rebus, sed omnes illas recepisse à principio suæ conditionis defendunt D. *Tho. q. 55. art. 2. & communiter* Thomistæ: *& ex alijs D. Bonav.* Albertus *Maginus, Ægidius, Henricus, & alij, quos citat, & sequitur Vazquez ibi n.* 4. Pro qua sententia obijcit Scotus in principio illius quæstionis vndecimæ; quòd *omnis intelligentia est plena formis* ex nona propositione auctoris de causis: ergo nullam speciem accipit à rebus: aliâs non esset plenus. Respondet Scotus ibi §. *& vers.* Ad *rationes*, quòd Angelus, seu intelligentia *plena est formis*, seu speciebus *vniversalibus; non tamen singularium.*

63 Obijcit secundò D. August. 12. *de Genesi ad litteram capit. 28. & 29.* dicentem quòd *agens est præstantius patiente*: ergo saltem à rebus corporeis nequit Angelus accipere species singulariū. Patet consequentia: quia corpus est minùs perfectum, quàm spiritus. Respondetur ex Scoto ibi *vers. Ad aliud dico* distinguendo consequens: est enim verū, quòd corporale nequit producere illam speciem totaliter, seu tanquam causa totalis illius: & hoc

hoc vult Augustinus. Falsum tamen est, non posse simul cum intellectu agente Angeli, vel animæ separatæ concurrere ad producendum speciem intelligibilem sui in Angelo vel anima.

64 Obijcit tertiò Dionysium *cap. 7. Angelicæ Hierarchiæ* dicentem, quòd Angeli *non congregant divinas illuminationes, vel notitiam divinam ex rebus sensibilibus*: ergo nullas species accipiunt à rebus singularibus, saltem sensibilibus. Respondetur ex Scoto ibi *versic. Ad Dionysium*: negando consequentiam: ibi enim solùm negatur, Angelum recipere à rebus sensibilibus illuminationes, seu notitiam divinam: cum quo benè stat, quòd recipiat species intelligibiles, seu notitias ipsarum singularitatum.

65 Obijcit quartò, quòd Angelus est medius inter Deum, & hominem, vel animã. Sed Deus non intelligit per species: anima autem intelligit per species receptas à rebus sensibilibus, & intelligibilibus. Igitur Angelus medio modo intelligit, scilicet per species non acceptas à rebus; sed sibi concreatas. Patet consequẽtia; quia iste modus arguendi habetur ex Philosopho 1. *de Generatione text.* 8. & ex Ricardo 1. *de Trinitate*. Respondetur ex Scoto ibi *vers. Vltimo* admisso toto Angelus enim differt ab anima (quoad præsens attinet) per hoc, quòd non accipit à rebus cognitiones, seu species rerũ vniversalium: convenit tamen cũ illa in hoc; quòd à rebus singularibus recipit species singularitatũ.

66 Ex quibus infero, quòd si Angelo in principio suæ creationis non fuissent congenitæ species rerum vniversalium, illas posset acquirere; sicut illas acquirit anima separata; & nos multas acquirimus. Patet: si enim loquamur de obiectis spiritualibus nulla est difficultas inter auctores, qui admittunt species impressas, seu intelligibiles in Angelis: de quo à *numero 3. huius difficultatis*. Si autem loquamur de obiectis materialibus, & sensibilibus, illorum species vniversales poterat Angelus sibi comparare ministerio intellectus agentis; sicut constat ex hoc dubio, quòd de facto comparat species intelligibiles singularitatum rerum sensibiliũ.

67 Sed contra hanc illationem obijcies: perfectiones cœlorum (videlicet motus, figura, lumen &c.) taliter fuerunt concreatæ cum illis, vt tamẽ, si illis, à principio non fuissent congenitæ, eas acquirere non possent: ergo à simili, si species vniversalium non fuissent à principio Angelo concreatæ, illas posteà acquirere non posset. Respondetur negando consequentiam: quia cœli non possent propria virtute, aut actione naturali acquirere illas perfectiones

nes: Angelus autem posset acquirere species vniversales: sicut de facto acquirit species singularitatum in nostra sententia; & in quamcumque concedente species posset illas acquirere, si eas non haberet.

DVBIVM VI.

68 Petes sextò, vtrùm species Angelo infussæ fuerint illi connaturales? Respondetur sub distinctione: in aliquo enim sensu dicuntur ei connaturales; & in aliquo non. Pro clariori autem intelligentia dico primò: prædictæ species non sunt Angelo connaturales, tamquam proprietates â sua essentia fluentes. Quia quod dimanat ab aliquo non dicitur illi esse infusum: infusio enim denotat extrinsecam actionem circa subiectum illud, cui aliquid infunditur; sicut dimanatio denotat proprium influxum illius subiecti, à quo aliquid dimanat. Sed prædictæ species dicuntur infusæ Angelo: ergo non dimanant ab illo: ergo non dicuntur ei connaturales, quia ab illo dimanant.

69 Dico secundò: prædictæ species dicuntur Angelo connaturales; eo quòd illius intellectus est naturaliter propensus ad recipiendum illas, tamquam perfectiones sibi naturaliter necessarias ad intelligendum. Probatur à simili: hac enim ratione cōnaturalis dicitur gravi motus deorsum ab extrinseco illi impressus. Dices: ergo gratia iustificans, & alij habitus per se infusi (nempe fides, spes, & charitas) erunt connaturales animæ, vel Angelo. Patet: quia ad illos anima, & Angelus dicunt naturalem propensionem, tamquam ad formas sui perfectivas: immo, & ad beatitudinem in particulari; vt probat Scotus *in 4. distinct. 49. quæst. 10. §. Respondeo. vers. De illo.* Respondetur distinguendo consequens: est enim verum, si solùm attendamus potentiam receptivam: falsum autem, si attendamus etiam potentiam; seu virtutem activam adæquatam. Etsi enim Scotistæ cum Scoto citato cōcedamus, animam (& Angelum) habere naturalem inclinationē passivam ad quamcumque formam, (etiam supernaturalem) quæ ipsam potest perficere: negamus tamen habere naturalem inclinationem activam (adæquatam saltem) ad ipsam: cùm nulla natura creata possit suis viribus naturalibus relicta consequi beatitudinem supernaturalem; (ad quam necessariò concurrunt clara Dei visio, & illius fruitio) immo neque aliquam gratiam ad illam conducentem.

70 Vnde constat discrimē ad propositū: etsi enim gratia sanctificas,

cās, & alij habitus supernaturales, immo & clara Dei visio, atque ipsius fruitio possint dici cō naturales animæ; (& Angelo) sicut Angelo dicuntur naturales species infusæ; eoquòd ad illorum receptionem seu informationem anima habet naturalem inclinationem passivam. Nequeūt tamē ei dici connaturales; (sicut Angelo dicuntur connaturales species infusæ) eòquòd ad illos acquirendos anima (aut Angelus) non habet virtutem activam: sicut habet Angelus (& anima separata) ad acquirendum illas species sibi à principio infusas.

71 Dico tertiò: sine aliquo miraculo, aut nulla facta violentia naturæ Angeli, potuit Deus non infundere Angelo species. Quia ista infusio solùm est Angelo debita debito congruētiæ, nempe propter perfectionem suæ naturæ. Quare absolutè liberè infusæ sunt à Deo. Hæc conclusio est contra Suar. *lib. 2. cap. 7. num. 11*. Dices, quòd Angelus sine speciebus nequit intelligere, saltem obiecta absentia: ergo necessariò illi infundūtur. Respondetur negando cōsequentiam: omnes enim, quæ ei fuerunt infusæ, poterat adquirere: vt constat *ex num. 66*.

72 Ex dictis reijcio Caietanum *1. 2. q. 50. art. 6* dicentē, *species fuisse Angelo congenitas ab auctore naturæ*: per quod intendit, Angelum possidere illas *naturali sequela ad propriam essentiam*: vt ipsemet se explicat *q. 51. art. 1. in fine*. Reijcio etiam Capræolum *in 2. d. 3. q. 2. art. 3. ad argumentum Aureoli contra tretiam conclusionem* dicentem, *quòd sicut noster intellectus fluit ab anima; ita intellectus Angeli speciebus formatus ab Angeli substantia promanat*. Hi ergo dicent consequenter, species esse Angelo connaturales: quia dimanant ab eius essentia, tamquam passio illius. Falluntur tamen; nec contra nostram primam cōclusionem aliquid obijciunt, quod ex dictis non maneat sufficienter solutum.

73 Reijcio etiam Suar. *n. 71.* relatum, qui affirmat, specierū infusionem non potuisse Angelo negari sine violentia, & miraculo: (Fallitur tamen, vt constat *ex prædicto num. 71.*) qui consequenter dicet, specierum infusionem esse Angelo connaturalem eòquòd taliter est ei debita, vt non infusio esset maraculosa, & violenta respectu Angeli. Hoc tamen esse falsum, constat *ex num. 71*. Sed pro Suar. obijcies: illæ species sunt Angelo debitæ: ergo violentum, & miraculosum erit, illas non infundere. Patet cōsequentia: fuit enim miraculosum, & violentum ignem non cremare in furno Babylonis; eòquòd est debitum igni approximato passo dispcsito illud cremare. Respondetur negando

con-

consequentiam. Ad probationem dico, longè aliter esse Angelo debitam specierum infusionem; ac igni cremationem. Angelo enim solùm debito cõgruentiæ debenter species: sicut obiecto pulchro debetur amor, cui si negetur nulla fit violentia. Igni autem debito naturalis exigentiæ debetur concursus Dei ad cremandũ passum debitè dispositum, & approximatum.

DVBIVM. VII.

74 PEtes septimò, an species Angelo in principio suæ creationis infusæ, fuerint eductæ ab illius intellectũ? Respondetur affirmativè. Quia solùm potuerunt produci per creationem, aut per eductionem. Sed creatio est actio minùs vsitata, & ad quam non debemus recurrere nisi necessitate compulsi, seu quando effectus nequit aliter produci: quid quid enim Deus potest operari mediis causis secundis, (etiam materialibus) non operatur per se solus: ergo ad illam non debemus recurrere, si aliàs illæ species possunt educi de potentia subiecti. Sed potuerunt educi: ergo de facto fuerunt eductæ. Minor subsũpta probatur: quia, etsi tales species fuerint infusæ Angelo in primo instanti suæ creationis, ibi tamen est distinguenda duplex actio; alia substantialis, qua scilicet Angelus recipit suum esse à Deo per creationem: & alia accidentalis, qua in postitiori naturæ eductæ fuerunt illæ species à potentia subiecti, scilicet ab ipsiusmet Angeli substantia.

75 Quòd autem sit distinguenda prædicta duplex actio in illo reali instanti creationis Angeli, patet à simili de productione cœlorum: in qua distinguimus actionem creativam, per quam illorum materia habuit esse, ab actione eductiva, qua illorum forma fuit educta de potentia materiæ. Immo ferè idem contingit in quacumque productione substantiali: quando enim ignis v. g. de novo generatur, productio ignis fit in instanti: semel quippe suppositis dispositionibus requisitis ad repellendum formam ligni v. g. quæ dispositiones consumunt tempus, in instanti fit introductio formæ ignis; quæ actio est substantialis terminata ad ponẽdum in rerum natura formam substantialem ignis. Et in eodem instanti reali, in posteriori tamẽ naturæ, ex illo igni educitur calor per aliam actionem, quæ est accidentalis: cùm terminetur ad esse caloris, qui quid accidentale est.

76 Ratio autem tàm paritatis, quàm nostræ doctrinæ (scilicet quòd in instanti creationis An-

Angeli sit distinguenda illa duplex actio, alia creativa Angeli, & alia eductiva specierum ab ipsius Angeli substantia) est, quòd nulla causa ad causandum exposcit prioritatem temporis, sed sufficit naturæ prioritas: solùm enim requirit naturalem præsuppositionem respectu sui effectus. Et ideo in eodem instanti, in quo factus fuit sol, illuminavit: in quo fuit creata materia, ex eius potentia fuit educta forma, &c. ergo in eodem instanti creationis Angeli potuerunt ex illius substantia educi species prædictæ: & cõsequenter de facto fuerunt eductæ, ne cogamur recurrere ad actionem creativam.

77 Dices, prædictas species dici non semel Angelo concreatas: ergo habuerunt esse per creationem. Respondetur negando consequentiam: illo enim modo loquendi solùm volunt significare, prædictas species fuisse Angelo concessas in instanti suæ creationis. Quare verbum *concreo* tunc non sumitur strictè, scilicet pro actione, qua aliquid simul cum alio fit ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subiecto; sed latè nempe pro actione, qua aliquid producitur ex aliquo in eodem instanti, in quo illud aliud creatur. Hac ratione *Genes.* 1. dicitur, quod *In principio creavit Deus cœlum, & terram*: cùm tamen formæ tam cœlorũ, quã terræ eductæ fuerint à materia prima in primo instanti suæ creationis.

DVBIVM VIII.

78 Petes octavò, an vna & eadem species possit plures res repræsentare, seu esse repræsentativa plurium obiectorum? Respondetur negativè. Quia quælibet species est ratio creata, & consequenter limitata ad vnum obiectum repræsentandum: alioquin ea ratione, qua posset plura obiecta repræsentare, posset & infinita, si infinita obiecta darentur: & consequenter in se esset infinita in repræsentando. Simili enim discursu colligimus infinitatem divinæ essentiæ in repræsentando. Probatur secundò: si enim dabilis esset species impressa repræsentativa plurium, posset similiter dari species expressa formaliter repræsentans plura obiecta disparata. Sequela autem est contra experientiam: sæpe enim vnicum cognosco obiectum. Hanc conclusionem defendit *Scotus in 2. d. 3. q. 10. §. Ista oponio à versic. Probo igitur. Bassolis, Maior & Ricard. citati à Vazq. disp. 202. c. 1. n. 1. Idẽ tenet* Rada *contrav. 9. in explanatione opinionis Scoti conclusione 3. Fabro disp. 26. c. 5. n. 31. & multi alij.*

79 Sed dari species repræsentativas plurium obiectorum defendunt *D. Thom. 1. part. quæst. 55. artic. 3. D. Bonav. D. Albertus Magnus, Capreolus. Ægid. Thomas de Ar-*

Argentina, *& Henr.* (quamvis iste loco speciei ponat habitum, qui sit principium cognoscendi omnia) quos citant, & sequuntur *Vazquez ibi cap. 2. num. 3. & Suar. lib. 2. cap. 14. num. 3. & 5.* Et obijciunt: Primò, quòd D. Dionysius *de Angelica Hierarchia cap. 12.* affirmat, Angelos superiores habere scientiam vniversaliorem, quàm inferiores: ergo superiores Angeli habent species vniversaliores in repræsentando : & consequenter datur species, quę, vnica cùm sit, repræsentat plura obiecta. Respondetur ex Scoto *ibi §. & versic. Ad argumenta alterius* negando consequentiam: Dionysius enim ibi solùm vult, superiores Angelos perfectiùs cognoscere obiectum repræsentatū per talem speciem, quæ maior cognitionis perfectio provenit à maiori perfectione Angeli superioris. Ad quod expendit Scotus, quòd Dionysius secundùm aliam translationem dixit, quòd Angeli superiores habent *totalitatem scientiæ, seu scientiam per totalitatem*: & subdit Scotus: *ista autem totalitas est perfectionis, vt limpiditatis, & intensionis* ac si diceret Scotus, Dionysium loqui de vniversalitate intensiva cognitionis Angeli superioris; non autem de vniversalitate extensiua speciei: ista enim non est dabilis.

80 Obijciunt secundò: Deus vnica ratione motiva (nēpe sua essentia) cognoscit omnia: ergo poterit dari vnica species creata, quæ participās repræsentābilitatē essentiæ divinæ, quāvis nō possit repræsentare infinita, eo-quòd creatura est, repræsētet tamē plures. Patet consequentia: quia in hoc nō apparet repugnātia. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, quòd, cùm species ponatur loco obiecti, vt illius vicem gerendo suppleat suum cōcursum necessarium tam ad movēdum intellectum, quàm ad simul cum illo producendum intellectionem, impossibile est, quòd possit plura obiecta disparata repræsentare: sicuti neque obiectū ipsum hoc efficere posset. Prętereà impossibilitas ista (nēpe quòd vnica species plura disparata repræsētare possit) colligitur ex eo quòd est natura finita, & limitata. Item ex eo quòd est repræsentatio vnius determinati obiecti, quod primò, & per se respicit; & quod est finitum, & limitatum; vt suppono. Fallūtur ergo tàm Vazquez *num. 79.* citatus, quàm Caietanus, & alij Thomistæ dicentes, nondum esse ostensam repugnantiam repertam in hoc, quod vna, & eadem species sit repræsentativa plurium obiectorum, etiam disparatorum.

81 Obijciunt tertiò: oculus corporeus per vnam speciem, & per vnam quoque visionem videt simul plura obiecta realiter di-

distinctincta, & disparata : ergo & intellectus poterit per vnicā speciem res disparatas attingere. Antecedēs patet: videt quippe album quantum, quadratum, vel rotundum : immo nequit oculus corporeus videre colorem, quin videat quantitatem: cùm color præscindens à quantitate non sit proximè visibilis. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, obiecta illa non esse disparata: sicut enim à parte rei color est modificatus per quantitatē, rotunditatē, &c. ita movet potētiā visivā; per speciem quidem sui ad cognitionē rei, seu obiecti; per speciem autem quantitatis (quantitas quippe, & quodlibet aliud sensibile commune etiam mittit speciem sui: aliàs non videretur) ad cognitionem, seu visionem cuiusdam modi afficientis, seu modificantis colorem. Hinc constat, etiam in visione albi quanti, rotundi, &c. ponendas esse diversas species impressas, immo & expressas, seu cognitiones: etsi verum sit, quòd propter subordinationem vnius ad aliā possit dici vna visio; eo quòd omnes ordinantur ad vnam integram visionem.

82 Obijciunt quartò: intellectus, vnicus cùm sit plura intelligit, seu est principium intelligendi plura: ergo etiam poterit dari vnica species impressa, quæ sit principium intelligendi plura. Idem argumentum fit de lumine gloriæ respectu visionis diuinæ essentiæ, & obiectorum, quæ medio illo lumine vidētur. Idem etiam argumentum fit de luce, seu lumine corporeo; quod est vnicum & tamen per illud videntur multa obiecta. Respōdetur negando consequentiam: intellectus enim est principium generale, seu indeterminatum (idem dico de lumine gloriæ, & naturali: quippe se tenet ex parte potentiæ) ad quolibet obiectum: species autem gerit vicē obiecti: quare sicut determinatum obiectum, homo v. g. non potest repræsentare leonem, aut aliud distinctum à se; ita neque species.

83 Ex dictis à *num.* 77. constat resolutio illi[9] quæstionis, an Angeli superiores intelligant per pauciores species? Cùm enim nulla species impressa sit repræsentativa plurium; tot species sunt ponendæ in Angelo superiori, quot obiecta intelligit In quo nulla erit differentia inter superiores, & inferiores Angelos; benè tamen quantum ad perfectionem cognoscendi: vt *num.* 76. dicebamus. Dices, quòd perspicax intellectus humanus plures veritates intelligit, audita vna veritate: ergo Angelus superior plures res cognoscet per eandem speciem. Respondetur, ex Scoto ibi *versic. Et per hoc* negando consequentiam: solùm enim

enim infertur, quòd perfectior intellectus perfectiùs cognoscit obiectum, cuius cognoscibilitas virtualiter continetur in illa specie. Insuper plures veritates cognoscet per compositionem, & discursum illius obiecti collati cum alijs. Ex his autem *non post conclud, quòd per pauciores rationes*, seu species, *intelliga*: (resolvit Scotus) & consequenter non potest concludi, quòd Angeli superiores intelligant per pauciores species, quàm inferiores.

DVBIVM IX.

84 Petes nonò, an Angelo viatori data fuerit species repræsentativa divinæ essentiæ? Respondetur affirmative. Claritatis tamen gratia dico primo: dabilis est species impressa quidditativè, & essentialiter repræsentativa divinitatis. Quia in hoc non apparet aliqua repugnantia. Secundò quia datur species expressa, qua Beatus videt divinam essentiam: ergo dari etiam poterit species impressa quiditativè repræsentans divinam essentiam non solùm in Beato, sed etiam in viatoribus. Hanc conclusionem loquendo de specie impressa repræsentativa divinitatis in patria, seu instatu beatitudinis defendunt *Suar. Vazq. Molin., Ægidius, & Henric, quos citat, & sequitur noster Felix tractatu de Visione cap. 4. diff. 2. num. 3.* Loquẽdo autem de visionibus, & consequenter de specie, per quam abstractivè tantùm, etsi quidditativè, & essentialiter cognosci potest divina essentia, defendunt hanc conclusionem Scotus *in 2. dist. 3. quæst. 9. §. Ad quæstionem, & §. Dico igitur, Ochamus, Gabriel, Aliacensis, Molina, & Bassolis, quos citat, & sequitur prædictus Felix in tractat. de Trinitate cap. 2. diff. 3. n. 3. Quibus adde Pilosum disp. 12. art. 13. n. 3. & Fabrum disp. 25. c. 3. n. 19. estque indubitata inter Scotistas.*

85 Dico secundò: de facto data fuit Angelo viatori species repræsentativa divinitatis. *Ita Scotus nuper citatus §. illo Dico igitur, & Scotistæ.* Et ratio est, quòd hoc est possibile, & congruit perfectioni naturæ Angelicæ.

86 Sed impossibilem esse speciem repræsentativam divinæ essentiæ defendunt Thomistæ, præcipuè *Sotus in 4. d. 49. q. 2. art. 3. Caietanus, Zumel, Bannez, Gongalez, Ioannes à Sancto Thoma, nec non & Arrubal, & Granadus citati à prædicto Felix in primo loco num. 2.* Et Obijciunt primò D. Dionysium *de Divinis nominibus c. 1.* dicentem quòd per speciem inferioris ordinis nequit cognosci res ordinis superioris. Sed species impressa est inferioris ordinis respectu Dei: ergo nequit per eam Deus cognosci. Minor est certa: cùm species sit creatura.

Res-

Respondetur distinguendo maiorem: solùm enim est vera de specie, quæ est ordinis inferioris in repræsentando: non autem est vera de specie, quæ est inferioris ordinis in essendo, seu entitativè. Itaque Dionysius solùm vult quòd per speciem repræsentativam accidentis (albedinis v. g.) non potest quidditativè cognosci substantia. Non tamen vult, quod per speciem Dei non possit cognosci Deus: quamvis enim ista species in sua entitate sit creatura, in virtute repræsentandi est Deus: & sic ipsum repræsentat. Sicut species substantiæ, etsi entitativè sit accidens, repræsentativè est substantia: cũ habeat virtutem repræsentandi substantiam.

87 Obijciunt secundò: omnis ratio propria intelligendi aliquod obiectum adæquatur cum illo obiecto. Sed nulla creatura potest adæquari cum Deo: ergo per nullam speciem potest Deus repræsentari. Respondetur ex Scoto *ibi* §. *Dico igitur à versic. Ad rationes* distinguendo maiorẽ: solùm enim est vera de adæquatione in repræsentando; non autem in essendo, seu entitativè. Dices: ergo species impressa divinitatis potest repræsentare quidquid in Deo est repræsentabile: & consequenter poterit repræsentare infinitos gradus (vt sic loquar) perfectionis divinæ. Patet vtraque consequentia: illa enim species adæquatè repræsentat Deum, non solùm extensivè, nempe quantum ad eius essentiam, & omnia illius attributa, sed etiam intensivè, (vt sic loquar) nempe quantum ad infinitudinem Deitatis, sapientiæ, bonitatis divinæ, &c. Respondetur concedendo totum. Itaque illa species est repræsentativa Deitatis, sapientiæ bonitatis divinæ, & cuiuscumque alterius attributi illius, etiam infinitatis.

88 Instabis: ergo inter essentiam divinam, (vt gerit munus speciei impressæ) & prædictam speciem divinitatis non erit discrimen quantum ad hoc, quod est repræsentare posse omne, quod est in Deo. Respondetur distinguendo: obiectivè, seu ex parte obiecti, aut rei repræsentatæ, concedo: ex parte modi repræsentandi, nego. Quamvis enim illa species movere possit ad cognoscendum quidquid est in Deo, & simul possit coefficacere cum intellectu creato actũ, quo omne illud cognoscatur; cùm tamẽ, eo quòd creatura est, nata sit movere potentiam finitam, atq; producere actum finitum; etsi sit repræsentativa obiecti infiniti; hoc tamen habet, & facit modo finito. Essentia verò divina, cũ infinita sit, nata est movere potẽtiã infinitã; & simul cõcurrere ad emanationẽ intellectionis improductæ. & ideo non

non solùm est repræsentativa obiecti infiniti, sed etiam hoc habet, & facit infinito modo.

89 In quo sensu intelligo Scotum ibi dicentem, quod prædicta species est adæquatio repræsentabilitatis Dei, non quidē absolutè, sed secundùm quid: adæquatio enim absoluta solùm reperitur, quando inter repræsentatum, & repręsentans datur omnimoda convenientia taliter, vt si repræsentatum est infinitum, sit etiam infinitudo in repręsentante. Quod non requiritur in adæquatione secundùm quid, sed sufficit, quòd per actum attingatur obiectum, etsi modo imperfecto. Hac ratione species remissa albi v.g. movens potentiam cęcutientem ad visionem imperfectam albi, adæquatur cum albo: cùm verè illud attingat, vt est in se, etsi imfecto modo.

90 Obijciunt tertiò: creata quacumque specie, poterit Deus creare obiectum, quod per talem speciem repręsentetur: sed nequit creari Deus: ergo neque species repræsentativa illius. Maior probatur: species quippe quęcumque est creatura: ergo poterit Deus creare aliam creaturam, quam illa species repræsentet. Secundò à paritate speciei sensibilis, quacumque enim specie sensibili creata, potest creari corpus, quod adæquatè repræsentetur per illam. Respondetur negando maiorē: quia species divinitatis repræsentat actum purum seu Deum, qui sub nullam potentiam productivam cadit. Vnde patet ad primam probationem. Ad secundam dico, disparitatē esse, quòd omne obiectum sensibile est producibile, & destruibile; non verò omne obiectū spirituale: sub obiectum enim spirituale cadit Deus, qui nec producibilis, nec destruibilis est.

91 Obijciunt quartò: omnis species impressa est immaterialior suo obiecto, aut æquè immaterialis cum illo: sed nulla species potest esse æquè immaterialis cum Deo: ergo non est dabilis species impressa Dei. Maior constat in sensibus, qui percipiunt obiecta per species immaterialiores obiectis. Secundò, quia Deus habet infinitam immaterialitatem. Respondetur, distinguendo maiorem: solùm enim est vera de specie repræsentate obiectum materiale: falsa verò de specie repręsentante obiectum immateriale. Cùm enim tunc tam obiectum repræsentatum, quàm species intelligilis ipsum repręsentans sit purè spiritualis; (vt suppono: cū subiectetur in anima, seu in intellectu) nequit obiectum esse immaterialius; si de propria immaterialitate sit sermo.

92 Vnde patet ad primam probationem: fatemur enim, spe-

species sensibiles esse minùs materiales suis obiectis. Cùm obiectum propter suam materialitatem non posit vniri cum potentia sensitiva: benè tamen vnitur species: vnde benè infertur minor materialitas speciei. Hinc tamen non infertur, etiam speciem intelligibilem debere esse magis immaterialem, quàm obiectum: etenim æquè benè posset obiectum vniri cum potentia, non per modum formæ, sed per extrinsecam asistētiam movendo illam, & simul cum ea producendo cognitionem. Addo, quòd nō posse vniri aliquod obiectum spirituale cum anima, aut cum Angelo, vel cum eius intellectu per modum formæ, non provenit ex eo, quod est quid spirituale; actus enim intellectus, & volentatis animæ, & Angeli sine controversia sunt quid speritu ale; & tamen vniuntur cum illis per modum formę. Sed provenit ex eo, quòd tale obiectum est quid subsistens, (vt si obiectum intelligendum sit Deus, aut Angelus, aut ex alio capite.

93 Ad secundam probationem dico, infinitam immaterialitatē Dei excedere quidē finitā immaterialitatem speciei ipsius, non in ratione immaterialitatis, sed in infinitate. Sicut, etsi Deus sit ens infinitum, & creatura sit ens finitum, non infertur, quòd Deus excedat creaturam in entitate, (conceptus enim entis est communis Deo, & creaturæ: & consequenter prædicatū *ens* cōpletè reperitur tàm in creatura, quàm in Deo) sed in infinitate. Et sicut, etsi homo sit animal perfectius quàm leo, non infertur, quòd homo excedat leonem in aliquo prædicato ex pertinentibus ad lineam animalis; sed in rationalitate ipsi adiuncta. Igitur immaterialitas communis, & vnica est Deo, speciei intelligibili, & alijs rebus spiritualibus; quas quidem excedit Deus, non in prædicato immaterialitatis; sed in infinitate illi immaterialitati adiuncta.

94 Obijciunt quintò: quod Deus habet à se, seu de se non potest habere per aliud. Sed Deus de se est intelligibilis, seu ipsemet immediate movet ad sui intellectionē: ergo implicat, hoc habere per speciē. Maior probatur: nam, si substantia de se est operativa, nequit hoc habere per potentias ei superadditas. Et si aliqua potētia de se est facilis ad operādū, frustra in ea ponerētur habitus ad hunc effectum. Insuper, quia Deus de se est omnipotens, implicat habere omnopotentiam à creatura: ergo, quia Deus à se est intelligibilis, implicat; hoc habere à specie impressa. Respondetur, ex his omnibus nihil concludi contra nos: non enim dicimus, Deū per speciem reddi intelligibilē, aut ei accrescere

cere aliquam virtutem ad movendum intellectum creatum: cùm enim Deus hoc habeat à se, seu ex sua natura, nequit illud ab alio emendicare. Cũ quo benè compatitur, quòd media specie impressa possit Deus reducere ad actum illam intelligibilitatem, seu fieri in actu primo intellectus à creatura, sicut per speciem expressam fit in actu secũdo intellectus, seu cognitus ab illa. Et sicut, etsi Deus de se, sit omnipotens, misericors, &c. taliter quòd hæc prædicata nequeat habere ab aliqua creatura: exertitium tamen horum attributorum fit media creatura.

95 Instabis, quòd secundùm communem modum loquendi obiectum fit proximè intelligibile per speciem impressam: ergo Deus à specie impressa redditur proximè intelligibile, seu ab illa emendicat proximam intelligibilitatem. Respondetur, illum modum loquendi esse explicandum: species enim impressa potiùs reddit potentiam proximè intellectivam, quàm obiectum intelligibile. Addo, quòd obiectum dicitur intelligibile, non ex eo, quòd possit movere potentiam; sed ex eo, quod possit terminare actum illius: vt patet in ente rationis; quod etsi nõ possit movere ad cognitionem sui, aut per se ipsum, aut per propriam speciem sui; est tamen intelligibile; eo quòd potest terminare intellectionem.

96 Obijciunt sextò: species impressa solùm ponitur, vt obiectum sit præsens, vel, vt sit proportionatum potẽtiæ. Sed De⁹, seclusa specie, est pręsens, & proportionatus potentiæ: ergo non datur talis species. Probatur minor: quia Deus per immensitatẽ est vbique præsens. Item ex eo, quòd est spiritus, est proportiõnatus potentiæ spirituali. Respõdetur distinguendo ly *præsens* positum tàm in maiori, quàm in minore: Deus enim per attributum immensitatis est præsens vbique præsentia reali, & physica; (vt sic loquamur) non tamen præsentia obiectiva, seu taliter, vt moveat intellectum creatum ad sui cognitionem. Cùm enim Deus sit obiectum volũtarium, etsi præsentia physica sit præsens omnibus intellectibus tàm Beatorum, quàm viatorum, ab illis tantùm videtur, quos voluntariè, seu liberrimè vult movere, vel immediatè per se ipsum; (qualiter movet Beatos) vel media specie impressa sui: qualiter movebat Angelos viatores, nec non & aliquos ex hominibus.

97 Ex qua doctrina possunt solvi aliqua alia argumenta, quę solent fieri contra possibilitatẽ speciei impressæ divinitatis. Vnũ autem tantùm proponam, quod militare videtur contra nostram secundam conclusionem, qua defendimus, de facto fuisse Ange-

gelis infusam speciem divinitatis, dum erant viatores. Igitur obijcitur, quòd, admissa specie impressa Dei, intellectus viatoris prorumperet in visionem beatam: etenim illa species moveret ad quidditativam cognitionem Dei; & aliàs Deus est præsens illi intellectui per attributum immensitatis. Respondetur negando, visionem ex illa specie ortam esse beatam: quia visio veata debet esse intuitiva: intuitiva autem nequit fieri media specie: vt constat *ex dictis à num.* 19. Prætereà ad visionem beatam requiritur lumen glorię distinctum ab ipsa visione; saltem in sententia communiori, quæ affirmat, visionem beatam non infundi à Deo immediatè, sed partialiter fieri ab ipso beato. De quo legatur Felix *tractatu de visione cap.* 5. *difficultate* 1. *à num.* 1.

DIFFICVLTAS III.

De obiectis cognitis ab Angelo.

1 NVlla regula potest dari de obiectis naturalis, aut supernaturalis ordinis, quæ Angelus cognoscit per specialem revelationem: cùm hoc pendeat ex libera Dei voluntate. Quare in præsenti solùm agimus de obiectis, quæ Angelus viribus suæ naturæ, id est, suæ facultatis intellectivæ, potest cognoscere.

2 Et suppono, cognoscere posse, immo & de facto cognoscere saltem successivè omnia, & singula illa obiecta, quæ intra sphæram virtutis cognoscitivæ Angeli continentur; nisi aliàs à Deo aliquod ex his obiectis propter specialem providentiam occultetur. Hac de causa non cognoscit Angelus secreta cordium: vt dicemus *à num.* 17.

3 Ex quo supposito colligitur; Angelum cognoscere omnia tàm spiritualia, quàm sensibilia sibi præsentia: spiritualia, quidem intuitivè, & abstractivè simul propter dicta *dific.* 3. *à num.* 19. sensibilia verò solùm abstractivè propter dicta *à num.* 55. vnde à fortiori infertur cognoscere se ipsum. Cùm nihil sit Angelo magis præsens quàm sua substantia, quiddítas, aut essentia. Recolantur dicta *ibi à num.* 43.

4 Item suppono, Angelum posse cognoscere quodcumque obiectum, cuius speciem impressam habet sivè à Deo infusam, sivè à se ipso acquisitam. Quia eius intellectus per quamcumque speciem impressam cõstituitur sufficiens principiũ eliciẽdi cognitionẽ circa tale obiectũ solũq; desiderari potest voluntaria applicatio intellectus ad cooperandum cũ illa specie. Illa

enim recepta propositio(*Habitibus vtimur, cùm volumus*) accipienda est non solùm de habitibus propriè sumptis; sed etiam de speciebus impressis,(quas Scotus *in 1. dist. 3. q. 6. §. Ad quaestionem versic. Et confirmatur* vocat habitus) & dequocumq; alio, quod in actu primo reperitur in volũtate, necnon & in potentijs illius imperio quoad exercitium subiectis: in his enim militat eadem ratio, ac in habitibus, nempè, quòd sicut ipsæmet potentiæ subiàcent imperio volũtatis, ita subiacent omnia illa, quæ in actu primo, & per modum potentiæ in prædictis potentijs reperiuntur.

5 Dices, contingere non semel, nos non posse recordari alicuius obiecti; cùm volumus: ergo non est vniversaliter verũ, quòd habitibus (etiam sumptis pro speciebus) vtimur, cùm volumus. Resp. hoc cõtingere per accidens; nempè propter indispositionem organi, quo homines indigemus ad excitandum memoriam: quo organo cùm non egeat Angelus, quoties vult recordatur quodcumque obiectum. Insuper & quoties vult de novo intelligere obiectũ, cuius speciem habet, illud intelligit.

6 Ex hoc secundo supposito colligitur Angelũ actualiter habuisse (dũ erat viator) cognitionem quidditativam Dei: quia habuit speciem, Dei quidditativè repræsentativam: vt diximus *difficult. 3. à n. 84.* Qua semel admissa, sine ratione negaretur, Angelum voluisse se ad intelligendum Deum applicare. ¶ Dices: Deus est superioris ordinis: ergo, adhuc posita specie impressa illius, necessarium est, quòd adiuvetur, seu elevetur potentia videntis, vt prorumpat in cognitionem Dei. Respondetur omittendo antecedens indigens explicatione: dicunt enim non pauci, Deum in se non esse obiectum determinatè supernaturale, aut naturale: sed dici super naturale, quando attingitur per actum supernaturalem, seu potentiæ elevatæ per habitum supernaturalem: sicut dicitur obiectum naturale, quando terminat actus potentiæ naturalis, seu non elevatæ. In qua doctrina facilè respondetur distinguendo antecedens: Deus enim in se, & præscindendo ab actibus, quibus attingitur, non est superioris ordinis: sed tùm solùm dicitur obiectum superioris ordinis, cùm attingitur actu superioris ordinis, seu supernaturali: & quando attingitur actu ordinis naturalis, seu ordinis inferioris, dicitur obiectum ordinis inferioris.

7 Sed, quid quid sit de præpicta doctrina, & omisso antecedenti, respondetur distinguendo consequens: solùm enim est verum, egere intellectum creatum lumine su-

ſupernaturali, aut alio elevante, vt attingat Deum proportionatè, ſeu viſione proportionata cū obiecto ſupernaturali. Nullo tamen elevante, aut adiuvante indiget ad attingendum Deum qualitercumque, aut viſione improportionata: ſed, ſemel ſuppoſita motione ſpeciei impreſſæ divinitatis, vel ipſiuſmet Dei moventis immediatè per ſe ipſum, intellectus creatus prorumpet in naturalem cognitionem Dei: vt docet Scotus *in 1. d. 17. q. 2. § Ad argumenta pro opinione verſ: Ad ſecundum.*

8 Hinc à fortiori conſtat, Angelum inferiorem poſſe cognoſcere Angelum quemcumque etiam ſuperioris ordinis: ſi aliàs ſupponamus, habere ſpeciem illius, aut ab ipſo immediatè moveri. Vtrùm autem Angelus ſuperior poſsit ſe occultare, ne cognoſcatur ab inferiori, intra cuius ſphæram exiſtit? dicetur infra.

9 His ſtatutis, reſtant adhuc de obiectis ab Angelis cognoſcibilibus aliqua dubia examinanda.

DVBIVM. I.

10 PEtes primò, an vnus Angelus alterum cōprehēdat? Negant *Vazq. diſp. 205. c. 3. à num. 8. noſter Smiſing de Deo vno diſp. 7. num. 13. Alarcon de Angelis diſp. 3. c. 9. & Hurtado de Mendoca diſp. 10. de Anima ſect. 4.* Oppoſitum autem defendunt *Suar. lib. 2. cap. 31. num. 12. Lorca de Beatitudine diſp. 33. membro 3, & aliqui alij Recentiores.* Sed fortè in hoc parva erit inter ipſos controverſia, ſi diſtinctione vtamur; quam aſsignant aliqui ex prædictis, præcipuè Vazquez, & Suar. *ibi num. 9.* Quare claritatis gratia.

11 Dico primò: nullus Angelus alterum comprehendit. (ſi loquamur de ſpectantibus non ſolùm ad eſſe quidditativum, ſed etiam ad eſſe accidentale Angeli) Quia nullus cognoſcit eius actus liberos, ſeu ſecreta cordium: vt dicam *à num. 17.*

12 Dico ſecundò: quicumque Angelus alterum comprehendit. (ſi ſolùm loquamur de ſpectantibus ad eſſe eſſentiale, aut naturale Angeli) Quia nulla entitas ſpectans ad eſſe ſubſtantiale alicuius Angeli latet alterum: ergo omnes ſe ipſos comprehendunt adinvicem. Patet conſequentia: cognitio enim comprehenſiva tunc reperitur, quando nihil obiecti cogniti latet cognoſcentem.

13 Sed contra primam concluſionem obijcies: ſecreta cordium poteſt cognoſcere Angelus viribus ſui intellectus: quare, ſi illa de facto non cognoſcit, hoc provenit ex ſpeciali-

ciali Dei providentia: vt dicam *à num. 33*. ergo omnes Angeli possunt se invicem comprehendere, etiã quantum ad accidentalia. Respondetur, ita esse: sed non est contra nos, qui non negamus posse se invicem comprehendere; sed solùm dicimus de facto non se comprehendere.

14 Contra secundam conclusionem obijcies: Angelus inferior nequit perfectè attingere per cognitionem omnem perfectionem, seu attingibilitatẽ Angeli superioris: cùm superior perfectione excedat inferiorem: ergo nequit inferior comprehendere superiorem. Respondetur negando consequentiam: non enim obstat ad comprehensionem, quòd cognitio cognoscentis sit minùs perfecta, quam est res cognita, dummodo nihil rei cognitę lateat cognoscentem.

15 Obijcies secundò: potentia obedientialis, quam habet Angelus ad recipiendum actus, & habitus supernaturales: latet quoscumque Angelos: ergo nullus alium comprehendit. Patet consequentia: potentia enim illa se extendit ad supernaturalia, quæ sunt extra sphæram cuiuscumque potentiæ naturaliter cognoscitivæ. Respondetur (omisso, quod nulla est potentia obedientialis distincta à naturali: vt docet Scot. *q. 1. prologi §. & versic. Ad quæstionem*) negando antecedens: quippè potentia est quædam entitas absoluta in re, quamvìs sit relativa *secundùm dici*. Sicut de omnipotentia, visione, & quacũque actione vitali philosophamur Scotistæ. Quare illa virtute cognita, nihil absolutũ, aut relativum *secundùm esse* remanet cognoscendum.

16 Dices, non quietari intellectum cognoscentis, quando cognoscit potentiam aliquam, nisi cognoscat illud, per quod perficitur talis potentia. Sed actus, aut habitus supernaturalis cognosci non potest: ergo Angelus non cognoscit alium cognitione comprehensiva; immo neque quietativa. Respondetur distinguendo maiorem: quamvìs enim sit verum, quòd ad cõprehensivè, immo & quietativè cognoscendum aliquam potentiam requiritur cognoscere formam, per quam est actuanda. Non tamen requiritur, quòd in particulari, seu distinctè cognoscatur illa forma: sed sufficit, quòd cognoscatur confusè, & sub conceptu communi, scilicet perfectivi. Itaque ad hoc, vt intellectus cõprehendat potentiã subiectivam, quam habet Angelus ad recipiendum habitus supernaturales, sufficit, quòd cognoscat habitus illos sub cõceptu cõmuni perfectivi huius potentiæ, seu quatenus illa potẽtia terminatur ad illos, non vt supernaturales sunt, sed vt sunt perfectiones

nes

nes illius. Et ratio huius doctrinæ est, quòd terminus nō est de essentia relativi, sed solùm ordo ad terminū: qui ordo cognoscitur, cognito termino solū quoad: an est· perfectè enim cognosco patrē v. g. si cognoscā, habere filiū, quamvis aliàs non cognoscā eius filium. Quare, adhuc admisso, quod potentia receptiva est relativa *secundū esse*, illam cōprehendet, qui cognoscet, esse receptivā suæ naturalis perfectionis; (id est, ad quam naturaliter inclinatur) quin cognoscat, perfectivū illud esse in sua entitate naturale, aut supernaturale.

DVBIVM II.

17 PEtes secundò, an Angelus proprijs (id est, naturali vi sui intellectus) evidēter cognoscat secreta cordium? Respondetur negativè. Quia ex Scriptura & Patribus cōstat, solùm Deum cognoscere secratas hominum cogitationes, & affectus. (quas, & quos sub nomine secreti cordis comprehēdimus) Vt patet ex illo 2. *Paralipomenō* 6. vbi Salomon Deum sic alloquitur: *Tu exaudies de cœlo, &c. Propitiare, & redde vnicuique secundùm vias suas, quas nosti, cum habere in corde suo. Tu enim solus nōsti corda filiorū hominum. Et Hieremiæ 17. Pravum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Vbi D. Hieronym⁹: *Hinc discimus, quòd nullius cogitationū secreta cognoscit, nisi solus Deus.* Propter quod in hanc conclusionem conspirāt Theologi. (Hervæo, & Durando exceptis) Immo Suar. *lib. 2. c. 21. n. 3.* censet esse de fide.

18 Hinc reijcitur Hervæus *in 2. d. 8. q. 3.* affirmans, (teste *Vazq. disp. 209. c. 1. n. 1.*) vnum Angelum non solùm hominum, sed etiam Angelorum cognoscere cogitationes (sub quo nomine existimo, Hervæum comprehendere non solùm actus intellectus, sed etiam voluntatis) & quoad quid sint? & circa quod obiectū versentur: necnō & an sint per modum fugæ, aut prosequutionis? solùm verò Angelo occultatum esse, & discerni ab eo non posse, circa quod obiectum affectus, aut cogitatio alterius Angeli, aut hominis magis intensè feratur. Huius opinionis meminit Durandus *eadem distinctione q. 5. n. 10.* & quamvis *n. 14.* dicat, se non determinare, an hæc opinio sit verior? an eius opposita? illam tamen improbat quantum ad hoc, quòd supponit, nempe quòd inter formas spirituales nō est distinctio, nisi secundùm intensum, & remissum. Quare ex mente Durandi probabilis videtur sententia, quæ affirmat, Angelum cognoscere absolutè secreta cordium tàm hominum, quàm Angelorum.

16 Sed cū hoc videatur apertè opponi Scripturæ, & Patribus numero 17 relatis, qui absolutè dicunt, solùm Deum

cognoscere secreta cordium: respondet *ibi num. 16. quòd solus Deus novit plenè corda omnium hominum quantum ad omnes cogitationes, & affectiones, non solùm præsentes, & præteritas, sed & futuras : quod nulli creaturæ convenit. Nihil tamen prohibet, Angelum nosse cogitationes, & volitiones præsentes secundùm illos, qui dicunt, quòd non omnes differunt inter se secundùm speciem.* Hanc Durandi solutionem impugnant communiter, præcipuè Vazq. *ibi num. 3.* expendens, quòd Salomon loquitur de cognitionibus, seu de secretis cordium, quæ habet homo, dum orat. Immo Suarez *ibi num.* 4. dicit, quòd *hæc* Durandi *glossa erronea est, & textum destruit.* Ad quod probandum prædicti Vazq. & Suar. adducunt alia Scripturæ, & Patrum testimonia apud illos videnda.

20 Ego tamen existimo, immeritò Suarez nota erroris hanc sententiam inurere : multòque minori fundamento dixisse *ibidē num. 3.* de fide esse, non cognoscere Angelum secreta cordium. Etsi enim Scriptura apertè dicat, solùm Deum cognoscere illa: tamen, cùm Catholici aliqui Authores dicant, loqui Scripturam non solùm de præteritis, & præsentibus, sed etiam de futuris: item cùm hoc esse contra mentē Scripturæ, non possit evidenter ostendi : iniustè damnatur, tanque erronea, opposita sententia; aut dicitur esse de fide certum, quòd Angelus non cognoscit secreta cordium, si sermo solùm sit de præsentibus, aut præteritis. Adde, minùs cautè damnari ab aliquo autore sentētiam Catholicorum, quam ab antiquis diebus Romana tolerat Ecclesia.

21 Multò magis displicet Suarez, longèque incautiùs procedit, si intendat id, quod eius verba sonant. Sic enim loquitur *numero illo 3. Assertio Catholica est, Angelum non posse naturaliter actum, seu consensum liberum voluntatis creatæ in se certò, & evidenter cognoscere, vel interiori, nisi ab habente talem liberum affectum alteri manifestetur. Quam assertionem ita indistinctè sumptam censeo esse de fide : licet in modo explicandi possit fortasse aliqua opinionum dissensio intervenire, vel permitti.* Hucusque Suarez. Sed bonus sanè dormitavit Homerus: est enim sententia Scoti, & aliorum, (quos refert Vazq. *disp. 209. cap. 2. n. 6.* & de quo latè agemus *à num. 30.*) posse Angelum suaptè natura cognoscere secreta cordium tam hominum, quàm Angelorum, si permittatur uti sua vi intellectiva.

22 Igitur concludendum est, nostram conclusionem *num.* 17. positā certā esse de fide, atq; adeò in eam conspirare omnes Catholicos, si extēdatur ad secreta cordiū etiā futura. Hæc enim naturali virtute cognoscere, aut pos-

posse cognoscere, est proprium solius Dei. Si tamē prædicta cōclusio restringatur ad secreta cordium præsentia, & præterita, non est de fide, neque opposita sententia est erronea propter dicta *numero*. 20. & 21. Immo, si solùm loquamur de naturali virtute Angelica, probabiliùs nobis est, posse Angelū suapté natura cognoscere secreta cordiū tam præsentia, quàm præterita, vt dicemus *à num*. 30.

22 Dices, non solùm docere Scotum, posse Angelum bonum cognoscere secreta cordium, si ei permittatur à Deo vti naturali vi suæ potentiæ cognoscitivæ; sed etiam, quòd de facto illa cognoscit, seu hoc est illi permissum: vt docent aliqui. Et ideo Pilosus *disp*. 11. *art*. 5. *n*. 1. dicit, nō esse alienū à sentētia Scoti, affirmare, de facto Sāctos Angelos naturali virtute secreta cordis nostri perfectè scire: cùm doceat *in* 4. *dist*. 10. *q*. 8. §. *Ad argumenta vers. Ad tertium* quòd, si malo Angelo permittatur vti sua potentia cogcoscitiva naturali, potest intelligere omne intelligibile causatum: & consequēter secreta cordium, ex quo posita sunt in effectu, seu in actuali existētia. Cùm ergo Scotus ibi solùm de malis Angelis loquatur, videtur affirmare, bonis Angelis esse permissum vti sua naturali potentia cognoscitiva: & consequenter de facto cognoscere secreta cordium, tàm hominum, quàm Angelorum. (si aliàs sint in debita distantia) Quia omnia ista sunt entia ab Angelo intelligibilia. Et hanc esse sententiam Scoti satis insinuat noster Fabro *disp*. 37. *c*. 3. *num*. 13.

24 Ego autem hoc non credo. Cùm enim Scotus possit sufficienter explicari de potentia naturali, seu de posse cognoscere secreta cordium, nescio, cur velimus dicere esse oppositum communissimæ Theologorum sententiæ; pro qua extant tam expressa Scripturæ, & Patrum testimonia. Nec vrget id, quod nuper expendebatur: Scotus enim restringit quidem sermonem ad malos Angelos, nō quia existimet, inter bonos, & malos esse aliquod discrimen quantū ad hoc, quod est actualiter cognoscere, vel non cognoscere secreta cordium; sed quia solùm de malis procedebat argumentum, cui respondebat: quod erat tale: (vt patet ex initio illius quæstionis octavæ) *Tertio sic: si intellectus posset naturaliter cognoscere existentiam corporis Christi in Eucharistia, mali Angeli possent eam cognoscere, &c.*

25 Ratio autem illa (secreta cordium sunt entia intelligibilia: ergo, si aliàs sint in debita distantia, seu intra sphæram potentiæ cognoscitivæ, Angeli illa actualiter cognoscet) non conclu-

cludit intentum: solum enim probat, quòd, si à Deo permittatur Angelis vti sua vi cognoscitiva, illa cognoscent. Quòd verò eis de facto hoc non permittatur, constat ex Scriptura, & Patribus *num.* 17. relatis apertè affirmantibus, Deum solùm secreta cordium cognoscere. Vnde meritò inferimus, Angelis non fuisse permissum, secreta cordium intueri. Quare autem sic Deus disposuerit, dicemus *à num.* 33. Et ideo in forma respõdendo prædicto argumento negatur consequentia: quia Angelo non est permissa dicta cognitio.

26 Instabis, quòd Scotus *in 2. dist. 9. quæst. 2. §. & vers. Ad argumenta secundæ quæstionis* affirmat, quòd sicut Angelus præsens alteri, seu existens intra sphæram eius potentiæ cognoscitivæ, nequit occultare se, seu suam essentiam alteri: ita nequit ei occultare suam volitionem, seu secretum: ergo sentit Scotus, quòd Angelus necessariò cognoscit secreta cordium, si semel supponamus esse intra sphæram suæ potentiæ cognoscitivæ. Respondetur negando consequentiam: etsi enim Angelus nequat impedire, quòd suum secretum pateat alijs, intra quorum sphæram tale secretum continetur: de facto tamen impeditur à Deo subtrahente concursum ad talē cognitionem necessarium; aut aliàs non permittente, tale secretum ab aliquo cognosci propter rationes numero præcedenti tactas, *& n. 3; adducendas*.

27 Ex dictis *à numero* 24. constat, nihil cogere, vt dicamus, sensisse Scotum, Angelum bonum de facto cognoscere secreta cordium hominum, aut Angelorum. Quia tamen prædicti Pilosus, & Fabro cum nõnullis alijs affirmant, non esse alienũ à doctrina Scoti, asserere, quòd boni Angeli de facto cognoscunt secreta cordium. Ideo placuit, quomodo auctoritatibus Scripturæ, & Patrum *num.* 17. adductis responderi aliqualiter possit, declarare.

28 In primis ergo insistendũ est solutioni Durandi *numero* 19. allatæ, nempe quòd solus Deus actualiter noscit vi suæ naturalis potentiæ cognoscitivæ secreta cordium præsentia, præterita, & futura. Si tamen solùm sit sermo de secretis iam existētibus, aut præteritis, nullum esse inconveniens, quòd ab Angelo bono actualiter cognoscantur. Itaque solũm dicitur, esse proprium cognitionis divinæ repræsentare secreta futura. Idque tãtùm intendunt Scriptura, & Patres.

29 Secundò potest responderi prædictis auctoritatibus cum Hervæo *numero* 18. *citato*; illas concludere, proprium esse

ſe Dei, plenè, perfectè, atque omni modo cognoſcere ſecreta cordium certo, & evidenter. Cognoſcere tamen nō omnibus modis commune eſſe Angelis. Itaque actum meæ voluntatis, quo volo dare eleemoſynam v. g. videt Deus, & Angelus; Deus autem plenè, & perfectè: quia etiam intuetur fines tàm motivum, quàm impulſivum prædicti actus: quos Angelus non intuetur. Item Deus cognoſcit, vt iudex vniverſalis, nempe in ordine ad punitionem, vel præmium: qua ratione Angelus, aut anima ſeparata non cognoſcit prædicta ſecreta, ſed ſolus Deus. Inſuper Deus cognoſcit ita perfectè, vt ſit impoſsibile, quod per aliquod impediens ſibi nō pateat ſecretū: qui modus cognoſcendi nulli creaturæ poteſt convenire: & ideo ſolius eſt Dei. De quo legatur Scotus *in 4. diſtinct. 45. quæſt. 4. §. Ad argumenta verſ. Ad ſecundum*: vbi tradit hos duos vltimos modos.

DVBIVM III.

30 PEtes tertiò, an Angelus naturaliter poſsit cognoſcere ſecreta cordium actu exiſtentia, & ſibi præſentia? Reſpondetur affirmativè. Quia ſunt obiecta ſibi proportionata: ſunt enim entia intelligibilia, extra cauſas, & contenta intra ſphæram illius potentiæ intellectivæ: ergo non apparet ratio, quare illa non poſsit cognoſcere. Ita Scotus *locis numero 23. & 26. citatis, Piloſus, & Fabro citati numero 23.* Rada *controverſ. 8. artic. 3. concluſione 4. Quibus adde Maior. Baſſol. Lichetum, Ocham, Gabrielē, & Holcot, quos citat Vazquez diſput. 209. cap. 2. numero 6.* Et in hanc ſententiam conſpirant Scotiſtæ. Quare nos *n. 21.* meritò reprehendebamus Suarez (cuius verba ibi tranſcripſimus) dicentem, oppoſitum eſſe de fide.

31 Ex hac concluſione infertur, Angelum per actus memoriæ cognoſcere poſſe præterita ſecreta cordium, quæ, dum exiſtebant, actualiter cognovit. Quia non requiritur excellentior potentia ad recordationem, quàm ad primam rei cognitionem, immo nullus negabit, Angelum poſſe recordari ſecretum, quod ſemel cognovit; cum ſpeciem illius ad memoriam neceſſariam cōſervare poſsit. Sicut illam conſervat homo.

32 Sed Angelum naturaliter non poſſe cognoſcere ſecreta cordium defendunt D. Tho. *1. p. q. 57. artic. 4. D. Bonav. Alenſ. Ricardus, Thomas de Argentina, Capreolus,* Ferrara, Dur. *Ægid. Marſil. &* Henricus, *quos citat, & ſequitur Vazq. diſp. 209. c. 3. num.* 11. *Idem* te-

tenet Suarez lib. 2. cap. 21. à num. 3. incautè dicens, hoc esse de fide; sed quàm sine fundamento bonus senex loquatur, iam ostendimus *à nume. 0 23.* Pro qua sententia obijcitur, quòd Scriptura, & Patres apertè clamant, solùm Deum cognoscere secreta cordium: ergo nulla creatura potest illa cognoscere. Antecedens constat ex locis adductis *num. 17.* Consequentia probatur ex eo, quòd non apparet ratio, quare Deus impedierit potentiam cognoscitivam Angeli à cognitione secretorum cordiū; si aliàs hæc secreta essent ab illo naturaliter cognoscibilia. Respondetur negando consequentiā: etenim dictitant Summulistæ, *á non amplo ad amplum non valet consequentia*; hoc est, â negatione inferioris ad negationem superioris; aut à negatione actus ad negationem potentiæ. Et est per se manifestum: etenim de leone v. g. negatur quòd sit homo; non tamen quod sit animal: & de Petro sedente dicitur, quòd nō currit; nō tamen, quòd non posit currere.

33 Ad probationem consequentiæ dicimus, iure optimo disposuisse Deum, ne secreta cordium Angelorū alijs, quàm sibi paterent: hoc enim exigebat bonum communitatis Angelorum: quod bonū præponderat bono particulari, quod haberet quilibet cognoscendo secreta alterius: quod particulare bonum secum haberet admixtum non mediocre incommodum ipsi Angelo cognoscenti, nempe non posse occultare proprios actus, seu secreta. Quare omnes Angeli libentissimè cedunt dispositioni divinæ, qua respiciendo Deus bonum illius cōmunitatis statuit impedire cognitionem actuum intellectus, & voluntatis, quos ipsi Angeli noluerint manifestare; quamvîs aliàs ipsi Angeli vi suæ potentiæ intellectivæ omnes illos actus naturaliter possent cognoscere.

34 Quod adeò verum est, vt, si supponamus, Angelorum rēpublicam esse Atheistam, seu non habere Deum, aut aliud supremum Caput, ipsi tamen conspirassent inter se, si aliàs haberent modum ad hoc, vt secreta cordis essent occulta: & propter bonum communitatis, immo, & cuiuscūque particularis, cederent iuri suo, seu proprio, quod vnusquisq. habet ad cognoscendum naturaliter secreta aliorum. Et modò huic iuri suo cedunt interpretativè, laudantque dispositionem divinam.

35 Dices, hanc rationem nō currere in hominibus: cur ergo disposuit Deus, quòd Angelis manerent occulti actus tàm intellectus, quàm voluntatis humanæ? Respondetur, quòd de anima separata, necnon & de ipsa in corpore glorioso currit eadem

eadem ratio: si enim non impediretur à Deo, cognosceret secreta cuiuscumque Angeli existentis intra sphæram sui intellectus. In statu autem præsenti nequit nostra anima cognoscere secreta aliorum hominum, neque Angelorum: quia solùm cognoscit per signa sensibilia. Desposuit autẽ Deus, ne Angelis manifestarentur secreta nostra, ne iustè cõquereremur, Angelos cognoscere nostra secreta, nos verò illorum non cognoscere.

36 Ex his constat, sine fundamento dicere plures Thomistas, quòd Angelus, vel homo potest pro libito suæ voluntatis occultare actus sui intellectus, & voluntatis: & quòd tunc manent secreti. Contra hoc tamen semper vrget ratio nostræ conclusionis, nempe quod secretum illud est ens, seu obiectum proportionatũ cum intellectu Angeli, & existens intra sphæram sui intellectus: ergo non apparet, quomodo possit ab aliqua creatura occultari. Confirmatur: ideo enim Angelus non potest se ipsum occultare à cognitione alterius, quia est obiectum proportionatum ipsi, & debitè præsens: sed idem currit de quocumque eius actu intellectus, aut voluntatis: ergo, si semel supponatur esse intra sphæram eius intellectus, non poterit illum occultare; aliunde ergo provenit, quòd de facto non cognoscatur, nempe à Deo sic disponente propter rationem iam tactam. Præterea volitio, qua Angelus vult occultare suũ secretum, est intelligibilis per se: ergo debet occultari per aliam, & hæc per aliam: & sic dabitur processus: vt acutè meditatus est Scotus *in 2. dist. 9. q. 2. §. & vlt. Ad argumenta secundæ quæstionis.*

37 Obijciunt secundò contra nostram conclusionẽ quòd propria virtute cognoscere futura est proprium solius Dei: ergo & cognoscere secreta cordis. Patet consequentia: quia Patres de his duobus eodẽ modo loquuntur: quorum Patrum aliquot testimonia adducit Suarez *lib. 2 cap. 21. à num. 6.* Nobis autem sufficiat Athanasius *q. 27. ad Antiochenses* dicens: *Præscius rerum, & cordium cognitor solus est Deus: nec enim vel Angeli cordis abscondita, vel futura videri possunt.* Respondetur negando consequentiam: quia secreta cordiũ sunt proportionata intellectui Angelico: cùm sint obiecta existentia, & præsentia. Futura autem non existunt: quare requirunt potentiam infinitæ virtutis ad sui cognitionem; & quæ ambiat omnia tempora. Ad probationem consequentiæ dicimus, Patres comparare secreta cordium cum futuris, quantum ad cognosci de facto; non verò

rò quantum ad poſſe cognoſci.

38 Dices, Athanaſium negare etiam potentiam: vt patet ex illius verbis. Reſp. explicandũ eſſe de potentia conſequenti. Hac enim ratione in alijs materijs ſæpe loquuntur Theologi: de prædeſtinato enim dicimus, quòd poteſt quidem damnari potentia antecedenti, non tamen conſequenti, hoc eſt, quòd non damnabitur. Item de confirmato in gratia dicimus, quòd habet potentiam antecedẽtem ad peccandum finaliter, non tamen habet potentiam conſequẽtem: quod nihil aliud eſt, quàm dicere, quòd finaliter non peccabit mortaliter. Inſuper de habẽte auxilium efficax dicimus, quòd habet potentiam phyſicã, ſeu antecedentẽ ad non reſpondendũ; quia tamen illam potẽtiã numquam exequetur, dicimus, quod non habet potentiam moralem, ſeu conſequentem. Etiā de habente auxilium ſufficiens dicunt, quòd abſolutè poteſt cũ illo operari; quia tamen nũquã operabitur, dicunt, quòd non habet potentiam moralem, ſeu conſequentem. Idem poteſt exemplificari in Chriſto Domino, & in Beatis, in quibus ſecundùm nos Scotiſtas eſt potentia phyſica, ſeu antecedens ad peccandum: quia tamen numquam potentia illa reduceretur ad actum, dicimus, quod non habent potentiam moralem, ſeu conſequentem. De hac ergo impotentia morali, ſeu conſequenti loquuntur Athanaſius, & aliqui alij Patres, qui dixerunt, Angelos non poſſe cognoſcere ſecreta cordium.

39 Adde, poſſe explicari de impotentia antecedenti proxima. Quamvis enim Angelus habeat virtutem naturalẽ ad cognoſcendum ſecreta cordium, tàm hominum, quâm Angelorum, vti obiecta ſibi proportionata: tamen cùm decreverit Deus, non concurrere ad talium ſecretorum cognitiones, aut quomodocumque alio modo illas impedire; potentia prædicta dicitur perpetuò impedita: & cùm tollere tale impedimentum non ſit in poteſtate Angeli, poteſt Angelus dici abſolute impotens, ſeu non potens cognoſcere ſecreta cordium; non quidem defectu potentiæ cognoſcitivæ proportionatæ cum illo obiecto; ſed defectu potentiæ auferendi tale impedimentum. Hæc ſolutio ſumitur ex Scoto *in 4. diſt. 19. §. & verſ. De quarto articulo*: vbi generaliter docet, quòd potentia, *dum eſt actu impedita, non eſt potentia propinqua, ſed remota, vt habetur à Philoſopho 9. Metaph. cap. 4.* Idem docet in eodem *4. diſt. 49. quæſt. 6. § Dico ergo in verſ. Nota* præſertim verbis illis; *potentia, vel magis poſſibilitas propinqua requirit, quod* con-

convenientia adsint, & impedimenta cessent.

40 Dices, versiculum istum esse additionem: vt constat ex signo, quo notantur additiones. Respondetur fatendo, totum illum versiculum, esse notatum signo additionum ad Scoti textum: non tamen est certum, quòd omnia sic notata sunt additiones; sed quod certum est, est in aliquibus originalibus illa non contineri: & consequenter dubium esse, an sint à Scoto posita? Sed quidquid sit de hoc, cùm in toto illo §. sæpe prædicta doctrina statuatur; (vt patet legenti) nihil refert, quod ille versiculus sit additio ¶ Instabis: ergo secundùm hanc Scoti doctrinam potest concedi, quod Christus Dominus, & quicumque alius Beatus non solùm potentia morali, & consequenti, sed etiam potentia physica, & antecedenti, nō remota, (quę consistit in hoc, quod est habere potentiam liberam) sed proxima, seu propinqua (quæ stat in hoc, quod est potentiam remotam esse ab extrinseco impeditam) potest non peccare; seu est impotens ad peccandum. Respondetur, ita esse: hocque probat Scotus toto illo §. *Dico ergo* affirmans, quòd Beatus est peccabilis potentia remota; scilicet quia habet voluntatem liberam non impeditam per aliquid intrinsecè in illa receptum; & simul est impeccabilis potentia propinqua, nēpe quatenus gratia Dei prævenitur Beatus, & cōservatur in actu recto, seu fruitionis: cum quo non potest cōponi peccatum, saltem de potētia ordinaria. Præcipuè legatur Scotus *ibi à vers. Concedo ergo.*

DVBIVM IIII.

41 PEtes quartò, quid sit secretum cordis? Respond. esse actus liberos tàm elicitos, quàm imperatos. Ita communissimè Authores. De quo præsertim legantur *Vazquez disp. 210. Suarez lib. 2. cap. 25. à num. 1. noster Fabro disp. 36. num. 1. & Pilosus disp. 11. art. 4. num. 1.*

42 Notandum est, quòd in quacumque actione libera distinguenda est substantia actionis à modo libertatis contingentiæ quo fit: & vniversaliter dicendum, secretum cordis vocari nō substantiam actionis præcisè consideratæ, sed prout subest modo libertatis. Itaque Angelus, quem latet secretum cordis, cognoscit substantiam cuiuscumque actus liberi, sivè potentiæ sensitivæ; sivè intellectivæ, sivè ipsius voluntatis; latet tamen ipsum, an liberè fiat? An necessariò? Et ratio est, quod, cùm ex natura sua Angelus possit, immo petat cognoscere omnia entia naturalia actu

actu existentia, & sibi præsentia:& solùm ex dispositione divina non cognoscat secreta cordium: vt ex superiùs dictis constat; est quasi præternaturale, aut violentum Angelo (attenta eius natura, seu vi cognoscitiva) non cognoscere secreta cordium Quare debemus quidem salvare, Angelum non penetrare secreta cordium: cum hoc constet ex Scriptura,& Patribus:sed tamen debemus quærere modum, quo ipsi Angelo minor quasi violentia irrogetur. Sed hoc fit ponendo, Angelum cognoscere substātiam cuiuscumque actionis liberæ, non verò modum libertatis: ergo cuiuscumque actus liberi Angelus cognoscit substantiam, nō verò modum libertatis.

43 Confirmatur,& declaratur: sine vrgente ratione non est denegandum alicui id, quod sibi naturaliter cōpetit. Sed Angelo competit naturaliter cognoscere omne ens creatum actu existens, & sibi præsens: ergo hoc non est illi denegandum. Tunc sic. Sed ad salvandum, Angelum non cognoscere secreta cordium sufficit, illi negare cognitionem modi libertatis, & nō est necessarium, illi negare cognitionem substantiæ actus liberi:ergo,etsi nō cognoscat actiones liberas, quatenus liberæ sunt, seu modum libertatis, quē habent, cognoscit tamen substantiam illarum, etiamsi sint actus ipsiusmet voluntatis.

44 Hinc infero, habitus naturales, immo & supernaturales existentes tàm in intellectu,quā in voluntate; necnon,& species impressas, non esse secreta cordium: & consequenter ab Angelo cognosci. Quia non sunt entia libera, seu ex quo iam existunt,non liberè conservantur: ergo in illis non potest distingui substantia à modo libertatis cōtingentiæ. ¶ Dices: habitus Fidei, Spei,& Charitatis,& multi alij naturales, atque etiam species impressæ sæpè liberè acquirantur: ergo remanet in eis modus libertatis: ergo ex illo cognito evidenter cognoscit Angelus præteritum actum liberum, quo fuit acquisitus. Respondetur negando consequentiam: habitus enim non generatur ex actibus, quatenus liberi sunt, aut necessarij, sed ex ipsorum repetitione, sive liberè, sive necessariò fiant. Quare in habitu non reperitur aliqua ratio liberi, aut necessarij, sed abstrahit ab vtroque. Et ideo ipse habitus existens in potentia æquè concurrit ad actus sequentes, sivè liberè, sive necessariò eliciantur. Ad hunc modum philosophatur Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 2. vel 3. §. & vers. Quantum ad illum articulum* loquendo de habitu virtuoso, quem docet non concurrere ad actus sequentes, quatenus

tenus virtuosus est: & consequenter (infero ego) non fuit genitus ex actibus virtuosis, quatenus virtuosi sunt, seu quatenus procedunt ex directione, au t ex conformitate cum prudentia.

45 Dices secundò: habitus praexistens intenditur per repetitionem actuũ sequentium: ergo Angelus ex maiori intensione habitus, quem anteà non ita intensum cognoscebat, evidenter cognoscet, me actum liberum elicuisse, per quem habitus intensionem recepit. Respondetur negando consequentiam, seu eius suppositum, scilicet habitum solùm intendi per actus liberos: æquè enim intenditur per necessarios, ac per liberos. Et ideo ex maiori intensione, quam nunc videt Angelus in habitu præexistente sine tali intensione, solùm potest euidenter inferre, aut Deum addidisse illum intensionis gradum; (agendo de potentia absoluta) aut subiectum illud elicuisse actum, à quo illa intensio fuit causata. Vtrùm autem ille actus fuerit liber, aut necessarius? determinare non potest.

46 Infero secundò, cogitationes necessarias (etiam illas, quæ antecedunt actum voluntatis) non esse secretum cordis consideratas secũdùm suas substantias, benè tamen quatenus necessariæ sunt: & consequenter cognosci ab Angelo consideratas secundùm suam substantiam, non autem, quatenus necessariæ sunt. Aliâs, si Angelus illas cognosceret, quatenus necessariæ sunt, seu, vt subiacent modo necessitatis; etiam cognosceret cogitationes liberas, seu liberè imperatas, quatenus liberæ sunt, aut vt subiacent modo libertatis. Patet, quia quando sunt liberæ, nequit Angelus cognoscere in illis modum necessitatis: cùm ibi non sit; & si esset, ab illo cognosceretur: ergo ex eo quòd ibi non cognoscit modum necessitatis, colligeret ibi esse modum libertatis sibi à Deo occultatum.

47 Igitur concludo, quòd generaliter loquendo de actu voluntatis, aut cuiuscumque alterius potentiæ subditæ voluntati, est quidem secretum cordis actus illius, non secundùm substantiam; sed secundùm modum tàm libertatis, quàm necessitatis. Quare Angelus cognoscit nudam substantiam eius; & illi occultatur modus necessitatis, & libertatis. Et ideo distinguere non potest, cognito actu in re necessario, quòd est necessarius. Sicuti nequit distinguere, cognito actu in re libero, quòd liber evadit. Sic tenent Vazquez *disput. 210. cap. 2. num. 7. Suarez lib. 2. capit. 22. num. 11.* & alij

contra aliquos recentiores (præcipuè contra Granados *disput.* 2. *sect.* 2.) dicentes, actum primò primum non esse secretum cordis, benè tamen actum liberum: & consequenter Angelum cognoscere illum, non autem istum. Falluntur tamen propter dicta numero præcedenti.

DVBIVM V.

48 PEtes quintò, an Angelus naturaliter cognoscat aliqua entia supernaturalia, seu mysteria gratiæ, postquam iam sunt in executione posita? Respondetur affirmativè. Quia gratia sanctificans, & quodcumque aliud ens supernaturale, aut mysterium gratiæ (non dicens ordinem ad aliquid illimitatum, aut ad aliquid voluntariè movens) semel positũ in actuali existentia est obiectum proportionatum cum intellectu Angeli: ergo, si supponamus esse ei debitè approximatum, illud cognoscit. Antecedens patet: sicut enim ens corporeum est obiectum proportionatum potentiæ corporeæ: & sicut ens infinitum est obiectum proportionatum potentiæ infinitæ: ita ens spirituale, finitum, & limitatum est obiectum proportionatum potentiæ spirituali, finitæ, & limitatæ: qualis est intellectus Angeli.

49 Hanc conclusionem defendit Scotus *in* 4. *distinction.* 10. *quæst.* 8. *per totam quæstionem, sed præcipuè* §. *Ad argumenta versic. Ad tertium*, Rada 2. *p. controv.* 8. *artic.* 4. *conclusione* 1. *Pilosus disput.* 11. *artic. vltimo numero* 5. Quamvis enim in illo articulo loquatur, non tàm de facto, quàm de posse Angelico circa mysteria gratiæ; tamen *prædicto numero* 5. concedit, bonum Angelum de facto videre existentiam corporis Christi Domini in Eucharistia; & à simili debet idem concedere de alijs mysterijs gratiæ, de quibus nos loquimur in præsenti. Idem tenet *Faber in* 4. *disput.* 43. *c.* 3. *n.* 16. *estque à Scotistis receptissima*. His *adde Ægidium, Gabrielem, Ocam, Canum, & alios, quos citat, & ex parte sequitur Vazquez disp.* 214. *cap.* 1. *num.* 1. Legite etiam nostrum Cavellum *in scholio ad versiculum. Respondeo prædictæ quæstionis octavæ*. Nota, Scotum ibi §. *Respondeo versic. Secunda conclusio* extendere hanc cõclusionem ad animam, necnon & ad intellectum coniunctum cum corpore glorioso. Itaque existimat Scotus, Angelum, & etiam hominem in statu separationis, necnon, & in statu coniunctionis cum corpore glorioso naturaliter cognoscere illa entia supernaturalia, seu mysteria gratiæ quæ *à num.* 65. assignabamus.

50 Sed Angelum non posse naturaliter cognoscere mysteria

tia gratiæ, seu entia supernaturalia, defendunt D. Th. 1. *p. q.* 57. *art.* 5. *Caiet. Sotus, Paludanus, & cæteri Thomistæ, quos citat, & ferè sequitur Vazq. ibi num.* 4. *&* 13. Idem tenet *Suarez lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 4. citans pro hac sententia *Durandum, & Alensem*: Vazquez tamen *ibi num.* 4. advertit, *nostros Alensem, & D. Bonav.* malè citari pro hac sententia. Igitur pro ista opinione obijcitur nobis primò illud *primæ ad Chorint.* 2. *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Sed ibi loquitur Apostolus de mysterijs gratiæ: ergo ista nequit Angelus naturaliter cognoscere. Respondetur, Apostolum ibi loqui de hominibus viatoribus, qui supernaturalia cognoscunt solùm per fidem, & alienas species; non autem de Angelo, & anima separata, respectu quorum quodcumque ens limitatum præsens est obiectum proportionatum.

51 *Instabis*: secretum cordis est obiectum Angelo proportionatum; & tamen de facto non cognoscitur ab Angelo: ergo, etiam admisso, quod gratia sanctificans, & alia entia supernaturalia sint obiecta proportionata cum intellectu Angeli, non infertur, quòd de facto illa cognoscat. Respõdetur negando cõsequentiam: Nulla enim ratio potest assignari ad affirmandũ, quòd nõ cognoscit Angelus mysteria gratiæ, semel admisso, esse illi obiecta proportionata: est autẽ specialis ratio, cur affirmemus oppositum de secretis cordium: vt constat ex dictis *à num.* 17. & rursum *à num.* 33.

52 Obijcitur secundò, quòd cognoscibilitas sequitur entitatem: sed gratia sanctificans v. g. est entitas supernaturalis: ergo solũ supernaturaliter potest cognosci. Respondetur ex Scoto ibi *§. ex vers. Ad argumenta* distinguẽdo minorẽ: est enim vera de gratia quantum ad fieri: falsa autem quantum ad cognosci. Itaq; gratia sanctificans v. g. solùm potest fieri, seu produci ab agenti supernaturaliter agente: ex quo tamẽ iam est posita *in esse est quoddã ens naturale, & proportionatum potentiæ naturaliter cognoscenti, vel cognoscitivæ.* (ait Scotus ibi) Vnde negatur consequentia.

53 Instabis: factibile supernaturale solùm potest fieri à causa supernaturali: ergo cognoscibile supernaturale, solùm potest cognosci à cognoscẽte supernaturali. Resp. negando consequentiã: quia diverso modo respicit factibile suũ factivũ; ac cognoscibile respicit suũ cognoscitivũ: factibile enim respicit suũ factivũ tãquã causam sui esse: & cõsequẽter factivũ debet necessariò cõtinere in virtute totã entitatem entis factibilis. Cognoscibile autem non sic respicit potentiam cognoscitivã: cũ iã supponat totum suum esse independẽter ab

illa; & ideo non requiritur, quòd habeat tantam perfectionem entitativam potentia, quantam habet obiectum: (aliàs Deus non posset cognosci à creatura) sed solùm requiritur inter obiectum, & potentiam proportio attingibilis ad attingentem, vel ad attractivum. Quæ proportio reperitur sanè inter Angeli intellectum, & quodcumque ens finitum, & limitatum.

54. Dices, adhuc vrgere axioma illud; *cognoscibilitas sequitur entitatem*. Patet, quia ex illo planè infertur, quòd entitas supernaturalis habet cognoscibilitatem supernaturalem: & consequenter, quòd solùm potest cognosci à cognoscente supernaturali. Respondetur, sensum illius axiomatis esse, quòd cognoscibilitas est passio entis: & consequenter, quòd non datur cognoscibilitas sine entitate præsupposita. Non autem intenditur illo axiomate, quòd inter obiectum, & potentiam sit proportio entitativa, taliter, vt si obiectum est supernaturale, solùm à cognoscente supernaturali debeat attingi: aliàs sequeretur, quòd ens, aut obiectum naturale solùm à potentia natrali posset cognosci. Item sequeretur, quòd ens, seu obiectum infinitum solùm à potentia infinita posset attingi.

55. Obijcitur tertiò: Angelus potest naturaliter cognoscere mysteria gratiæ, seu entia supernaturalia? Ergo demon potest cognoscere naturaliter corpus Christi Domini existentis in Eucharistia, & alia mysteria gratiæ. Respondetur concedendo sequelam; aut consequentiam cum Scoto *num.* 52. citato. Itaque absolutè potest Angelus malus, sicut & bonus cognoscere prædicta mysteria: de facto tamen impeditur; sicut de facto fuit impeditus, ne cognosceret integritatem Virginis, & alia; vt notat Scotus ibi; & adducit Magistrum *in* 2. *distinct.* 7. dicentem, quòd multa possent dœmones in natura sua, quæ non permittuntur eis.

56. Obijcitur quartò: Angelus non potest naturaliter acquirere species supernaturales: ergo neque cognoscere entia supernaturalia. Respondetur negando antecedens: nam quodcumque ens limitatum semel positum in esse, & præsens Angelo est obiectum proportionatum cum illo: & consequenter necessariò mittit speciẽ sui. Immo naturaliter illas mittit obiectum, etiam si sit entitativè supernaturale; est enim naturale obiecto movere potentiam sibi proportionatam. Item acquisitio illarum specierũ est Angelo naturalis: etenim quæcũque potentia necessaria naturaliter movetur ab obiecto præsenti sibi pro-

proportionato (omitto, quòd ad cognitionem intuitivam, de qua agimus in præsenti, non requiritur species, vt diximus *diff. 3. à num.* 19.

57 Dices: ergo Angelus naturaliter, seu viribus naturæ cognoscet intuitivè Deum, etiam vt Trinum. Patet, quia est obiectum proportionatum sibi realiter præsens. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, Deum per attributum immensitatis esse realiter præsentem cuicumque intellectui præsentia reali, & physica; (vt sic loquar) non tamen præsentia obiectiva. Cùm enim sit speculum voluntarium: vt ex Patribus circumfertur, (præcipuè legatur Scotus *quodlib.* 14. §. *& vers. De secundo* citans Ambrosium super Lucam dicētem de Deo: *In eius potestate satis est videri, cuius natura non est videri: si vult, videtur; si non vult, non videtur.*) etsi physicè præsens sit cuicumque intellectui; tamen ad sui cognitionem solùm movet illum intellectum, quem movere vult, vel immediatè per se ipsum, vel media specie impressa: vtroque enim modo fieri potest iuxta dicta *difficult.* 3. *à numero* 19. Propter eamdem rationem nequit Angelus intuitivè cognoscere mysterium Incarnationis: etsi enim divinum Verbum terminet naturam humanam Christi Domini, nequit tamen Angelus suis viribus relictus cognoscere talem terminationem, nisi illam ipsum Verbum sibi voluntariè manifestet, seu manifestet se ipsum terminans illam humanitatem.

58 Obijcitur quintò: Angelus naturaliter intuetur mysteria gratiæ, seu entitates supernaturales? Ergo & actum beatificum alterius: ergo naturaliter est Beatus. Patet hæc consequentia: quia viso actu beatifico, videt obiectum, cum quo ille actus connectitur. Respondetur negando secundam consequentiam. Ad probationem dico, quòd videt illum actum quoàd entitatem absolutam illius; non autem videt illum quoàd respectum. Itaque actus beatificus (sicut, & quicumque alius actus intellectus, aut voluntatis; & vniversaliter loquendo, sicut & quæcumque actio vitalis) est qualitas absoluta, quæ destructo suo obiecto, conservari potest saltem de potentia absoluta: cui entitati superadditur quædam relatio realis ad obiectum realiter existens. Igitur Angelus intuetur beatitudinem alterius secundùm quod qualitas est; non autem secundùm relationem, quam dicit ad obiectum: quia relatio non cognoscitur sine cognitione extremorum: & cùm non posit Angelus naturaliter cognoscere Deum, qui

eſt terminus illius relationis, illam cognoſcere non poteſt.

59 Dices: cognita intellectione, (idem eſt de volitione, viſione, &c.) neceſſariò infert, ſeu cognoſcit Angelus, eſſe alicuius obiecti intellectionem: ergo cognoſcit illam, non ſolùm quatenus qualitas eſt, ſed etiam, quatenus habet adiunctam relationē. Adde, quòd videtur omnino impoſsibile, quòd cognitio (volitio, &c.) non dicat ordinem ad aliquod obiectum: eſt quippe omnino inintelligibile, quòd ſit cognitio, & non ſit alicuius obiecti. Reſpōdetur quòd in cognitione (præter reſpectum quem dicit ad intellectum, tamquam ad ſuum principium) eſt duplex reſpectus ad obiectum: alius aptitudinalis; & alius actualis. Aptitudinalis nihil aliud eſt, quàm quædam actualis exigentia fundandi actualem reſpectū, ſeu relationem ad obiectū. Actualis reſpectus eſt, quem cognitio dicit ad obiectum realiter exiſtēs, & ab ipſa realiter diſtinctum. (Idem dicendū eſt de volitione, & quacūque alia actione, ſeu operatione vitali.) Eſt autem diſcrimen, quòd reſpectus aptitudinalis eſt intrinſecus, & eſſentialis (ſaltem tamquam paſſio, aut in ſecundo modo dicendi per ſe) cognitioni: actualis autem eſt omnino illi accidentalis: cùm ſine illo detur cognitio. vt patet quando cognitio terminatur ad obiectum non exiſtens; ad roſam poſsibilem v. g. Ex qua doctrina reſpondetur ad hoc argumentum: concedo enim totum de relatione aptitudinali; & nego de actuali. Vnde nihil infertur ad rem. Ex eo enim, quòd Angelus, cognita intellectione, neceſſariò cognoſcat eſſe entitatem exigentem fundare relationem, non cognoſcit ipſam relationem, nec terminum illius: & conſequenter non poteſt beari, eo quòd naturaliter cognoſcit obiectum actus beatifici alterius beati: falſum quippè eſt, quòd tale obiectum cognoſcat.

160 Inſtabis: cognoſcit Angelus naturaliter, illum actum eſſe, non quamcumque cognitionem, ſed beatam: ergo infert neceſſàrio habere obiectū beatificum: ergo beatur per cognitionem, aut volitionem talis obiecti. Reſpondetur negando ſecundam conſequentiā. Tùm, quia illud obiectum cognoſcit tantùm quantùm ad an eſt: non autem quantùm ad quid eſt? Cognoſcit, inquam, illum actum habere aliquod obiectum; non tamen quodnam ſit illud obiectum. Tùm, quia illud obiectum (admiſſo gratis, quòd Angel⁹ illud cognoſceret quidditative) cognoſceret illatiuè, ſeu per diſcurſum, non autem intuitive: qualis ſecundùm

dùm omnes debet esse cognitio beata. Tùm demum, quia (admisso gratis, illam cognitionem esse quidditativam, & intuitivam) talis cognitio esset à potentia nuda: visio autem beata debet elici à potentia (si ab illa elicitur) adiuta lumine gloriæ: vt libabamus *diff.* 3. *num.* 97.

61 Obijcitur sextò: (repeto argumentum numeri 56. propter novam doctrinam eius solutioni addendam) Angelus naturaliter nequit acquirere species supernaturales: ergo neque cognoscere entia supernaturalia. Respondetur (omitto, quòd ad cognitionem intuitivam, de qua agimus in præsenti, non sunt necessariæ species vt dixi *diff.* 3. *à num.* 19.) negando antecedens. ¶ Contra: ergo poterit naturaliter elicere speciem expressam supernaturalem. Respondetur distinguendò ly *supernaturalem*: si enim species illa expressa, seu cognitio orta ex illa specie impressa gratiæ santificantis v. g. & ex potentia nuda Angeli vocetur supernaturalis, eo quòd repræsentat obiectum, seu entitatem supernaturalem; concedimus, Angelum, media specie impressa entis supernaturalis ab ipso naturaliter acquisita, elicere posse, & de facto elicere visionem supernaturalem. Sin verò vocetur expressa species, seu cognitio supernaturalis illa, quæ in sua entitate habet veram supernaturalitatem; cognitio, quam media illa specie impressa entitatis supernaturalis, elicit Angelus, nõ est supernaturalis: quia ad hoc requirebatur, quòd intellectus Angeli præcessisset elevatus per lumen gloriæ.

62 Dices: ergo saltem in sententia, quæ affirmat, speciem impressam, & lumen esse eumdem habitum, seu, quòd species supernaturalis duo præstat, nempe, & quòd elevat potentiam, & quod repræsentat obiectum, illa species expressa, seu visio erit in sua substantia supernaturalis. Patet quia non solùm repræsentat obiectum supernaturale, sed etiam procedit à potentia elevata per illam speciem. Respondetur nihil cõtra nos, qui talem sententiam falsam existimamus. Præterea non est statutum in illa sentententia, speciem impressam gratiæ, fidei, &c. esse entitativè, supernaturalem: sicut est certum, speciem impressam divinæ essentiæ esse entitativè supernaturalem: & consequenter elevare potentiam: sicut illam elevat habitus luminis gloriæ: & sicut in via illam elevant habitus fidei spei, & charitatis infusæ.

63 Solùm nota, quòd in nostra sententia species expressa, seu cognitio entitatis superna-

turalis, quam Angelus naturaliter elicit media prædicta specie, absolutè est vocanda naturalis: cum in sua substantia talis sit; & solùm secundùm quid dicatur supernaturalis, nempe ex eo quòd attingit ens supernaturale.

65 Ex dictis *à numero* 48. constat, Angelum suis viribus relictum posse cognoscere, immo & de facto cognoscere aliqua mysteria gratiæ, seu entia supernaturalia: restat ergo, vt explicemus, quænam sint ista, quæ cognoscit: & quæ sint, quæ eius cognitionem latent. Igitur cùm pro probatione conclusionis *numero* 48. positæ dixerimus, omne ens limitatum, & non dicens ordinem ad illimitatum, aut ad voluntariè movens, esse obiectum proportionatum intellectui Angeli: (immo & hominis degentis extra hunc statum: vt notabamus *numero* 49.) hinc dicendum est, Angelum cognoscere de facto viribus naturæ quodcumque tale ens limitatum iam positum in esse, nisi aliàs à Deo propter specialem rationem impediatur; non autem cognoscere, aut cognoscere posse naturaliter aliquod ens dicens ordinem ad ens illimitatum.

66 Vnde infertur in speciali, Angelū de facto nō cognoscere naturaliter secreta cordiū. Quia etsi sint obiecta sibi proportionata, illorum cognitio impeditur à Deo: vt constat ex dictis *à numero* 17. Oppositum tamen est dicendum ab illo, qui vellet assentiri aliquibus (etiam Scotistis) dicentibus, Scotum affirmare, solùm Angelum malum de facto esse impeditum à cognitione secretorum cordium. Pro quo recolantur dicta *à numero* 27.

67 Infero secundò, Angelum naturaliter non cognoscere, immo neque posse cognoscere mysterium Trinitatis, aut Deū quidditatiuè. Quia est ens illimitatum. Secundò, quia Deus omnia operatur ad extra liberè: & consequenter voluntariè movet quemcumque intellectum creatum ad cognitionem sui: vt *num.* 57. dicebamus. Et aliàs nullum creatum est medium præcognitum respectu Dei: cum enim in nullo creato contineatur eius esse, seu entitas, nullū creatum potest continere eius cognoscibilitatem, tamquam medium præcognitum.

68 Infero tertiò, Angelū naturaliter non posse cognoscere mysterium Incarnationis. Quia tale mysterium nequit intuitivè cognosci, quin cognoscatur intuitivè terminatio, qua Verbum Divinum personalizat illam humanitatē; sed prædictam terminationem nequit Angelus cognoscere naturaliter: (sicut enim Deus voluntariè movet

ad

ad cognitionem sui: ita Deus terminans illam naturam, non naturaliter, sed voluntariè movet ad sui cognitionē) ergo neq; ipsam vnionē hypostaticam, aut mysterium Incarnationis: vt dicebamus *n.* 57.

69 Infero quartò, Angelum naturaliter non cognoscere adæquatè & cōpletè gratiam sanctificantem, habitum fidei, spei, & charitatis, & cuncta opera iusti elicita ex inclinatione gratię inhærentis. Quia omnia ista sunt media ad consequendum vitam æternam, non ex natura rei; & vt entitates de genere qualitatis sunt præcisè; sed simul ex speciali acceptatione, seu dispositione divina: (vt docet Scotus *q. 1. prologi §. & versic. Ad argumentum, & quodl. 17. in fine*) sed talem acceptationem, aut dispositionem nequit Angelus cognoscere naturaliter: ergo neque, adæquatè gratiam sanctificantem, &c. Monor constat: nullum enim est principium in tota serie naturæ, ex quo possit evidenter deduci talis dispositio: ista enim activè est actus existens in Deo: passivè autem est denominatio extrinseca relicta in re, quæ dicitur disposita, aut acceptata: quæ denominatio cùm in re denominata nihil reale sit, non potest mittere speciem sui, aut movere potentiā aliam ad sui cognitionem. Igitur cognoscit Angelus viribus suis physicas entitates habituum fidei, spei, & charitatis, seu gratiæ sanctificantis, (sive gratia, & charitas distinguantur realiter, sive solùm formaliter) & omnium actuum ab his habitibus procedentium; eorum tamen acceptationem, aut dispositionē passivam nequeūt cognoscere intuitive, immo neque abstractivè evidenter. Adde, quòd actus non cognoscit, liberos: vt statuimus *à num.* 42. Insuper adde neque cognoscere ex quo motivo, aut fine elicianturvt dicebamus cum Hervæo *num.* 29.

70 Infero quintò, Angelum naturaliter cognoscere modū supernaturalitatis, quādo ille modus est physicus: secus autem quando est moralis, seu denominatio extrinseca v.g. restituitur miraculosè visus cæco: ille modus vocatur à multis modus physicus supernaturalis: & hunc dicimus cognoscere Angelum, dum actualiter existit, nempe pro illo instanti, seu brevissimo tempore, quo durat effectio miraculi. Item in actu supernaturali, qui procedit ab habitu fidei, spei, &c. relinquitur quidam modus supernaturalis. (in sententia illorum qui dicunt, actus, qui procedunt ab habitibus per se infusis, non esse supernaturales quoad substantiam, sed solùm quoad modum) Qui modus etsi secundùm Scotum *in 1. dist. 17. §. Ad solutionem versic. Dico igitur,*

tur sit quædam ordinatio passiva, (proveniens à voluntate divina specialiter ordinante illum actum ad vitam æternam ; seu tamquam de condigno meritorium vitæ æternæ) à qua ille actus dicitur acceptabilis Deo: & consequenter est modus moralis, & ab Angelo naturaliter incognoscibilis. Tamen secūdùm alios est modus physicus, qui remanet in actu : & consequenter erit ab Angelo naturaliter cognoscibilis : cùm sit entitas suæ potentiæ intellectivę proportio nata existens extra causas & intra sphæram suæ cognoscitivæ potentiæ: vt suppono.

DVBIVM VI.

71 PEtes sextò, an Angelus per revelationem noverit aliqua ? Respondetur affirmativè. Quia conducit ad illius excellentiam, vt per revelationem cognoscat illa, vel aliquot illorum, quæ alio modo cognoscere non potest.

72 Hinc infero cum communissima sententia, Angelo iam Beato fuisse revelata omnia illa mysteria, de quibus habuit fidem, dum erat in via. Quia hoc conceditur hominibus Beatis; ixusta illud 1. *ad Chorint.* 13. *videmus nunc per speculum ; tunc autem facie ad faciem*: ergo non est negādū Angelo Beato. ¶ Contra, quòd Scot. *in* 4. *d.* 10. *q.* 8. *versic. Tertia conclusio* docet, quòd *intellectus beatus nullo modo per actum beatificum videt corpus Christi in Eucharistia*: sed homo viator, habuit fidem huius mysterij : ergo falsum est, hominē viatorem videre in statu beatitudinis omnia mysteria, quorum fidem habuit in via: & consequenter hoc erit falsum de Angelo. Rospond. negando consequentiam : ad summum enim sequitur, hominem beatū non videre corpus Christi Domini in Eucharistia ipsomet actu beatifico, quo videt essentiā divinam: non tamē sequitur, quòd illud non videat alio actu distincto. Sed quoniam Scot. *in* 1. *d.* 1. *q.* 2. §. *& versic. Modus ponendi, & in* 3. *d.* 14. *q.* 2. §. *& versic. Potest dici* affirmat, beatum eodem actu videre essentiā divinam, & creaturas: ideo dicendum est, Scotū intendere, quòd visio corporis Christi in Eucharistia (sicuti neque alterius mysterij, Trinitatis forte excepto) nō est Beato necessaria ad hoc, vt sit Beatus; sed quòd ad hoc sufficit essentia divina. Quare concludit Scot. ibi: *ergo nullo modo obiectum beatificum, vt est tale, includit corpus Christi, vt visum in Eucharistia.*

DVBIVM. VII.

73 PEtes septimò, an Angelus viator habuerit fidē Trinitatis ? Respond. negativè. Quia habuit cognitionem evidentem, & claram, quamvis abstra-

ſtractivam, huius myſterij. Sed cum iſta non cohæret (ſaltem de lege ordinaria) cognitio per fidem: ergo illam non habuit. Minor eſt certa, & conſequentia legitima. Maiorem ſuppono ex dictis *c.3. â num.84* ſpecies enim illa divinæ eſſentiæ, quam ibi ſtatuimus fuiſſe communicatam Angelo viatori ſpecies eſt Trinitatis. Quāvîs enim de poſsbili dabilis ſit ſpeciés repræſentās divinā eſſentiā ſine perſonis: (vt mihi probāt rationes, quibus Scotus, & Scot iſtæ cōcedimus, poſſe videri eſſentiam, non viſis perſonis. De quo legatur Scotus *in 1. d.1.q.2. §. Quantum ad tertium verſic. Dico*) de facto tamen non datur. Hinc conſtat, immeritò dixiſſe Vazq. *diſp.215.c.1.* indubitatum apud omnes eſſe, myſterium Trinitatis Angelis fuiſſe revelatum in via, nempe per fidē; vt ipſe intelligit. Hoc tamen quā falſum ſit, conſtat ex nuper dictis.

DVBIVM VIII.

74 Pεtes octavò, an Angelus viator habuerit fidē Incarnationis? Reſpondetur affirmativè. Quia primi parentes in ſtatu innocentiæ habuerunt fidem huius myſterij: ergo & Angeli. Patet conſequētia: quia Angelus eſt excellentioris naturæ: ergo cognitio conceſſa homini propter perfectionē illius etiā eſt concedenda Angelo. Antecedens autem docent communiter, præſentim D. Th. quē citat, & ſequitur Vazq. numero præcedenti relatus *n.2.* Quod & non obſcurè innuit illud *Geneſ.2. Hoc nunc os ex oſsibus meis, &c.* quod *ad Epheſ.5.* interpretatur Paulus: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Secūdò probatur: quia Chriſtus non ſolùm eſt Caput hominum, ſed & Angelorum: ergo nō ſolùm hominibus, ſed etiam Angelis viatoribus debuit revelari; vt ſic eū Caput agnoſcerent, & venerarētur. Antecedens conſtat *ex c. 1. ad Epheſ. n.22. ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam*; & præmiſerat, *ſupra omnem poteſtatem, & principatum, &c.* Hanc concluſionem defendunt *D. Th. Catharinus, Valētia, Viguerius, Ricardus, Ruptus, Lyra, & Carthuſianus, quos citant communiter, & ſequūtur, præſertim Vazq. diſp. 215.c.1.n.1. & Suar. lib.5.c.6.n.9.*

75 Oppoſitum tamen docent *Alenſis 2.p.q.26.memb.1. & Gab. in 2.d.9.q.2.art.5. dub.4.* quatenus aſſerūt, aliquib⁹ ſolū Angelis revelatū fuiſſe myſterium hoc, nō quidē in inſtanti creationis, ſed cōfirmationis in gratia. Pro qua ſententia prædicti Suar. & Vazq. citant diverſa Patrū teſtimonia. Primū eſt D. Hier. *l.6. in magnis cōmētarijs epiſt. ad Eph.* in verba illa *c. 3. Myſterij abſconditi à ſæculo*, vbi docet Hieron. eſſe ſermonem de myſterio Incarnationis; & vocari abſconditū à ſæculis: quia *illud ignorarunt omnes ſpirituales, & rationale*

nales creaturæ. Item ad verba illa; *vt innotesceret Principibus* docere videtur, ex prædicatione huius misterij facta in Ecclesia didicisse Angelum multiplicem sapiẽtiam Dei. Item verba illa *Ps. 23. Quis est iste Rex gloriæ?* necnon & illa *Isaiæ 63. Quis est iste, qui venit de Edom?* tribuit Hieronymus Angelis, qui mirantes Christi mysterium interrogabant *Quis est iste Rex gloriæ?* Idem sentiunt *D. Ambrosius, Dionysius, Basilius, & alij Patres citati à prædictis Suar. ibi n. 8. & Vazq. à n. 3.*

76 Ex qua Patrum doctrina sic argumentãtur contra nostrã conclusionem. Angeli interrogabant de hoc mysterio: ergo signum est, illis non fuisse revelatum. Respondetur Apostolum ibi loqui de circunstantia *quid.*, non autem de substantia Incarnationis. Itaque noverunt Angeli omnes tàm boni, quàm mali, (sine fundamento enim fit aliqua inter vtrosque distinctio) dum erant viatores, per revelationem mysterium Incarnationis. Quos autem fructus divina sapientia præordinarat per illud mysterium, noverunt per Ecclesiam, seu per prædicationem ministrorum Ecclesiæ. Qua distinctione facilè cõciliantur Patres. Qui enim concedunt Angelos cognovisse Incarnationem, loquuntur de substantia illius: Qui verò expresse negant, loquuntur de aliquibus circunstantijs, quas per scientiam experimentalem cognoverunt.

77 Adde, verba illa, *Quis est iste, qui venit de Edom? Isaiæ 63.* nec non & illa, *Quis est iste Rex gloriæ? Ps. 23.* esse quidem interragationem Angelorum factam ab inferioribus ad superiores secundùm Ambrosium *lib. 4. de fid.*; vel factam ab omnibus; non tamen ortam ex ignoratia, sed ex admiratione; vt D. Augustinus *serm. 178. de tempore* interpretatur prędicta verba *Ps. 23.* & Cyrillus verba *Isaiæ 63.*

78 Notat benè Vazquez *ibi num. 10.* in nulla sententia dici posse, Angelos ignorasse hoc mysterium vsque ad tempus, in quo fuit executum. Quia illud noverunt quoad substantiam saltem ex quò, ministerio Angelorum illuminati Prophætæ illud prædixerunt: & Gabriel Archãgelus gloriosissimæ Virgini illud nuntiavit. Et demum ex custodia hominum in ordine ad salutem per Christum consequendam.

DVBIVM IX.

79 PEtes nonò, quid dicendum sit de Angelis malis, seu dæmonibus postquàm amiserunt statum viæ, & fuerunt in statu damnationis? Respondetur cum Lorca *tract. de Angelis disp. 2. q. 6. in finem* eos non habere fidem supernaturalem

lem mysteriorum, quæ per fidē seu revelationem cognoverunt in via. Quia expoliati fuerunt omni dono gratuito. ¶ Dices; quòd *dæmones credunt, & contremiscunt Iacobi 2, num. 20.* ergo habent fidem supernaturalem. Respondetur negando consequentiam: loquitur enim de fide naturali, & acquisita; quam habent de aliquibus mysterijs: vt docet Aug. 9. *de Civit. c. 21.*

80 De dæmonibus solet etiā quæri, an certò cognoverint adventū Christi Domini? Circa quā dubitationē tria dicēda sunt cū eodē Lorca, & communissima sententia. Primum est, quòd diabolus fuit impeditus à cognitione; aliquorum circa adventum Christi Domini, & circa eius dignitatē, & fructū eius adventus, speciali Dei providētia. Ita Scot. *in 4. d. 10. q. 8. §. Ad argum. vers. Ad tertium* & cōmuniter Theologi. Sumitur ex illo Aug. 9. *de civitate c. 21. Christus tantum innotuit diabolo, quantum voluit, & tantum voluit, quantum oportuit.* Et ratio est, quia sic expediebat, ne diabolus moliretur impedire eius executionem. ¶ Dices: etiamsi diabolus certo cognosceret adventum Christi Domini, & fructum, qui proventurus erat ex eius morte, & propterea moliretur eius mortem impedire, poterat Deus eius media frustrare: ergo ex hoc capite non est dicēdum, illi fuisse occultatum adventum Christi Domini. Respondetur negando consequentiam. Cùm enim Deus semper omnia suaviter disponat, eligit medium facilius, quale fuit, impedire conatum diaboli impediendo notitiam adventus; quoniam, si semel eius adventum certò cognovisset, numquam cessaret impedire eius mortem.

81 Notat autem præcitatus Lorca, quòd impedita est notitia dœmonis non solùm per substractionem cōcursus, sed etiam per effectionem aliquorum effectuum, qui occultarent Christi Domini divinitatem; & divertendo mentem dœmonis, ne consideraret eos, qui talē divinitatem manifestarent. Qua ratione in homilia, quæ legitur in vigilia nativitatis dicitur, partum immaculatum Virginis occultatum fuisse diabolo per despōsationem, qua Beatissima Virgo nupsit Iosepho.

82 Secundò dicendum est, quòd, postquam Christus Dominus prædicavit, & fecit signa, & miracula in confirmationē suæ doctrinæ, diabolus cognovit esse Christum, & verum filium Dei. Hæc est communis Patrum sententia. Et constat ex Evangelio *Marci 1. & 5. Lucæ 4. & 8. & Matth. 8.* in quibus locis dœmones confessi sunt, Christum Dominum esse sanctum Dei, in lege promissum, & filium altissimi. ¶ Dices, diabolum protulisse

hęc

nem de Christo Domino; cognoscerent, in quam, & quòd erat Messias in lege promissus; immo & quòd erat Dei filius, seu habebat divinitatem.

86 Ex quibus constat, quòd D. Hieronymus, & alij Patres *num.* 83. relati, qui dœmonibus negant certam cognitionem de Christo Domino, quasi implicitè dicunt, eos speciali Dei providentia fuisse impeditos, ne eũ cognoscerent; & sic molirentur impedire fructus, quos eventuros timerent ex eius adventu. Divus tamen Ambrosius, & alij Patres ibidem citati, qui dicunt, dœmones certò cognovisse Christum Dominum, interdunt declarare, dœmones habuisse sufficiens principium cognoscẽdi Christum Dominum ex miraculis, scripturis, & alijs circunstantijs. Et fortè etiam tunc poterit applicari doctrina *num.* 76. Quare fortè possunt prædicti Patres cocordari dicendo, illos, qui negant, dœmones cognovisse Christũ, loqui de fructo eius passionis, vel de aliquibus circumstantijs. Qui vero affirmãt, dœmones cognovisse Deum, loquuntur de impletione promissionis divinæ circa advẽtum Christi Domini.

87 Tertiò dicendum est, quòd occultata fuit dœmoni circumstantia mortis in redemptionem generis humani, antequam facta fuit. Iuxta illud *prima ad Chorint.* 2. *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quod de dœmonibus intelligunt aliqui. Et quamvis intelligatur de Principibus Iudæorum, facit ad rem: cùm isti instinctu, & suggestione dœmonum crucifixerint Christum Dominum. Igitur cùm dœmones etsi certissimè cognovissent, Christum Dominum esse filium Dei, (ignorato fructu eius mortis) ex odio contra ipsum, & nos, procurassent eius mortem; secus autem si cognovissent fructum eius passionis, nempe hominem per illam liberandum esse ab eorum servitute: clarè colligitur, quod ignorarunt circumstantiam eius mortis in redemptionem generis humani.

DVBIVM X.

88 PEtes decimò, an Angelus naturaliter cognoscat omnia possibilia? Respondetur negativè cum communissima sententia. De quo videantur Recentiores, præsertim Suarez *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 1. Pro clara autẽ huius decisione suppono, quòd duobus modis potest aliquid cognosci. Primò per speciem sui. Secũdò in alio priùs cognito. Quare in duplici sensu potest hoc dubiũ exagitari. Primò an Angelus habeat species & cõsequẽter cognitionẽ omnium possibiliũ, quę nũquã erunt. Secundò

rum, si loquamur de speciebus producendis ab ipsa re possibili: falsam autem de speciebus, quas Deus producere potest.

92 Obijcitur secundò: non repugnat, poni in Angelo cognitionem omnium possibilium: sed hæc conducit ad eius perfectionem: ergo est illis tribuenda. Respondetur distinguendo maiorem; est enim vera de potentia absoluta: falsa autem de naturali rerum ordine: & ideo negatur consequentia. ¶ Contra: de naturali rerum ordine potest poni in Angelo habitus scientialis, in quo in actu primo repræsententur omnia obiecta intelligibilia: Sed, illo posito, nō sunt necessariæ species: ergo sine recursu ad potentiam absolutā potest Angelo concedi cognitio omnium possibilium. Respondetur negando totum: habitus enim quicumque se tenet ex parte potentiæ: & consequenter nullus potest repræsentare obiectum. Quare, gratis admisso illo habitu scientiali, requirerentur singulæ species ad repræsentandum singula obiecta. Recolantur dicta difficultate præcedenti *num.* 14.

93 Sed contra secundam conclusionem obijcitur: cognita causa comprehensivè, cognoscit Angelus omnes effectus possibiles illius: ergo cognoscit omnia possibilia, cognitis illorum causis. Respondetur distinguendo antecedens: est enim verum de cognitione confusa: & falsum de distincta. Itaque ad comprehendendum aliquam causam non est necessarium, quòd distinctè cognoscantur omnes effectus, quos ipsa potest producere: sed sufficit, quòd omnes illos attingat confusè; qua ratione continentur in causa illa, seu in virtute producendi illos: & ideo ista virtus cognita manet perfectè, & comprehēsive, cognitis illis cōfusè tantùm. Sicuti potentia visiva perfectissimè attingit continuum attingendo confusè tantum infinita indivisibilia, & partes proportionales illius.

94 Adde, quòd, etsi concedamus, ad comprehensivè cognoscendum causam esse necessarium, distinctè cognosci omnes effectus possibiles illius: & è contra, quòd ad comprehensivè cognoscendum aliquem effectum erat necessarium, distinctè cognoscere omnes causas possibiles illius, seu à quibus ille effectus poterat provenire, adhuc non sequeretur, Angelum cognoscere naturaliter omnia possibilia. Tum, quia non concederemus, illum comprehendere aliquam causam, vel effectum, ne concederemus, illum actu cognoscere infinita: sunt enim infiniti effectus, qui à quacumque causa possunt proveni-

re: ſicuti & cuiuſcumque effectus poſſunt eſſe inffinitę cauſæ. Tùm etiam, quia non concedimus, quòd Angelus cognoſcat omnes cauſas, aut effectus poſsibiles, quæ numquā erunt.

DVBIVM. XI.

95 PEtes vndecimò, an Angelus naturaliter cognoſcat futura? Respond. ſub diſtinctione: quia poſſumus loqui de cognitione futuri per proprias ſpecies. Aut de cognitione futuri in ſua cauſa. Quare.

96 Dico primò: nullum futurum cognoſcit naturaliter Angelus per proprias illius ſpecies. Ita communiſsima ſententia. In reddendo autem rationem maximè inſudant Thomiſtæ: eſt enim difficile intellectu; quomodo Angelus non cognoſcat futurū per proprias ſpecies, ſuppoſito, quòd de illo habet ſpecies (ſecundū ipſos) à principio ſuæ conditionis. Nos autē Scotiſtæ facilē huius aſsignam⁹ rationem. Dicimus enim, ideo Angelū non cognoſcere futurū; quia etſi in ſua creatione acceperit ſpecies rerū vniverſaliū, ſpecies tamen rerū ſingulariū accipit à rebus ipſis exiſtentib⁹: ſed à futuro nō poteſt accipere ſpecies: ergo nequit cognoſcere futurum per proprias ſpecies. Cōſequētiá eſt legitima: maior cōſtat ex dictis *diff.3. à n.61*. minor eſt certa: quippè illud, quod actu nō exiſtit nequit mittere ſpeciē ſui: cū miſſio iſta ſit in genere cauſæ efficiētis; ad cuius cauſalitatem requiri actualem exiſtentiam cauſæ ſuppono *ex 2. Phyſicorum*.

97 Dico ſecūdò: nullū futurū liberū cognoſcit naturaliter Angel⁹ per ſuas cauſas. Quia cauſa hui⁹ futuri eſt liberū arbitriū: ſed hęc cauſa eſt indifferens, & indeterminata ad ponēdū futurū, & ad illud nō ponēdū: ergo ex vi cognitionis huius cauſæ nō poterit magis cognoſci futurū, quā non futurū. In hanc cōcluſionē cōſpirāt Patres, & Theologi, immo & hæretici; præcipue legatur Vazq. *diſp.208.c.1.* Immo eſſe de fide exiſtimāt multi propter expreſſa Scripturæ teſtimonia. *Iſaiæ* enim 41. dicitur: *Annūciate, quæ vētura ſunt infuturū; & ſcimus, quia Dij eſtis vos: & c.46. Ego ſum Deus: & nō eſt vltra me Deus; nec ſimilis mei, annūtians ab exordio noviſsima, & ab initio, quæ nōdū facta ſunt.* Ego tamē his, & ſimibus teſtimonijs non nimis fido ad probandū, hāc cōcluſionē eſſe de fide: quia in eis nō determinatur ſermo ad futura libera potiùs, quā ad nō libera: vt notat Piloſus *diſp.12. art.11. num.4.*

98 Dices cōtra hāc cōclſionē, quòd dœmones aliquādo prædicunt effectus liberos. Reſp. caſu evenire, ſicut prædicūt. Verum eſt, quòd lōgæva experientia & ſimul certa ſciētia cognoſcētes

par-

particulares hominū inclinationes, certioribꝰ conie&ctiturs dicūtur, quā alij homines. Absolutè tame futura libera in suis causis non cognoscunt evidenter.

99 Dico tertiò: Angelus naturaliter cognoscit futurū, quod necessariò connectitur cum sua causa cognoscendo illam. Quia comprehendit prædictam causam, necnon & alias causas naturales, à quibus potest impediri: ergo, quando cognoscit, talem causam non esse impediendā, evidenter deducit ex cognitione causæ non impeditæ, vel non impediendæ cognitionē effectus futuri. Quare evidenter cognoscit eclipsim, pluvias, tēpestates futuras & alia, huiusmodi: vt passim dicunt Patres, & Astrologi Hanc conclusionē defendunt noster Alensis *2. p. q. 26. memb. 4. Albert. Mag. Durand. Marsilius & Thom. Argentina, quos refert, & sequitur Vazq. disp. 207. c. 2. n. 4. Suar. lib. 2. c. 9. n. 7. & multi alij recentiores.*

100 Sed oppositum defendunt D. Bonav. *in 2. d. 7. p. 2. art. 1. q. Dionys. Cartus. Ægidius. & Hervaeus.* Et pro ipsis etiam citantur *D. Th. Ricardus, & Ferrara,* quamvis Vazq. *ibi n. 2.* dicat, non satis constare, quòd defendant istam sententiā. Sed, quidquid de horum mente sit, contra hanc nostram tertiam conclusionē obiicitur: quicūque ille effectus est impedibilis à Deo per substractionē concursus, & alijs multis modis: sed non potest naturaliter cognosci ab Angelo (quomodocūque sit disposita causa in actu primo, & antequam operari incipiat) talem effectum non esse à Deo impediendum: ergo ex comprehensione omnium causarum naturalium, quæ concurrere debent ad productionem alicuius effectus nequit Angelus evidenter cognoscere talem effectum. Resp. ita esse; nec contra nos, qui solùm loquimur in casu, quod Deus talem effectum non impediat.

101 Obijcitur secundò illud *Sap. 8. Deus scit signa, & mōstra, antequam fint, & eventus temporum, & seculorum:* ergo proprium est Dei scire effectus necessarios, antequàm fint. Resp. cum Vazquez *c. 3. n. 12.* ibi non esse sermonem de sapiētia increata, sed de creata; quam semper amasse affirmat Sapiens. Et de hac dicit cognoscere monstra, scire præterita, & de futuris æstimare eodē enim num. 8. sic prædixerat: *Scit præterita, & de futuris æstimat*; ea dumtaxat ratione, qua homini in hac vita permissum est. Resp. secundò (admisso, quòd ibi sit sermō de sapiētia increata, seu de Deo) negando consequentiam quia ibi non assignatur, vt proprium Dei in quarto modo, (vt dicunt Logici) seu taliter, quod nō possit creaturæ convenire scire futura: alioqui etiā posset dici esse

turalis, quam Angelus naturaliter elicit media prædicta specie, absolutè est vocanda naturalis: cum in sua substantia talis sit; & solùm secundùm quid dicatur supernaturalis, nempe ex eo quòd attingit ens supernaturale.

65 Ex dictis *á numero* 48. constat, Angelum suis viribus relictum posse cognoscere, immo & de facto cognoscere aliqua mysteria gratiæ, seu entia supernaturalia: restat ergo, vt explicemus, quænam sint ista, quæ cognoscit: & quæ sint, quæ eius cognitionem latent. Igitur cùm pro probatione conclusionis *numero* 48. positæ dixerimus, omne ens limitatum, & non dicens ordinem ad illimitatum, aut ad voluntariè movens, esse obiectum proportionatum intellectui Angeli: (immo & hominis degentis extra hunc statum: vt notabamus *numero* 49.) hinc dicendum est, Angelum cognoscere de facto viribus naturæ quodcumque tale ens limitatum iam positum in esse, nisi aliàs à Deo propter specialem rationem impediatur; non autem cognoscere, aut cognoscere posse naturaliter aliquod ens dicens ordinem ad ens illimitatum.

66 Vnde infertur in speciali, Angelū de facto nō cognoscere naturaliter secreta cordiū. Quia etsi sint obiecta sibi proportionata, illorum cognitio impeditur à Deo: vt constat ex dictis *á numero* 17. Oppositum tamen est dicendum ab illo, qui vellet assentiri aliquibus (etiam Scotistis) dicentibus, Scotum affirmare, solùm Angelum malum de facto esse impeditum à cognitione secretorum cordium. Pro quo recolantur dicta *á numero* 27.

67 Infero secundò, Angelum naturaliter non cognoscere, immo neque posse cognoscere mysterium Trinitatis, aut Deū quidditatiuè. Quia est ens illimitatum. Secundò, quia Deus omnia operatur ad extra liberè: & consequenter voluntariè movet quemcumque intellectum creatum ad cognitionem sui: vt *num.* 57. dicebamus. Et aliàs nullum creatum est medium præcognitum respectu Dei: cum enim in nullo creato contineatur eius esse, seu entitas, nullū creatum potest continere eius cognoscibilitatem, tamquam medium præcognitum.

68 Infero tertiò, Angelū naturaliter non posse cognoscere mysterium Incarnationis. Quia tale mysterium nequit intuitivè cognosci, quin cognoscatur intuitivè terminatio, qua Verbum Divinum personalizat illam humanitatē; sed prædictam terminationem nequit Angelus cognoscere naturaliter: (sicut enim Deus voluntariè movet

ad

ad cognitionem sui: ita Deus terminans illam naturam, non naturaliter, sed voluntariè movet ad sui cognitionē) ergo neq; ipsam vnionē hypostaticam, aut mysterium Incarnationis: vt dicebamus *n.* 57.

69 Infero quartò, Angelum naturaliter non cognoscere adæquatè & cōplerè gratiam sanctificantem, habitum fidei, spei, & charitatis, & cuncta opera iusti elicita ex inclinatione gratię inhærentis. Quia omnia ista sunt media ad consequendum vitam æternam, non ex natura rei; & vt entitates de genere qualitatis sunt præcisè; sed simul ex speciali acceptatione, seu dispositione divina: (vt docet Scotus *q. 1. prologi §. & versic. Ad argumentum, & quodl. 17. in fine*) sed talem acceptationem, aut dispositionem nequit Angelus cognoscere naturaliter: ergo neque, adæquatè gratiam sanctificantem, &c. Monor constat: nullum enim est principium in tota serie naturæ, ex quo possit evidenter deduci talis dispositio: ista enim activè est actus existens in Deo: passivè autem est denominatio extrinseca relicta in re, quæ dicitur disposita, aut acceptata: quæ denominatio cùm in re denominata nihil reale sit, non potest mittere speciem sui, aut movere potentiã aliam ad sui cognitionem. Igitur cognoscit Angelus viribus suis physicas entitates habituum fidei, spei, & charitatis, seu gratiæ sanctificantis, (sive gratia, & charitas distinguantur realiter, sive solùm formaliter) & omnium actuum ab his habitibus procedentium; eorum tamen acceptationem, aut dispositionē passivam nequeũt cognoscere intuitive, immo neque abstractivè evidenter. Adde, quòd actus non cognoscit, liberos: vt statuimus *à num.* 42. Insuper adde neque cognoscere ex quo motivo, aut fine elicianrur: vt dicebamus cum Hervæo *num.* 29.

70 Infero quintò, Angelum naturaliter cognoscere modũ supernaturalitatis, quãdo ille modus est physicus: secus autem quando est moralis, seu denominatio extrinseca v. g. restituitur miraculosè visus cæco: ille modus vocatur à multis modus physicus supernaturalis: & hunc dicimus cognoscere Angelum, dum actualiter existit, nempe pro illo instanti, seu brevissimo tempore, quo durat effectio miraculi. Item in actu supernaturali, qui procedit ab habitu fidei, spei, &c. relinquitur quidam modus supernaturalis. (in sentētia illorum qui dicunt, actus, qui procedunt ab habitibus per se infusis, non esse supernaturales quoad substantiam, sed solùm quoad modum) Qui modus etsi secundùm Scotum *in* 1. *dist.* 17. §. *Ad solutionem versic. Dico igitur,*

tur sit quædam ordinatio passiva, (proveniens à voluntate divina specialiter ordinante illum actum ad vitam æternam; seu tamquam de condigno meritorium vitæ æternæ) à qua ille actus dicitur acceptabilis Deo: & consequenter est modus moralis, & ab Angelo naturaliter incognoscibilis. Tamen secũdùm alios est modus physicus, qui remanet in actu: & consequenter erit ab Angelo naturaliter cognoscibilis: cùm sit entitas suæ potentiæ intellectivę proportionata existens extra causas & intra sphæram suæ cognoscitivæ potentiæ: vt suppono.

DVBIVM VI.

71 Petes sextò, an Angelus per revelationem noverit aliqua? Respondetur affirmativè. Quia conducit ad illius excellentiam, vt per revelationem cognoscat illa, vel aliquot illorum, quæ alio modo cognoscere non potest.

72 Hinc infero cum communissima sententia, Angelo iam Beato fuisse revelata omnia illa mysteria, de quibus habuit fidem, dum era in via. Quia hoc conceditur hominibus Beatis; iuxta illud 1. *ad Chorint.* 13. *videmus nunc per speculum; tunc autem facie ad faciem*: ergo non est negãdũ Angelo Beato. ¶ Contra, quòd Scot. *in* 4. *d.* 10. *q.* 8. *versic. Tertia conclusio* docet, quòd *intellectus beatus nullo modo per actum beatificum videt corpus Christi in Eucharistia*: sed homo viator habuit fidem huius mysterij: ergo falsum est, hominẽ viatorem videre in statu beatitudinis omnia mysteria, quorum fidem habuit in via: & consequenter hoc erit falsum de Angelo. Respond. negando consequentiam: ad summum enim sequitur, hominem beatũ non videre corpus Christi Domini in Eucharistia ipsomet actu beatifico, quo videt essentiã divinam: non tamẽ sequitur, quòd illud non videat alio actu distincto. Sed quoniam Scot. *in* 1. *d.* 1. *q.* 2. §. *& versic. Modus ponendi, & in* 3. *d.* 14. *q.* 2. §. *& versic. Potest dici* affirmat, beatum eodem actu videre essentiã divinam, & creaturas: ideo dicendum est, Scotũ intendere, quòd visio corporis Christi in Eucharistia (sicuti neque alterius mysterij, Trinitatis fortè excepto) nõ est Beato necessaria ad hoc, vt sit Beatus; sed quòd ad hoc sufficit essentia divina. Quare concludit Scot. ibi: *ergo nullo modo obiectum beatificum, vt est tale, includit corpus Christi, vt visum in Eucharistia.*

DVBIVM VII.

73 Petes septimò, an Angelus viator habuerit fidẽ Trinitatis? Respond. negativè. Quia habuit cognitionem evidentem, & claram, quamvis abstra-

ſtractivam, huius myſterij. Sed cum iſta non cohæret (ſaltem de lege ordinaria) cognitio per fidem: ergo illam non habuit. Minor eſt certa, & conſequentia legitima. Maiorem ſuppono ex dictis *c. 3. à num. 84* ſpecies enim illa divinæ eſſentiæ, quam ibi ſtatuimus fuiſſe communicatam Angelo viatori ſpecies eſt Trinitatis. Quãvis enim de poſsbili dabilis ſit ſpecies repræſentãs divinã eſſentiã ſine perſonis: (vt mihi probãt rationes, quibus Scotus, & Scotiſtæ cõcedimus, poſſe videri eſſentiam, non viſis perſonis. De quo legatur Scotus *in 1. d. 1. q. 2. §. Quantum ad tertium verſic. Dico*) de facto tamen non datur. Hinc conſtat, immeritò dixiſſe Vazq. *diſp. 215. c. 1.* indubitatum apud omnes eſſe, myſterium Trinitatis Angelis fuiſſe revelatum in via, nempe per fidẽ; vt ipſe intelligit. Hoc tamen quã falſum ſit, conſtat ex nuper dictis.

DVBIVM VIII.

74 PEtes octavò, an Angelus viator habuerit fidẽ Incarnationis? Reſpondetur affirmativè. Quia primi parentes in ſtatu innocentiæ habuerunt fidem huius myſterij: ergo & Angeli. Patet conſequẽtia: quia Angelus eſt excellentioris naturæ: ergo cognitio conceſſa homini propter perfectionẽ illius etiã eſt concedenda Angelo. Antecedens autem docent communiter, præſentim D. Th. quẽ citat, & ſequitur Vazq. numero præcedenti relatus *n. 1.* Quod & non obſcurè innuit illud *Geneſ. 2. Hoc nunc os ex oſsibus meis, &c.* quod *ad Epheſ. 5.* interpretatur Paulus: *Sacram entum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Secũdò probatur: quia Chriſtus non ſolùm eſt Caput hominum, ſed & Angelorum: ergo nõ ſolùm hominibus, ſed etiam Angelis viatoribus debuit revelari; vt ſic eũ Caput agnoſcerent, & venerarẽtur. Antecedens conſtat *ex c. 1. ad Epheſ. n. 22. ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam*; & præmiſerat, *ſupra omnem poteſtatem, & principatum, &c.* Hanc concluſionem defendunt *D. Th. Catharinus, Valẽtia, Viguerius, Ricardus, Ruptus, Lyra, & Carthuſiani, quos citant communiter, & ſequũtur, præſertim Vazq. diſp. 215. c. 1. n. 1. & Suar. lib. 5. c. 6. n. 9.*

75 Oppoſitum tamen docent *Alenſis 2. p. q. 26. memb. 1. & Gab. in 2. d. 9. q. 2. art. 5. dub. 4.* quatenus aſſerũt, aliquib⁹ ſolũ Angelis revelatũ fuiſſe myſterium hoc, nõ quidẽ in inſtanti creationis, ſed cõfirmationis in gratia. Pro qua ſententia prædicti Suar. & Vazq. citant diverſa Patrũ teſtimonia. Primũ eſt D. Hier. *l. 6. in magnis cõmẽtarys epiſt. ad Eph.* in verba illa *c. 3. Myſterij abſcõditi à ſæculo*, vbi docet Hieron. eſſe ſermonem de myſterio Incarnationis; & vocari abſconditũ à ſæculis: quia *illud ignorarunt omnes ſpirituales, & ratio-*

nale

nales creaturæ. Item ad verba illa; *vt innotesceret Principibus* docere videtur, ex prædicatione huius misterij facta in Ecclesia didicisse Angelum multiplicem sapiētiam Dei. item verba illa *Ps.* 23. *Quis est iste Rex gloriæ* ? necnon & illa *Isaiæ* 63. *Quis est iste, qui venit de Edom*? tribuit Hieronymus Angelis, qui mirantes Christi mysterium interrogabant *Quis est iste Rex gloriæ*? idem sentiunt *D. Ambrosius, Dionysius, Basilius, & alij Patres citati à prædictis Suar. ibi n.* 8. *& Vazq. à n.* 3.

76 Ex qua Patrum doctrina sic argumentātur contra nostrā conclusionem. Angeli interrogabant de hoc mysterio : ergo signum est, illis non fuisse revelatum. Respondetur Apostolum ibi loqui de circunstantia *quid.*, non autem de substantia Incarnationis. Itaque noverunt Angeli omnes tàm boni, quàm mali, (sine fundamento enim fit aliqua inter vtrosque distinctio) dum erant viatores, per revelationem mysterium Incarnationis. Quos autem fructus divina sapientia præordinarat per illud mysterium, noverunt per Ecclesiam, seu per prædicationem ministrorum Ecclesiæ. Qua distinctione facilè cōciliantur Patres. Qui enim concedunt Angelos cognovisse Incarnationem, loquuntur de substantia illius: Qui verò expresse negant, loquuntur de aliquibus circunstantijs, quas per scientiam experimentalem cognoverunt.

77 Adde, verba illa, *Quis est iste, qui venit de Edom? Isaiæ* 63. necnon & illa, *Quis est iste Rex gloriæ? Ps.* 23. esse quidem interragationem Angelorum factam ab inferioribus ad superiores secundùm Ambrosium *lib.* 4. *de fid.*; vel factam ab omnibus; non tamen ortam ex ignoratia, sed ex admiratione; vt D. Augustinus *serm.* 178. *de tempore* interpretatur prędicta verba *Ps.* 23. & Cyrillus verba *Isaiæ* 63.

78 Notat benè Vazquez *ibi num.* 10. in nulla sententia dici posse, Angelos ignorasse hoc mysterium vsque ad tempus, in quo fuit executum. Quia illud noverunt quoad substantiam saltem ex quò, ministerio Angelorum illuminati Prophetæ illud prædixerunt: & Gabriel Archāgelus gloriosissimæ Virgini illud nuntiavit. Et demum ex custodia hominum in ordine ad salutem per Christum consequendam.

DVBIVM IX.

79 PEtes nonò, quid dicendum sit de Angelis malis, seu dæmonibus post quàm amiserunt statum viæ, & fuerunt in statu damnationis? Respondetur cum Lorca *tract. de Angelis disp.* 2. *q.* 6. *in finem* eos non habere fidem supernaturalem

lem mysteriorum, quæ per fidē seu revelationem cognoverunt in via. Quia expoliati fuerunt omni dono gratuito. ¶ Dices; quòd *dæmones credunt, & contremiscunt Iacobi 2, num. 20.* ergo habent fidem supernaturalem. Respondetur negando consequentiam: loquitur enim de fide naturali, & acquisita; quam habent de aliquibus mysterijs: vt docet Aug. 9. *de Civit. c. 21.*

80 De dæmonibus solet etiā quæri, an certò cognoverint adventū Christi Domini? Circa quā dubitationē tria dicēda sunt cū eodē Lorca; & communissima sententia. Primum est, quòd diabolus fuit impeditus à cognitione; aliquorum circa adventum Christi Domini, & circa eius dignitatē, & fructū eius adventus, speciali Dei providētia. Ita Scot. *in 4. d. 10. q. 8. §. Ad argum. vers. Ad tertium* & cōmuniter Theologi. Sumitur ex illo Aug. 9. *de civitate c. 21. Christus tantum innotuit diabolo, quantum voluit, & tantum voluit, quantum oportuit.* Et ratio est, quia sic expediebat, ne diabolus moliretur impedire eius executionem. ¶ Dices: etiamsi diabolus certo cognosceret adventum Christi Domini, & fructum, qui proventurus erat ex eius morte, & propterea moliretur eius mortem impedire, poterat Deus eius media frustrare: ergo ex hoc capite non est dicēdum, illi fuisse occultatum adventum Christi Domini. Respondetur negando consequentiam. Cùm enim Deus semper omnia suaviter disponat, eligit medium facilius, quale fuit, impedire conatum diaboli impediendo notitiam adventus; quoniam, si semel eius adventum certò cognovisset, numquam cessaret impedire eius mortem.

81 Notat autem præcitatus Lorca, quòd impedita est notitia dœmonis non solùm per substractionem cōcursus, sed etiam per effectionem aliquorum effectuum, qui occultarent Christi Domini divinitatem, & divertendo mentem dœmonis, ne consideraret eos, qui talē divinitatem manifestarent. Qua ratione in homilia, quæ legitur in vigilia nativitatis dicitur, partum immaculatum Virginis occultatum fuisse diabolo per despōsationem, qua Beatissima Virgo nupsit Ioseph.

82 Secundò dicendum est, quòd, postquam Christus Dominus prædicavit, & fecit signa, & miracula in confirmationē suæ doctrinæ, diabolus cognovit esse Christum, & verum filium Dei. Hæc est communis Patrum sententia. Et constat ex Evangelio *Marci 1. & 5. Lucæ 4. & 8. & Matth. 8.* in quibus locis dœmones confessi sunt, Christum Dominum esse sanctum Dei, in lege promissum, & filium altissimi. ¶ Dices, diabolum protulisse

hæc

nem de ChristoDomino; cognoscerent, in quam, & quòd erat Messias in lege promissus; immo & quòd erat Dei filius, seu habebat divinitatem.

86 Ex quibus constat, quòd D. Hieronymus, & alij Patres *num.* 83. relati, qui dœmonibus negant certam cognitionem de Christo Domino, quasi implicitè dicunt, eos speciali Dei providentia fuisse impeditos, ne eũ cognoscerent; & sic molirentur impedire fructus, quos eventuros timerent ex eius adventu. Divus tamen Ambrosius, & alij Patres ibidem citati, qui dicunt, dœmones certò cognovisse Christum Dominum, interdum declarare, dœmones habuisse sufficiens principium cognoscẽdi ChristumDominum ex miraculis, scripturis, & alijs circunstantijs. Et fortè etiam tunc poterit applicari doctrina *num.* 76. Quare fortè possunt prædicti Patres cocordari dicendo, illos, qui negant, dœmones cognovisse Christũ, loqui de fructo eius passionis, vel de aliquibus circumstantijs. Qui vero affirmãt, dœmones cognovisse Deum, loquuntur de impletione promissionis divinæ circa advẽtum Christi Domini.

87 Tertiò dicendum est, quòd occultata fuit dœmoni circumstantia mortis in redemptionem generis humani, antequam facta fuit. Iuxta illud *prima ad Chorint.* 2. *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quod de dœmonibus intelligunt aliqui. Et quamvis intelligatur de Principibus Iudæorum, facit ad rem: cùm isti instinctu, & suggestione dæmonum crucifixerint Christum Dominum. Igitur cùm dæmones etsi certissimè cognovissent, Christum Dominum esse filium Dei, (ignorato fructu eius mortis) ex odio contra ipsum, & nos, procurassent eius mortem; secus autem si cognovissent fructum eius passionis, nempe hominem per illam liberandum esse ab eorum servitute: clarè colligitur, quod ignorarunt circumstantiam eius mortis in redemptionem generis humani.

DVBIVM X.

88 PEtes decimò, an Angelus naturaliter cognoscat omnia possibilia? Respondetur negativè cum communissima sententia. De quo videantur Recentiores, præsertim Suarez *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 11. Pro clara autẽ huius decisione suppono, quòd duobus modis potest aliquid cognosci. Primò per speciem sui. Secũdò in alio priùs cognito. Quare in duplici sensu potest hoc dubiũ exagitari. Primò an Angel⁹ habeat species & cõsequẽter cognitionẽ omnium possibiliũ, quę nũquã erunt. Secundò

nales creaturæ. Item ad verba illa; *vt innotesceret Principibus* docere videtur, ex prædicatione huius misterij facta in Ecclesia didicisse Angelum multiplicem sapiētiam Dei. Item verba illa *Ps.* 23. *Quis est iste Rex gloriæ?* necnon & illa *Isaiæ* 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?* tribuit Hieronymus Angelis, qui mirantes Christi mysterium interrogabant *Quis est iste Rex gloriæ?* Idem sentiunt *D. Ambrosius, Dionysius, Basilius, & alij Patres citati à prædictis Suar. ibi n.* 8. & *Vazq. à n.* 3.

76 Ex qua Patrum doctrina sic argumentātur contra nostrā conclusionem. Angeli interrogabant de hoc mysterio: ergo signum est, illis non fuisse revelatum. Respondetur Apostolum ibi loqui de circunstantia *quid.*, non autem de substantia Incarnationis. Itaque noverunt Angeli omnes tàm boni, quàm mali, (sine fundamento enim fit aliqui inter vtrosque distinctio) dum erant viatores, per revelationem mysterium Incarnationis. Quos autem fructus divina sapientia præordinarat per illud mysterium, noverunt per Ecclesiam, seu per prædicationem ministrorum Ecclesiæ. Qua distinctione facilè cōciliantur Patres. Qui enim concedunt Angelos cognovisse Incarnationem, loquuntur de substantia illius: Qui verò expresse negant, loquuntur de aliquibus circunstantijs, quas per scientiam experimentalem cognoverunt.

77 Adde, verba illa, *Quis est iste, qui venit de Edom? Isaiæ* 63. nec non & illa, *Quis est iste Rex gloriæ? Ps.* 23. esse quidem interragationem Angelorum factam ab inferioribus ad superiores secundùm Ambrosium *lib.* 4. *de fid.*; vel factam ab omnibus; non tamen ortam ex ignoratia, sed ex admiratione; vt D. Augustinus *serm.* 178. *de tempore* interpretatur prędicta verba *Ps.* 23. & Cyrillus verba *Isaiæ* 63.

78 Notat benè Vazquez *ibi num.* 10. in nulla sententia dici posse, Angelos ignorasse hoc mysterium vsque ad tempus, in quo fuit executum. Quia illud noverunt quoad substantiam saltem ex quò, ministerio Angelorum illuminati Prophetæ illud prædixerunt: & Gabriel Archāgelus gloriosissimæ Virgini illud nuntiavit. Et demum ex custodia hominum in ordine ad salutem per Christum consequendam.

DVBIVM IX.

79 PEtes nonò, quid dicendum sit de Angelis malis, seu dæmonibus postquàm amiserunt statum viæ, & fuerunt in statu damnationis? Respondetur cum Lorca *tract. de Angelis disp.* 2. *q.* 6. *in finem* eos non habere fidem supernaturalem

lem mysteriorum, quæ per fidē seu revelationem cognoverunt in via. Quia expoliati fuerunt omni dono gratuito. ¶ Dices; quòd *dæmones credunt, & contremiscunt Iacobi 2, num. 20.* ergo habent fidem supernaturalem. Respondetur negando consequentiam: loquitur enim de fide naturali, & acquisita; quam habent de aliquibus mysterijs: vt docet Aug. 9. *de Civit. c. 21.*

80 De dæmonibus solet etiā quæri, an certò cognoverint adventū Christi Domini? Circa quā dubitationē tria dicēda sunt cū eodē Lorca; & communissima sententia. Primum est, quòd diabolus fuit impeditus à cognitione; aliquorum circa adventum Christi Domini, & circa eius dignitatē, & fructū eius adventus, speciali Dei providētia. Ita Scot. *in 4. d. 10. q. 8. §. Ad argum. vers. Ad tertium* & cōmuniter Theologi. Sumitur ex illo Aug. 9. *de civitate c. 21. Christus tantum innotuit diabolis, quantum voluit, & tantum voluit, quantum oportuit.* Et ratio est, quia sic expediebat, ne diabolus moliretur impedire eius executionem. ¶ Dices: etiamsi diabolus certo cognosceret adventum Christi Domini, & fructum, qui proventurus erat ex eius morte, & propterea molíretur eius mortem impedire, poterat Deus eius media frustrare: ergo ex hoc capite non est dicēdum, illi fuisse occultatum adventum Christi Domini. Respondetur negando consequentiam. Cùm enim Deus semper omnia suaviter disponat, eligit medium facilius, quale fuit, impedire conatum diaboli impediendo notitiam adventus; quoniam, si semel eius adventum certò cognovisset, numquam cessaret impedire eius mortem.

81 Notat autem præcitatus Lorca, quòd impedita est notitia dœmonis non solùm per substractionem cōcursus, sed etiam per effectionem aliquorum effectuum, qui occultarent Christi Domini divinitatem; & divertendo mentem dœmonis, ne consideraret eos, qui talē divinitatem manifestarent. Qua ratione in homilia, quæ legitur in vigilia nativitatis dicitur, partum immaculatum Virginis occultatum fuisse diabolo per despōsationem, qua Beatissima Virgo nupsit Iosepho.

82 Secundò dicendum est, quòd, postquam Christus Dominus prædicavit, & fecit signa, & miracula in confirmationē suæ doctrinæ, diabolus cognovit esse Christum, & verum filium Dei. Hæc est communis Patrum sententia. Et constat ex Evangelio *Marci 1. & 5. Lucæ 4. & 8. & Matth. 8.* in quibus locis dœmones confessi sunt, Christum Dominum esse sanctum Dei, in lege promissum, & filium altissimi. ¶ Dices, diabolum protulisse hæc

nem de Christo Domino; cognoscerent, inquam, & quòd erat Messias in lege promissus; immo & quòd erat Dei filius, seu habebat divinitatem.

86 Ex quibus constat, quòd D. Hieronymus, & alij Patres *num*. 83. relati, qui dœmonibus negant certam cognitionem de Christo Domino, quasi implicitè dicunt, eos speciali Dei providentia fuisse impeditos, ne eũ cognoscerent; & sic molirentur impedire fructus, quos eventuros timerent ex eius adventu. Divus tamen Ambrosius, & alij Patres ibidem citati, qui dicunt, dœmones certò cognovisse Christum Dominum, interdum declarare, dœmones habuisse sufficiens principium cognoscẽdi Christum Dominum ex miraculis, scripturis, & alijs circunstantijs. Et fortè etiam tunc poterit applicari doctrina *num*. 76. Quare fortè possunt prædicti Patres cocordari dicendo, illos, qui negant, dœmones cognovisse Christũ, loqui de fructo eius passionis, vel de aliquibus circumstantijs. Qui vero affirmãt, dœmones cognovisse Deum, loquuntur de impletione promissionis divinæ circa advẽtum Christi Domini.

87 Tertiò dicendum est, quòd occultata fuit dœmoni circumstantia mortis in redemptionem generis humani, antequam facta fuit. Iuxta illud *prima ad Chorint*. 2. *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Quod de dœmonibus intelligunt aliqui. Et quamvis intelligatur de Principibus Iudæorum, facit ad rem: cùm isti instinctu, & suggestione dœmonum crucifixerint Christum Dominum. Igitur cùm dœmones etsi certissimè cognovissent, Christum Dominum esse filium Dei, (ignorato fructu eius mortis) ex odio contra ipsum, & nos, procurassent eius mortem; secus autem si cognovissent fructum eius passionis, nempe hominem per illam liberandum esse ab eorum servitute: clarè colligitur, quod ignorarunt circumstantiam eius mortis in redemptionem generis humani.

DVBIVM X.

88 PEtes decimò, an Angelus naturaliter cognoscat omnia possibilia? Respondetur negativè cum communissima sententia. De quo videantur Recentiores, præsertim Suarez *lib*. 2. *cap*. 13. *n*. 1. Pro clara autẽ huius decisione suppono, quòd duobus modis potest aliquid cognosci. Primò per speciem sui. Secũdò in alio priùs cognito. Quare in duplici sensu potest hoc dubiũ exagitari. Primò an Angelus habeat species & cõsequẽter cognitionẽ omnium possibiliũ, quę nũquã erunt. Secundò

rum, si loquamur de speciebus producendis ab ipsa re possibili: falsam autem de speciebus, quas Deus producere potest.

92 Obijcitur secundò: non repugnat, poni in Angelo cognitionem omnium possibilium: sed hæc conducit ad eius perfectionem: ergo est illis tribuenda. Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera de potentia absoluta: falsa autem de naturali rerum ordine: & ideo negatur consequentia. ¶ Contra: de naturali rerum ordine potest poni in Angelo habitus scientialis, in quo in actu primo repræsententur omnia obiecta intelligibilia: Sed, illo posito, nō sunt necessariç species: ergo sine recursu ad potentiam absolutā potest Angelo concedi cognitio omnium possibilium. Respondetur negando totum: habitus enim quicumque se tenet ex parte potentiæ: & consequenter nullus potest repræsentare obiectum. Quare, gratis admisso illo habitu scientiali, requirerentur singulæ species ad repræsentandum singula obiecta. Recolantur dicta difficultate præcedenti *num.* 14.

93 Sed contra secundam conclusionem obijcitur: cognita causa comprehensivè, cognoscit Angelus omnes effectus possibiles illius: ergo cognoscit omnia possibilia, cognitis illorum causis. Respondetur distinguendo antecedens: est enim verum de cognitione confusa: & falsum de distincta. Itaque ad comprehendendum aliquam causam non est necessarium, quòd distinctè cognoscantur omnes effectus, quos ipsa potest producere: sed sufficit, quòd omnes illos attingat confusè; qua ratione continentur in causa illa, seu in virtute producendi illos: & ideo ista virtus cognita manet perfectè, & comprehēsive, cognitis illis cōfusè tantùm. Sicuti potentia visiva perfectissimè attingit continuum attingendo confusè tantum infinita indivisibilia, & partes proportionales illius.

94 Adde, quòd, etsi concedamus, ad comprehensivè cognoscendum causam esse necessarium, distinctè cognosci omnes effectus possibiles illius: & è contra, quòd ad comprehensivè cognoscendum aliquem effectum erat necessarium, distinctè cognoscere omnes causas possibiles illius, seu à quibus ille effectus poterat provenire, adhuc non sequeretur, Angelum cognoscere naturaliter omnia possibilia. Tum, quia non concederemus, illum comprehendere aliquam causam, vel effectum, ne concederemus, illum actu cognoscere infinita: sunt enim infiniti effectus, qui à quacumque causa possunt proveni-

particulares hominũ inclinationes, certioribꝰ coniecturis dicũtur, quã alij homines. Absolutè tamẽ futura libera in suis causis non cognoscunt evidenter.

99 Dico tertiò: Angelus naturaliter cognoscit futurũ, quod necessariò connectitur cum sua causa cognoscendo illam. Quia comprehendit prædictam causam, necnon & alias causas naturales, à quibus potest impediri: ergo, quando cognoscit, talem causam non esse impediendã, evidenter deducit ex cognitione causæ non impeditæ, vel non impediendæ cognitionẽ effectus futuri. Quare evidenter cognoscit eclipsim, pluvias, tẽpestates futuras & alia, huiusmodi: vt passim dicunt Patres, & Astrologi. Hanc conclusionẽ defendunt noster Alensis 2. *p. q.* 26. *memb.* 4. *Albert. Mag. Durand. Marsilius & Thom. Argentina, quos refert, & sequitur Vazq. disp.* 207. *c.* 2. *n.* 4. *Suar. lib.* 2. *c.* 9. *n.* 7. *& multi alij recentiores.*

100 Sed oppositum defendunt D. Bonav. *in* 2. *d.* 7. *p.* 2. *art.* 1. *q. Dionys. Cartus. Ægidius. & Hervæus.* Et pro ipsa etiam citantur *D. Th. Ricardus, & Ferrara*, quamvis Vazq. *ibi n.* 2. dicat, non satis constare, quòd defendant istam sententiã. Sed, quidquid de horum mente sit, contra hanc nostram tertiam conclusionẽ obiicitur: quicũque ille effectus est impedibilis à Deo per substractionẽ concursus, & alijs multis modis: sed non potest naturaliter cognosci ab Angelo (quomodocũque sit disposita causa in actu primo, & antequam operari incipiat) talem effectum non esse à Deo impediendum: ergo ex comprehensione omnium causarum naturalium, quæ concurrere debent ad productionem alicuius effectus nequit Angelus evidenter cognoscere talem effectum. Resp. ita esse; nec contra nos, qui solùm loquimur in casu, quod Deus talem effectum non impediat.

101 Obijcitur secundò illud *Sap.* 8. *Deus scit signa, & mõstra, antequam fiant, & eventus temporum, & sæculorum*: ergo proprium est Dei scire effectus necessarios, antequàm sint. Resp. cum Vazquez *c.* 3. *n.* 12. ibi non esse sermonem de sapiẽtia increata, sed de creata; quam semper amasse affirmat Sapiens. Et de hac dicit cognoscere monstra, scire præterita, & de futuris æstimare eodẽ enim num. 8. sic prædixerat: *scit præterita, & de futuris æstimat*; ea dumtaxat ratione, qua hominiin hac vita permissum est. Resp. secundò (admisso, quòd ibi sit sermò de sapiẽtia increata, seu de Deo) negando consequentiam quia ibi non assignatur, vt proprium Dei in quarto modo, (vt dicunt Logici) seu taliter, quod nõ possit creaturæ convenire scire futura: alioqui etiã posset dici esse

dens causam naturalem, quæ iã operari intendit, cognoscit etiam illum effectum casualem, vel fortuitum, qui ex tali operatione eventurus est hic & nũc; quamvis aliàs generaliter loquẽdo fortè non possit cognoscere, antequam causa naturalis se applicet ad operandum, omnes eius effectus casuales, & fortuitos.

205 Respondetur tertiò, solùm loqui de effectibus, qui per se sequuntur ex causis naturalibus; non autem de illis, qui per accidens tantùm sequuntur, & præter intentionem causarum. Quare in forma, concessis reliquis omnibus distinguendum est vltimum consequens: solùm enim est verũ de effectibus illis, qui per accidens sequuntur ex causibus naturalibus: quos verum est non cognoscere Angelum: est autem falsum de effecti bus, qui per se sequuntur ex causis naturalibus: hos enim Angelus cognoscit in causa. Sicut ego cognosco, quòd ab igne applicato & non impedito sequetur combustio in materia disposita.

206 Obijcitur quintò, Scotus sæpe concedens, omnia creata prout distincta ab intrinsecis Dei, esse contingentia: ergo nullus creatus est necessarius: ergo neque certò potes ab Angelo cognosci. Pro antecedenti videatur Scotus *in 1. d. 38. & q. 4. prologi §. Secundus articulus, & alibi.* Respondetur distinguẽdo primũ cõsequens: solùm est enim verũ de necessario omnimoda necessitate: qualiter solus Deus & omnia intrinseca illi⁹ sunt necessaria. Est autẽ falsum de necessario, quod tale dicitur; eo quod hîc, & nunc ponendum est à causa, quæ non liberè, seu ex electione, sed necessariò, aut determinatè ad vnũ operatur. Quare negatur vltima consequentia: Angelus enim cõprehendens, illam causam hic & nunc à nulla causa naturali esse impediendam, certò scit, quòd (si aliàs à Deo non impediatur, vel per suspensionem cõcursus, vel alio modo) ponẽdus est effect⁹: & consequenter in prædicta causa antequã operari incipiat (cęteris omnib⁹ ad causandũ cõcurrentibus) præcognoscit evẽtum. Quem, adhuc his omnibus positis, non cognosceret in causa libera: quia ista in quacumque prioritate ante operationem est indifferens ad operandum, & non operandum.

DVBIVM. XII.

207 PEtes duodecimò, an Angelus naturaliter cognoscat præterita? Respond. sub distinctione: quia loqui possumus de re præterita, quam Angelus cognovit, quãdo actu existebat. Aut de re præterita quam An-

Angelus numquam novit. Quare dico primo ex convenientia Authorum: Angelus cognoscit illa præterita, quæ cognovit, quando actu existebant. Quia ista cognoscit homo: ergo & Angelus. Patet consequentia: quia Angelus est nobilioris naturæ, quàm homo: & quod cōceditur inferiori virtuti cognoscitivæ, non est denegandum superiori; vel saltem æquali.

208 Discordant tamen Authores in explicando, quod sit illud, per quod fiat in Angelo actualis memoria? Nobis tamen dicendū est cū Scoto *in 4.d.45. q. 3. §. Circa ista versic. Quartum, & §. & versic. Ad argumenta* quòd per cognitionem rei præsentis producitur in intellectu Angeli species impressa illius cognitionis, vt posteà per illam cognoscere posit, talem rem aliquādo fuisse. Quia non apparet, quomodò Angelus posit cognoscere visionem v. g. quam habuit de aliqua re, & à qua iam cessavit, nisi illa visio relinquat speciem impressam sui. Si enim ipsa visio perseveret, non poterit nunc repræsentare, vt præteritum, quod anteà repræsentabat, vt præsens. Species autem impræssa obiecti non repræsentat rem, vt cognitam: ergo per illam non potest Angelus cognoscere se cognovisse. Sic etiā philosophatur Suar. *lib. 2. c. 12. n. 9. citans Cumel. Pesantium, Marsilium, & Greg.*

209 Sed Vazq. *disp. 208. cap. 4. à n. 19.* & aliqui recentiores existimant, Angelum recordari præteritorum, seu cognoscere præterita per hoc, quòd intellectus Angeli apprehendat rē præteritam cum eisdem circumstantijs temporis, & loci, sub quibus antea cognita fuit. Ad quod secundùm Vazquez non requiritur species impressa præteritæ cognitionis: immo species obiectorum non esse necessarias in Angelo, vel saltem nullam rationem convincere in eo esse ponendas docet *disp. 200. c. 3. à num. 7.* vt diximus *difficultate praecedenti n. 16.* Sed quidquid sit de his, contra nostram cōclusionem, obijcies: cognitio v. g. præterita relinquit speciem sui in intellectu Angeli, vt posteà recordetur, seu cognoscat rem præteritam: ergo in Angelo sunt tot species impressæ, quot cognitiones in eo corrumpuntur. Resp. concedendo.

210 Dices primò contra hāc solutionem: ergo in Angelo ponendæ sunt infinitæ species impressæ. Patet: sunt enim infiniti actus intellectus, & voluntatis, qui in eo corrumpuntur. Respondetur ita esse; si verum est, esse numero infinitos actus intellectus, & voluntatis, qui in Angelo per totam æternitatem sunt corrumpendi. Sed ab hoc abstinendo, illud debet esse certum in nostra sententia nēpe tot spe-

species in Angelo esse admittendas, quot in ipso actus corrumpuntur.

211 Dices secundò contra prædictā soluntionem: hæc cognitio est minùs perfecta, quàm intuitiva: ergo non est admittenda in Angelo. Respondetur negando consequentiam: ponimus enim istam; quia Angelus nō potest alio modo cognoscere, se cognovisse tale obiectum. Sicut etsi cognitio facta per speciem impressam sit minùs perfecta, quàm illa, quæ fit, immediatè movente obiecto: vt cum Scoto notabamus *difficultate præcedenti n.* 41. ponimus tamen illam in Angelo; eoquòd cognitio abstractiva nequit aliter fieri, quā media specie impræssa.

212 Dices tertiò contra prædictam solutionem: species illa relicta ab actu præterito actualiter est in intellectu: ergo repræsentat rem præteritam, vt præsentem; vel saltem potest illam vt præsentem repræsentare: species enim ex se repræsentat rem, sive absentem, sive præsentem, sive existentem: vt cum Scoto notabamus *difficultate præcedenti num.* 24. Respondetur negando consequentiā: ad probationem dico, doctrinam illam Scoti pati hanc exceptionem ab omnibus admitendāad salvendum actum recordationis. Et ratio est, quòd quandiu cognitio v.g. actualiter perseverat in intellectu, ipsa cognoscitur sine specie impressa sui. Et ideo quādo intellectus cognoscit media specie impressa repræsentante cognitionem, clarè percipit intellectus, talem cognitionem nō esse tunc in intellectu, sed fuisse, & reliquisse speciem sui.

212 Dico secundò: Angelus nequit naturaliter cognoscere evidenter præteritum, quod non cognovit, quando existebat. Quia sine specie relicta ab obiecto existenti tempore præterito non habet Angelus medium cognoscendi, rem illam præterijsse: vt constat ex dictis *à num.* 208. secundò, quia sicut proprium est Dei, quòd eius intuitus terminetur ad futurum, ac si esset præsens; ita & quòd terminetur ad præteritum in se ipso, ac si esset præsens: ad vtrūque enim requiritur intuitus ambiens omnia tempora. Hanc conclusionem defendunt Auctores citati *num.* 108. pro prima conclusione; quibus adde Pilosum *disp.* 12. *art.* 10. *num.* 4.

214 Sed Vazq. *disp.* 208. *c.* 4. *à num.* 20. *&* *aliqui recentiores* oppositum huius conclusionis affirmant, & obiciunt: Angelus non eget speciebꝰ impressis, sed illi sufficit naturale lumē intellectꝰ cū terminatione ad obiectū: ergo benè potest intelligi, quòd percipiat obiectū præteritum, aliàs à se non cognitum. Patet cosequentia: quia si ad illud termi-

 netur

netur, cognoſcet illud. Reſp. negando antecedens propter dicta *difficultate præcedenti â num.3.*

¶ Obijciunt ſecundò multos Patres ſolùm negantes Angelis cognitionem futurorum: ergo exiſtimant cognoſcere præterita. Reſpondetur concedendo conſequentiam de præteritis, de quibus habuerunt notitiam: & negando de illis, quæ nūquam noverunt: de his enim militat eadem ratio, ac de futuris.

DVBIVM XIII.

215 PEtes tertiodecimò, an Angelus poſsit per ſpecies proprias cognoſcere præteritum, vt præteritum, quod aliàs non cognovit, quando exiſtebat? Reſpōdetur negativè. Quia nulla veritas contingens poteſt cognoſci per ſpecies. Sed Petrū peccaſſe v.g. eſt vel fuit contingens: ergo nequit cognoſci per ſpecies. Conſequentia eſt legitima: minor eſt per ſe nota. Maiorem docet Scotus *in 3. d. 14. q. 3. §. Ad quæſtionem verſic. Etſi dicatur.* Et ratio eſt, quòd ſpecies repræſentat obiectum abſtrahens ab omni differētia tēporis: quare ſpecies Petri v.g. ſolùm repræſentat Petrum quantum ad eius prædicata, & ad ſummum quantum ad eius individuationē, & exiſtentiam, cum quibus realiter identificatur eſſentia, nō autem quantum ad illius præteritionem ſpecies autem præteritionis ſolū repræſentat eſſentiā præteritionis, & ad ſummum eius individuationem, & exiſtētiam, cum quibus eſſentia præteritionis identificatur; nō autem repræſentat, quòd illa præteritio ſit Petri potiùs quàm alterius rei. Et ideo etſi intellectus Angeli ſit informatus ſpecie impreſſa, immo & expreſſa Petri, nec non & peccati præteriti; nullo fundamento poteſt coniungere illa duo extrema, nēpè Petrū, & peccatū præteritum: cū aliàs ſit certus, quòd extrema illa non connectuntur ex natura rei, ſed purè contingenter.

216 Eodem modo loquendu eſt de futuritione & præſentialitate. Quamvis enim in Angelo detur ſpecies repræſentans futuritionem, aut præſentialitatem realem; (quę conſequenter eſt allicuius rei) atque ſpecies repræſentans Petrum v.g. Angeli tamen intellectus informatus vtraque ſpecie non manet certus, quòd Petrus aliquando extiturus eſt, aut de facto exiſtit. Quia cum futuritio, aut præſentialitas; non conveniat Petro neceſſariò; ſed ſolùm contingenter; non habet fundamentum ad coniungendum futuritionem, aut præſentialitatem cum Petro. Hac ratione dicunt omnes, quòd poſita tota linea ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, qua cognovit Deus omnium rerum eſſentias, nec non

non & omnia, & singula individua posibilia; & consequenter, non solùm essentias futuritionis, præsentialitatis, & præteritionis; sed etiam hanc numero futuritionem (præsentialitatē, aut præteritionem) in esse posibili, qua Petrus post decretum de eius futuritione fuit futurus: (præsens, aut præteritus) nullum tamen futurū, præsens, aut præteritum cognovit ante decretū, quo decrevit (saltem conditionatè. vt dicunt defensores scientiæ mediæ.) coniungere futuritionem cum Petro, seu quòd Petrus esset futurus.

217 Similiter philosophandum est de re habēte iam actualem existentiam extra causas, si comparetur cum prædicato, quod cōtingenter convenit illi: de Petro v. g. comparato cum albedine. Quamquàm enim intellectus habeat species Petri, & albedinis, necnon, & coniunctionis, aut vnionis: non tamen potest certificari ex vi harum specierum de complexione albedinis cum Petro, seu quòd Petrus est albus: non alia ratione, nisi, quòd cōplexio illa est contingens: & consequēter sine fundamento coniungeret prædictas species.

218 Dices quòd Angelus habet speciem præteritionis, (futuritionis, præsentialitatis, albedinis, &c.) seu repræsentantem præteritionem, non vt sic, sed etiam hanc numero præteritionem Petri, seu concernentem Petrum: ergo habet fundamentum ad coniungendum illā cum Petro. Sed contra, quòd Angelus in sua conditione solùm accepit species naturarum vniversalium; singulares autem emendicat à rebus, quando existunt: vt diximus *diff. præcedenti à numero 62*. Sed, hoc omisso, falsū est, quòd ex vi speciei posit cognosci, quòd hæc numero præteritio (futuritio, præsentialitas, albedo, &c.) concernat, seu sit potiùs Petri, quàm alterius rei: cū æquè benè præteritio ista numero subsisteret cū alia re, ac subsistit cum Petro: sicuti albedo ista numero subsisteret in æquo, ac in Petro. Quare concernentia, seu coniunctio, quam de facto habet, est illi omnino accidentalis: & consequenter ex vi speciei impressæ, immo, & cognitionis ortæ ex prædicta specie cognosci non potest, quòd præteritio illa sit Petri, seu concernat potiùs Petrum, quàm aliam rem, quæ præterijt; idem dico de hac numero præsentialitate, futuritione, albedine, &c.

219 Ex dictis infertur, quòd præteritum, vt tale, solùm potest cognosci per actum memoriæ, seu recordationis (hanc vocat Scotus *num. 215.* citatus intuitionem imperfectā; eo quòd relicta est ex perfecta intuitione) ab illo, à quo, quando res rea-

proprium Deũ scire præterita: cùm ibi etiam dicatur quòd, *scit præterita.*

102 Obijcitur tertiò, D. Athanas. dicens *in libro quæstionũ quæstione 27. dæmones non cognoscere inundationem Nili, & pluviam.* Respondetur, solùm intendere id, quod dicebamus *num.* 100. nempe non posse cognoscere, an à Deo sit impediendus effectus futurus per suspensionem concursus, vel alijs modis. Sic etiã loquitur Augustinus 9. *de Civit. Dei cap.* 22. affirmans, futura temporalia meliùs ab Angelis bonis cognosci, qui non possunt decipi; quia illa vident in verbo, quã à malis, qui falli possunt, eò quòd solùm in causis illa vident. Intendit, (inquam) Angelos bonos habere omnimodam evidẽtiã futuri; quia in Verbo cognoscunt, Deum non denegaturum concursum, aut alio modo non impediturum effectum aliquẽ; cuius futuritionem non impediendam Deus ipsis monstrare voluerit.

203 Obijcitur quartò, quòd in quodam articulo Scholæ Parisiensis (quem referunt Ricardus & Dionysius, teste Vaz. *ibi n.* 3.) damnatur hæc propositio: *Nihil est à casu, & fortuna; sed omnia necessariò eveniunt:* ergo aliqua sunt à casu, & fortuna: ergo illa cog-cognosci non possunt ab Angelo. Sed ista sunt effectus naturales: ergo Angelus non cognoscit effectus, qui secuntur ex causis naturalibus. Resp. in primis ibi sermonem esse contra Vbiclesum, qui dicebat effectus provenientes à voluntate esse necessarios: & consequenter solùm ex hoc articulo potest inferri, Angelum non cognoscere effectus liberos.

204 Resp. secũdò cõcedendo primã consequentiã: in causis enim naturalibus fatemur casualẽ effectum, illũ scilicet, qui per accidens sequitur ab aliqua causa naturali. Qui effectus dicitur fortuitus, si per accidens sequatur, & præter intentionem causæ liberæ: v.g. inventio thesauri ab effodiente terram ad hauriendũ aquã, dicitur effectus fortuitus, & denominat effodientem fortunatũ. Inventio autem pabuli à bruto iter agente, nec quærente illud, dicitur effectus casualis. Vnde constat, quòd illa met causa effectus illius, quem causa per se intendit, & cum qua effectus casualis, aut fortuitus habet accidentalẽ coniunctionem, est, quẽ vocamus casum, & fortunam. Inter fortunam verò, & casum hoc versatur discrimen, quòd causa effectus fortunati, operatur libere; seu ex electione; secus autem causa effectus casualis. Igitur concessa prima consequentia, negatur secunda: quia Angelus comprehẽdens

dens causam naturalem, quæ iã operari intendit, cognoscit etiam illum effectum casualem, vel fortuitum, qui ex tali operatione eventurus est hic & nũc; quamvis aliàs generaliter loquẽdo fortè non possit cognoscere, antequam causa naturalis se applicet ad operandum, omnes eius effectus casuales, & fortuitos.

205 Respondetur tertiò, solùm loqui de effectibus, qui per se sequuntur ex causis naturalibus; non autem de illis, qui per accidens tantùm sequuntur, & præter intentionem causarum. Quare in forma, concessis reliquis omnibus distinguendum est vltimum consequens: solùm enim est verũ de effectibus illis, qui per accidens sequuntur ex causibus naturalibus: quos verum est non cognoscere Angelum: est autem falsum de effectibus, qui per se sequuntur ex causis naturalibus: hos enim Angelus cognoscit in causa. Sicut ego cognosco, quòd ab igne applicato & non impedito sequetur combustio in materia disposita.

206 Obijcitur quintò, Scotus sæpe concedens, omnia creata prout distincta ab intrinsecis Dei, esse contingentia: ergo nullus creatus est necessarius: ergo neque certò potes ab Angelo cognosci. Pro antecedenti videatur Scotus *in 1. d. 38. & q. 4. prologi §. Secundus articulus, & alibi.* Respondetur distinguẽdo primũ cõsequens: solùm est enim verũ de necessario omnimoda necessitate: qualiter solus Deus & omnia intrinseca illi⁹ sunt necessaria. Est autẽ falsum de necessario, quod tale dicitur; eo quod hîc, & nunc ponendum est à causa, quæ non liberè, seu ex electione, sed necessariò, aut determinatè ad vnũ operatur. Quare negatur vltima consequentia: Angelus enim cõprehendens, illam causam hic & nunc à nulla causa naturali esse impediendam, certò scit, quòd (si aliàs à Deo non impediatur, vel per suspensionem cõcursus, vel alio modo) ponẽdus est effect⁹: & consequenter in prædicta causa antequã operari incipiat (cęteris omnib⁹ ad causandũ cõcurrentibus) præcognoscit evẽtum. Quem, adhuc his omnibus positis, non cognosceret in causa libera: quia ista in quacumque prioritate ante operationem est indifferens ad operandum, & non operandum.

DVBIVM. XII.

207 PEtes duodecimò, an Angelus naturaliter cognoscat præterita? Respond. sub distinctione: quia loqui possumus de re præterita, quam Angelus cognovit, quãdo actu existebat. Aut de re præterita quam An-

Angelus numquam novit. Quare dico primo ex convenientia Authorum: Angelus cognoſcit illa prætetita, quæ cognovit, quando actu exiſtebant. Quia iſta cognoſcit homo: ergo & Angelus. Patet conſequentia: quia Angelus eſt nobilioris naturæ, quàm homo: & quod cōceditur inferiori virtuti cognoſcitivæ, non eſt denegandum ſuperiori; vel ſaltem æquali.

208 Diſcordant tamen Authores in explicando, quod ſit illud, per quod fiat in Angelo actualis memoria? Nobis tamen dicendū eſt cū Scoto *in 4.d.45. q. 3. §. Circa iſta verſic. Quartum, & §. & verſic. Ad argumenta* quòd per cognitionem rei præſentis producitur in intellectu Angeli ſpecies impreſſa illius cognitionis, vt poſteà per illam cognoſcere poſsit, talem rem aliquādo fuiſſe. Quia non apparet, quomodò Angelus poſsit cognoſcere viſsionem v. g. quam habuit de aliqua re, & à qua iam ceſſavit, niſi illa viſio relinquat ſpeciem impreſſam ſui. Si enim ipſa viſio perſeveret, non poterit nunc repræſentare, vt præteritum, quod anteà repræſentabat, vt præſens. Species autem impræſſa obiecti non repræſentat rem, vt cognitam: ergo per illam non poteſt Angelus cognoſcere ſe cognoviſſe. Sic etiā philoſophatur Suar. *lib. 2. c. 12. n. 9. citans Cumel. Peſantium, Marſilium, & Greg.*

209 Sed Vazq. *diſp. 208. cap. 4. à n. 19.* & aliqui recentiores exiſtimant, Angelum recordari præteritorum, ſeu cognoſcere præterita per hoc, quòd intellectus Angeli apprehendat rē præteritam cum eiſdem circumſtantijs temporis, & loci, ſub quibus antea cognita fuit. Ad quod ſecundùm Vazquez non requiritur ſpecies impreſſa præteritæ cognitionis: immo ſpecies obiectorum non eſſe neceſſarias in Angelo, vel ſaltem nullam rationem convincere in eo eſſe ponendas docet *diſp. 200. c. 3. à num. 7.* vt diximus *difficultate præcedenti n. 16.* Sed quidquid ſit de his, contra noſtram cōcluſionem, obijcies: cognitio v. g præterita relinquit ſpeciem ſui in intellectu Angeli, vt poſteà recordetur, ſeu cognoſcat rem præteritam: ergo in Angelo ſunt tot ſpecies impreſſæ, quot cognitiones in eo corrumpuntur. Reſp. concedendo.

210 Dices primò contra hāc ſolutionem: ergo in Angelo ponendæ ſunt infinitæ ſpecies impreſſæ. Patet: ſunt enim infiniti actus intellectus, & voluntatis, qui in eo corrumpuntur. Reſpondetur ita eſſe; ſi verum eſt, eſſe numero infinitos actus intellectus, & voluntatis, qui in Angelo per totam æternitatem ſunt corrumpendi. Sed ab hoc abſtinendo, illud debet eſſe certum in noſtra ſententia nēpe tot ſpe-

species in Angelo esse admittendas, quot in ipso actus corrumpuntur.

211 Dices secundò contra prædictā soluntionem: hæc cognitio est minùs perfecta, quàm in tuitiva: ergo non est admittenda in Angelo. Respondetur negando consequentiam: ponimus enim istam; quia Angelus nō potest alio modo cognoscere, se cognovisse tale obiectum. Sicut etsi cognitio facta per speciem impressam sit minus perfecta, quàm illa, quæ fit, immediatè movente obiecto: vt cum Scoto notabamus *difficultate præcedenti n.* 41. ponimus tamen illam in Angelo; eoquòd cognitio abstractivà nequit aliter fieri, quā media specie impræssa.

212 Dices tertiò contra prædictam solutionem: species illa relicta ab actu præterito actualiter est in intellectu: ergo repræsentat rem præteritam, vt præsentem; vel saltem potest illam vt præsentem repræsentare: species enim ex se repræsentat rem, sive absentem, sive præsentem, sive existentem: vt cum Scoto notabamus *difficultate præcedenti num.* 24. Respondetur negando consequentiā: ad probationem dico, doctrinam illam Scoti pati hanc exceptionem ab omnibus admitendāad salvendum actum recordationis. Et ratio est, quòd quandiu cognitio v.g. actualiter perseverat in intellectu, ipsa cognoscitur sine specie impressa sui. Et ideo quādo intellectus cognoscit media specie impressa repræsentante cognitionem, clarè percipit intellectus, talem cognitionem nō esse tunc in intellectu, sed fuisse, & reliquisse speciem sui.

212 Dico secundò: Angelus nequit naturaliter cognoscere evidenter præteritum, quod non cognovit, quando existebat. Quia sine specie relicta ab obiecto existenti tempore præterito non habet Angelus medium cognoscendi, rem illam præterijsse: vt constat ex dictis à *num.* 208. secundò, quia sicut proprium est Dei, quòd eius intuitus terminetur ad futurum, ac si esset præsens; ita & quòd terminetur ad præteritum in se ipso, ac si esset præsens: ad vtrūque enim requiritur intuitus ambiens omnia tempora. Hanc conclusionem defendunt Auctores citati *num.* 108. pro prima conclusione; quibus adde Pilosum *disp.* 12. *art.* 10. *num.* 4.

214 Sed Vazq. *disp.* 208. *c.* 4. *à num.* 20. *et aliqui recentiores* oppositum huius conclusionis affirmant, & obiciunt: Angelus non eget specieb⁹ impressis, sed illi sufficit naturale lumē intellect⁹ cū terminatione ad obiectū: ergo benè potest intelligi, quòd percipiat obiectū præteritum, aliàs à se non cognitum. Patet cosequentia: quia si ad illud termi-

non & omnia, & singula individua possibilia; & consequenter, non solùm essentias futuritionis, præsentialitatis, & præteritionis; sed etiam hanc numero futuritionem (præsentialitatē, aut præteritionem) in esse possibili, qua Petrus post decretum de eius futuritione fuit futurus: (præsens, aut præteritus) nullum tamen futurū, præsens, aut præteritum cognovit ante decretū, quo decrevit (saltem conditionatè. vt dicunt defensores scientiæ mediæ) coniungere futuritionem cum Petro, seu quòd Petrus esset futurus.

217 Similiter philosophandum est de re habēte iam actualem existentiam extra causas, si comparetur cum prædicato, quod cōtingenter convenit illi: de Petro v. g. comparato cum albedine. Quamquàm enim intellectus habeat species Petri, & albedinis, necnon, & coniunctionis, aut vnionis: non tamen potest certificari ex vi harum specierum de complexione albedinis cum Petro, seu quòd Petrus est albus: non alia ratione, nisi, quòd cōplexio illa est contingens: & consequēter sine fundamento coniungeret prædictas species.

218 Dices quòd Angelus habet speciem præteritionis, (futuritionis, præsentialitatis, albedinis, &c.) seu repræsentantem præteritionem, non vt sic, sed etiam hanc numero præteritionem Petri, seu concernentem Petrum: ergo habet fundamentum ad coniungendum illā cum Petro. Sed contra, quòd Angelus in sua conditione solùm accepit species naturarum vniversalium; singulares autem emendicat à rebus, quando existunt: vt diximus *diff. præcedenti à numero* 62. Sed, hoc omisso, falsū est, quòd ex vi speciei possit cognosci, quòd hæc numero præteritio (futuritio, præsentialitas, albedo, &c.) concernat, seu sit potiùs Petri, quàm alterius rei: cū æquè benè præteritio ista numero subsisteret cū alia re, ac subsistit cum Petro: sicuti albedo ista numero subsisteret in æquo, ac in Petro. Quare concernentia, seu coniunctio, quam de facto habet, est illi omnino accidentalis: & consequenter ex vi speciei impressæ, immo, & cognitionis ortæ ex prædicta specie cognosci non potest, quòd præteritio illa sit Petri, seu concernat potiùs Petrum, quàm aliam rem, quæ præterijt; idem dico de hac numero præsentialitate, futuritione, albedine, &c.

219 Ex dictis infertur, quòd præteritum, vt tale, solùm potest cognosci per actum memoriæ, seu recordationis (hanc vocat Scotus *num.* 215. citatus intuitionem imperfectā; eo quòd relicta est ex perfecta intuitione) ab illo, à quo, quando res rea-

222 Respond. secundò distinguendo consequens; de incõplexo, concedo, vel omitto: de complexo, nego. Itaque quamvis verum sit, quòd omne ens reale incõplexum (homo v. g.) sit cognoscibile per propriã speciem. Falsum tamen est, posse cognosci per propriam speciem ciem quodcũque ens complexũ: (homo albus v.g.) ista enim complexio, cùm sit accidentalis, non potest cognosci per species extremorum, immò neque vnionis: quia species Petri v.g. solùm repræsentat Petrum; species albedinis solùm repræsentat hanc numero albedinem; & species vnionis solùm repræsentat hãc numero vnionem: quòd autem hæc vnio actualiter cõpulet illa extrema, ex vi cognitionis huius numero vnionis nõ innotescit: sed solùm per intuitionem illi, qui realiter est præsens; vel per recordationem illi, qui fuit realiter præsens: vel per revelationem illi, qui nec fuit, nec est realiter præsens. Itaque fallit hæc consequentia: est ens? Ergo cognoscibile per propriam speciem: vt convincit instantia obiecti credibilis; quod, quatenus credibile, est ens; & tamen nequit cognosci per propriam speciem, sed per revelationem.

DVBIVM XIIII.

223 Petes quartodecimò, vtrùm Angelus naturaliter possit simul intelligere plura obiecta omnino disparata? Respondetur affirmativè. Quia hoc experimur in potentijs sensitivis, quæ sunt minùs perfectę, quàm intellectus præcipuè Angeli: ergo hoc non est denegandum Angeli intellectui. Antecedens constat in potentia visiva simul vidente album, nigrum, &c. In potentia imaginativa simul attingente multa disparata. Hanc conclusionem defendunt communiter, præsertim Pilosus *disp. 13. art. 4. num. 4. Vazq. disput. 220. c. 2. Valentia, Molina, Sotus, & Maior apud Suar. lib. 2. c. 37. n. 7.*

224 Sed Angelum non posse cognoscere simul plura, vt plura defendunt D. *Tho. 1. p. quæst. 58. art. 2. in corpore, & alibi, Caietanus, Ægidius, Capreolus, Ferrara, Herv. & alij Thomistæ citati à Suarez ibi.* Immerito tamen citat pro hac sententia Scotum *in 2. dist. 3. q. 9. §. Dico igitur vers. Responsio*, quia versiculus ille non est littera Scoti, sed additio. Et ideo Hugo Cauellus omisit illum. Immo, admisso, quòd ille versiculus esset litera Scoti, nihil inde probaretur contra nos: quia loquitur contra D. Thomam ex concessis ab ipso Angelico Doctore: vt notat Pilosus *ibi num. 5.* Sicut etiam loquitur *in 2. distinct. 5. quæst. 2. §. Respondeo vers. Arguitur etiam quarto*, dum dicit, quòd Angelus *in primo instanti non potuit simul multa intelligere*: argumentabatur enim ibi pro parte

te, quæ affirmat, Angelum in primo instante non potuisse peccare: cuius oppositum ipse constanter defendit §. *& ver fic. Teneo igitur.* Est autem adeo certum apud Scotistas, Scotum in his duobus locis non loqui ex propria sententia, vt multi citent ipsum pro nostra in prædictis locis.

225 Sed, his omissis, contra nostram sententiam obijciunt Thomistæ D. Augustinum 4. *de Genesi ad literam cap.* 32. qui postquam dixisset, Angelum facile posse plura cognoscere, subdit: *neque ideò tamen sine ordine, quo & apparet connexio præcedentium, consequentiumq; e causarum:* ergo sentit Angelũ solùm posse simul cognoscere ea, inter quæ est connexio vnius ad aliud. Respondetur negando consequentiam. Quia Augustinus ibi solùm vult declarare ordinem, quo obiecta debent cognosci ab Angelis Beatis: primò enim debent cognosci cognitione matutina, scilicet in Verbo; & secundò cognitione vespertina, nempè per proprias species. Etenim Augustinus ibi agebat, non de ordine obiectorum inter se, quæ ab Angelo simul cognoscuntur; sed de ordine cuiuscumque rei secundùm quod est in Verbo, & in seipsa; atque de ordine reperto inter cognitiones matutinã, & vespertinam; vt notat Vazquez ibi *num.* 18.

226 Obijciunt secundò Aristotelem 2. *Topicorum cap.* 4. dicentem: *Contingit, plura scire; cogitare autem non:* ergo licèt Angelus possit multa habitualiter scire; non tamen actualiter. Respondetur negando consequentiam: quia ly *contingit* declarat, hoc nõ esse necessarium, præcipuè in Angelis: de quibus non loquebatur. Respondetur secundò negando consequentiam: quia Aristoteles ibi solùm vult, quòd actualiter non ita perfectè cognoscuntur plura, ac si solùm vnum cognosceretur. Etenim ad quamcumque potentiam finitam extendendum est proloquium illud: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Quare cõmuniter reijciunt Ariminẽsem, qui *in 2. dist.* 11. *quæst.* 1. Existimat, Angelum ita perfectè cognoscere plura, ac si vnum tantũ cognosceret.

227 Obijciũt tertiò: nequit idem corpus diversis figuris simul figurari: ergo neque idem intellectus potest simul affici diversis intellectionibus. Probatur consequentia: quia intellectio est quædam figura, seu repræsentatio obiecti. Respondetur negando consequentiam, seu paritatem: quia quælibet figura corporalis est adæquatus terminus quantitatis; (saltem naturaliter, seu de potentia ordinata) figura autem intentionalis, seu species impressa, aut expressa non

non est adæquatus terminus intellectus: sicuti neque potentiæ visivæ, imaginativæ &c. cùm constet experientia, has potentias multas simul species tàm impressas, quàm expressas recipere. Constat verò experientia, nullam quantitatem pluribus figuris terminari.

228 Obijciunt quartò: idem subiectum nequit informari simul diversis formis substantialibus vltimis: ergo neque idem intellectus diversis cognitionibus rerum disparatarum. Respondetur negando consequentiam: quia quælibet forma substantialis vltima, seu disparata est adæquatus terminus materiæ: non autem quælibet intellectio est terminus adæquatus intellect⁹: vt ad argumentum precedens respondebamus. Immo retorqueo argumentum sic. Idem subiectum potest affici diversis formis accidentalibus, eo quod non sunt termini adæquati, seu vltimi: vt constat in lacte, in quo idem quantum est album, dulce &c. ergo, quando non potest affici diversis formis substantialibus vltimis; eo est precisè, quòd quęlibet est terminus adæquatus illius subiecti: ergo, dum nō probetur, quòd quælibet intellectio est terminus adæquatus intellectus; quod difficilè probabitur: cùm in potentijs sensitivis convincatur oppositum) nihil premūt prædictę instātiæ.

229 Obijciunt quintò: ad vnitatem motus requiritur vnitas termini: ergo similiter ad vnitatē intellectionis vnitas obiecti: ergo plura simul non intelliguntur, nisi in ratione intelligendi sint quodammodo vnū. Respondetur negando secundā consequentiam: quia ex illa instantia motus solùm infertur, vnam intellectionem terminari ad vnum obiectum: sicut vnus motus terminatur ad vnum terminum. Et ideo concedimus primam consequentiam: ex quo non sequitur, quòd intellectus per multas intellectiones non possit simul plura obiecta intelligere. Sicut non sequitur, quòd idem mobile per diversos motus non possit simul moveri ad diversos terminos. Idem quippè homo simul movetur localiter, motu augmentativo, & intensivo.

230 Contra quòd Beatus eadem visione videt Deū, & creaturas: ergo malè dicimus, vnam intellectionem solùm terminari ad vnum obiectum. Antecedēs autem docet communissima sententia cum Scoto *in 1. dist. 1. quæst. 2. §. & vers. Modus ponendi*: de quo precipuè videatur Felix *tomo 2. Tentativæ tract. de visione cap. 11. diff. 3. n. 3.* Respondetur negando consequentiam de visione, aut cognitione habita ab Angelo viribus naturę: de qua solùm loquimur in pręsenti, & de

de qua loquuti sumus *diff. 2. à n. 6.* dum diximus; Angelum non posse eodem actu omnia obiecta intelligere; sed in eo multiplicandos esse actus ad multiplicationem obiectorū Addo, quòd, si loquamur de cognitione creaturarum non in essentia diuina, sed in proprio genere, diuersis actibus videt Beatus Deū, & creaturas: vt notat Felix ibi *n. 1.*

DVBIVM XV.

231 PEtes quintòdecimò, Vtrùm Angelus eadē cognitione possit cognoscere plura obiecta disparata? Respondetur negatiuè loquendo de cognitione rerum creatarum in proprio genere: vt probatum est *in hoc capite difficultate 2. à numero 6.*

DVBIVM XVI.

232 PEtes decimòsextò, vtrùm Angelus cognoscat per discursum? Respondetur affirmatiuè: vt probatum est *in hoc cap. diff. 2. à num. 10.*

DVBIVM XVII.

233 PEtes decimòseptimò, vtrùm Angelus cognoscat componendo, aut diuidendo? Respondetur affirmatiuè propter dicta ibidem *à numero 22.*

DVBIVM XVIII.

234 PEtes decimòoctauò, Vtrùm in Angelo detur cognitio matutina & vespertina? Respond. affirmatiuè propter ibidem dicta *à num. 29.*

DVBIVM XIX.

235 PEtes decimonono, vtrùm Angelus possit cessare ab omni cognitione? Respondetur affirmatiuè. Quia intellectus est potentia subiecta voluntati: ergo, si vellet Angelus suspendere omnem actum intellectus, non apparet, quare non posset. ¶ Dices, ideo non posse, quia intellectus Angeli est potentia naturalis; & aliàs habet multa obiecta præsentia, & insuper multas species impressas ab initio suæ creationis: ergo necessario intelligit aliquod illorum, præsertim suam essentiam, à cuius præsentialitate, & intelligibilitate denudari nō potest. Sed contra est, quòd ad intelligendum quodcumque obiectū tria necessariò requiruntur, nempè potentia expedita, obiectū præsens, aut species illius, & demum attentio potentiæ: & quocumque istorum deficiente, nō sequitur intellectio.

236 Quòd non detur intellectio, deficiente intellectu aut obie-

obiecto, vel illius specie, in cõfesso est apud omnes. Quòd autem non detur intellectio defectu attentionis, etsi aliàs obiectum, aut illius species sit præsens, convincitur à simili sensuum externorum: qui enim dormit apertis oculis, non videt, etiam si recipiat species obiecti præsentis, aut etiam si aliàs obiectum præsens illum non dormientem moveret. Idem patet, quando dormiens tangitur, &c. Immo & in intellectu distracto, qui non intelligit id, quod à præsentibus profertur. Quæ omnia proveniunt ex inadvertentia, seu defectu attentionis potentiæ. Hinc etiã provenit, quod Angelus non actualiter intelligat omnia obiecta, quorum species recepit in sua creatione. (Nõ nego hoc etiam provenire ex limitatione potentiæ creatæ Angeli.) Et ratio est, quòd sicut ex minori attentione potentiæ infertur remissior, seu debilior operatio circa obiectum, sic ex omnimoda non attentione infertur non operatio. Quorum omnium ratio est, quòd potentia vitalis debet vitaliter operari, hoc est, attendẽdo obiectum; alioquin illud non attinget.

237 Hanc nostram conclusionem existimo magis conformem Scoto, quatenus *quodlibeto 15. §. De secundo primi articuli vers. Secundò probatur* affirmat, quòd ex maiori conatu, aut ex maiori intentione ad intelligendum perfectior habetur intellectio. Item *in 2. distinct. 42. quæst. 4. §. Quantum vers. Respondeo, & dico*, quatenus affirmat; actum intellectus esse in potestate voluntatis, taliter, vt possit intellectum à perfectiori intelligibili convertere ad minus perfectum. Favet nobis Vazquez *disput. 219. cap. 3. numero 8.* quatenus affirmat, nullam esse rationem, quæ probet, Angelum non posse cessare à cognitione sui. Si enim ab obiecto sibi intimiori, & perfectiùs movente potest cessare, vel saltem nulla ratio probat (secundùm Vazquez) quòd cessare non possit: profecto nulla ratio probabit, quod à quocumque alio cessare non possit.

238 Sed Angelum non posse cessare ab omni cognitione à fortiori debent defendere quotquot defendunt; Angelum non posse cessare à cognitione sui ipsius. Hi sunt D. Thomas 1. *part. quæst. 56. art. 1. ad 3.* quatenus indicat, intellectum Angelicum non esse in potentia ad cognitionem sui: & 2. *contra gentes cap. 97.* vbi docet; Angelum semper & ex necessitate actu intelligere. Idem tenent noster *Aureolus, Capreolus, Durandus, Ægidius, Ferrara, Caietanus, Gregorius, & Hervæus, quos citat, & sequitur Suarez lib. 2. cap. 35. num. 3.* Idem etiam

obiecto, vel illius specie, in cõfesso est apud omnes. Quòd autem non detur intellectio defectu attentionis, etsi aliàs obiectum, aut illius species sit præsens, convincitur à simili sensuum externorum: qui enim dormit apertis oculis, non videt, etiam si recipiat species obiecti præsentis, aut etiam si aliàs obiectum præsens illum non dormientem moveret. Idem patet, quando dormiens tangitur, &c. Immo & in intellectu distracto, qui non intelligit id, quod à præsentibus profertur. Quæ omnia proveniunt ex inadvertentia, seu defectu attentionis potentiæ. Hinc etiã provenit, quod Angelus non actualiter intelligat omnia obiecta, quorum species recepit in sua creatione. (Nõ nego hoc etiam provenire ex limitatione potentiæ creatæ Angeli.) Et ratio est, quòd sicut ex minori attentione potentiæ infertur remissior, seu debilior operatio circa obiectum, sic ex omnimoda non attentione infertur non operatio. Quorum omnium ratio est, quòd potentia vitalis debet vitaliter operari, hoc est, attendẽdo obiectum; alioquin illud non attinget.

237 Hanc nostram conclusionem existimo magis conformem Scoto, quatenus *quodlibeto 15. §. De secundo primi articuli vers. Secundò probatur* affirmat, quòd ex maiori conatu, aut ex maiori intentione ad intelligendum perfectior habetur intellectio. Item *in 2. distinct. 42. quæst. 4. §. Quantum vers. Respondeo, & dico*, quatenus affirmat, actum intellectus esse in potestate voluntatis, taliter, vt possit intellectum à perfectiori intelligibili convertere ad minus perfectum. Favet nobis Vazquez *disput. 219. cap. 3. numero 8.* quatenus affirmat, nullam esse rationem, quæ probet, Angelum non posse cessare à cognitione sui. Si enim ab obiecto sibi intimiori, & perfectiùs movente potest cessare, vel saltem nulla ratio probat (secundùm Vazquez) quod cessare non possit: profectò nulla ratio probabit, quod à quocumque alio cessare non possit.

238 Sed Angelum non posse cessare ab omni cognitione à fortiori debent defendere quotquot defendunt, Angelum non posse cessare à cognitione sui ipsius. Hi sunt D. Thomas 1. *part. quæst. 56. art. 1. ad 3.* quatenus indicat, intellectum Angelicum non esse in potentia ad cognitionem sui: & *2. contra gentes cap. 97.* vbi docet, Angelum semper & ex necessitate actu intelligere. Idem tenent noster *Aureolus, Capreolus, Durandus, Ægidius, Ferrara, Caietanus, Gregorius, & Hervæus, quos citat, & sequitur Suarez lib. 2. cap. 35. num. 3.* Idem etiam

etiam tenet noster Pilosus *disp.* 13. *artic.* 3. *num.* 4. affirmans, non posse Angelum à sui, vel aliorum intellectione imperfecta, vel indistincta omnino cessare: quod & placet aliquibus Scotistis in manuscriptis.

239 Pro qua sententia obijcies: *nihil est volitum, quin sit præcognitum*: ergo, quando voluntas Angeli vult cessare ab omni cognitione, aliquod obiectum præcognoscit: ergo iam non cessat ab omni actu cognitionis. Respondetur, nos solùm intendere, quòd potest cessare ab omni actu circa quodcumque obiectũ determinatum sibi præsens in se, vel in sua specie. Itaque opponimur illis Authoribus numero præcedenti citatis, qui dicunt, Angelum necessariò intelligere suam essentiam: immo & alijs, qui affirmant, posse quidem cessare à cognitione sui ipsius; debere tamen Angelum tunc se convertere ad aliud determinatum obiectum intelligendum, nempe ad cogitandum de Deo, de homine, &c. Non tamen ob hoc tenemur affirmare, quòd Angelus tunc non cogitabit de ente abstractè, aut de carentia entis in communi: cuius cognitio debet præcedere in intellectu Angeli, si ab eius voluntate imperaretur, quòd non cogitaret de aliquo ente, seu quòd suspenderet omnem cognitionem.

240 Respondetur secundò distinguendo secundum consequens: est enim verum, non cessare ab omni cognitione pro priori antecedente ad elicientiã actus, quo voluntas imperavit suspensionem. Falsum tamẽ est, quod non cesset pro posteriori ad prædictum actum voluntatis, quo suspensionem imperat. Posita enim illa efficaci volitione, secuta est suspensio cuiuscũque cognitionis, tamquam effectus illius imperij. Sicut posita efficaci voluntate non ambulãdi v.g. sequitur non ambulatio, etiam si posteà cesset tàm volitio imperans, quã cognitio præcedens talem volitionem.

241 Obijcies secundò: Angelus potest cessare ab omni cognitione? Ergo & à cognitione beatifica. Sed consequentia, aut sequela est falsa: ergo & antecedens, ex quo sequitur. Quòd autem sequela sit falsa, probatur ex eo, quòd Deus movet ad prædictam cognitionem: ergo à nullo potest impediri motio potentiæ: ergo cognitio inde secuta est omnino inimpedibilis: ergo Angelus nullo modo potest ab illa cognitione cessare. Respondetur, nos solùm loqui de cognitione naturali: à quacumque enim cognitione rerum naturalium dicimus posse Angelũ cessare.

242 Respondetur secundò (admisso, nos loqui etiam de cognitione supernaturali) conce-

cedendo primam consequentiã. Scotistæ enim (qui affirmamus, esse liberam ipsammet fruitionem beatam; posseque beatum, potentia antecedenti, ab illa cessare; quamvis aliàs sit certum, quod numquam ab illa cessabit; seu quòd ab illa non potest cessare moraliter, seu potentia consequenti) nullum debemus reputare incommodum, quòd Angelus, aut aliquis alius beatus possit à visione beata cessare. Neque probatio in oppositum multum vrget: fatemur enim, motionem Dei à nullo posse impediri: negamus tamen, quòd, posita motione Dei, nõ possit impediri cognitio: potest enim impediri ab Angelo per defectum attentionis: cùm ad quamcumque cognitionem, præter motionem obiecti, requiratur attentio potentiæ: vt *numerò* 236. probabamus.

243 Dices visio beata nõ fit à beatis, sed à Deo infunditur: ergo non est in potestate Angeli ab illa cessare. Antecedẽs probabile est Scoto, vt cõstat ex his, quæ docet *in 1. dist. 3. q. 8 §. Respondeo vers. Secundò, & in 3. dist. 14. q. 2. §. In ista quæstione vers. Quantum ad secundum*: & alibi: vt ego expẽdebam in quibusdam quæstionibus quodlibetalibus q. 2. &, Deo dante, dicam in tractatu de Incarnatione loquendo de Scientia beata animæ Christi Domini. Resp. nos solùm loqui de cognitione, quæ fit ab Angelo. Quare fatemur, nõ posse cessare à cognitione beata, si verum est, non fieri à Beato, sed à solo Deo infundi de facto: quod, me iudice, in Scoto est satis probabile.

244 Dices secundò: cognitio beata est maxima perfectio Angeli: ergo ab illa cessare non potest. Respõd. negando antecedens: quia actus charitatis beatificæ est maior perfectio: cùm actus voluntatis sit perfectior actu Intellectus: vt dicimus Scotistæ cum Scoto *in 4. dist. 49. q. 4. §. Iuxta hoc vers. Tertium medium.* Resp. secundò (omisso antecedente) negãdo consequentiam: potest enim Angelus Beatus à quacumque perfectione cessare; etsi de facto numquam cessaturus sit à visione, aut à fruitione beata.

245 Obijcies tertiò: Angelus non potest cessare à cognitione sui: ergo non potest cessare ab omni cognitione. Antecedens probatur: quia ad sui cognitionẽ movetur ab essentia sua: sed hæc est realiter identificata cum suo intellectu: ergo intellectus necessariò movetur à tali essentia: ergo ab illius cognitione cessare non potest. Confirmatur instantia sensuum: potẽtia enim visiva (auditiva, &c.) mota ab obiecto præsenti necessariò elicit visionem circa illud: sed intelle-

tellectus Angeli necessariò movetur ab essentia sua: quia semper est sibi præsens, immo & identificata secum: ergo ab illius cognitione cessare non potest. Respondetur negando antecedens cum Vazquez *disp. 219. ca. 4. n. 8 & cum nostro Pilolo disp. 13. artic. 3. num. 5.* Ad probationem nego secũdam consequentiam: quia, posita iam motione obiecti, requiritur concursus potẽtiæ, quẽ per non attentionem ipsa potẽtia valet non adhibere: vt enim benè vidit Vazquez citatus, intellectus cessat à cognitione alicui⁹ rei: quia ab illa cessare vult, nempè voluntas, cuius imperio ipse intellectus subiicitur.

246 Ad confirmationem dico, quòd, etsi tàm intellectus, quàm potentia visiva (auditiva, &c.) agant naturaliter; tamen aliqua differentia est ab omnibus admittenda inter has potentias: siquidem experimur, quòd potentia visiva circa obiectum præsens, seu mota per speciem obiecti, (si alias non dormiat) semper elicit visionem: Cuius oppositum experimur in intellectu: non enim semper intelligimus omnia obiecta, quorum species habemus: neque Angelus simul intelligit omnia obiecta, quorum species recepit in sua creatione: immo neque omnia illa, ad quorum cognitionẽ eius activitas potentiæ potest se extendere; alioqui quando de novo vellet cognoscere aliquã rem, à cognitione alterius debere cessare: quod non videtur consentaneum.

247 Obijcies quartò, esse semper in actu secundo intelligendi est perfectio simpliciter simplex conveniens Deo per essentiam, & creaturæ per participationem: ergo Angelo, qui est perfectissima creatura, non est deneganda: ergo ab omni cognitione cessare non potest. Respondetur negando secundam consequentiam. Nos enim non affirmamus, Angelum necessariò aliquando cessare ab omni cognitione: sed solùm dicimus, ab illa cessare posse, quamvis alias certissimum sit, numquam cessaturum esse, præcipue à visione beata. In quo differt à Deo, cui propter immutabilitatem repugnat, posse cessare à cognitione: Angelo autem, etsi alias numquam sit cessaturus à cognitione beata, posse tamen cessare, ei non repugnat; immo tale posse ei convenit ab intrinseco; eò scilicet, quòd est creatura.

CAPVT V.

De locutione, & illuminatione Angelorum.

Tam locutio, quàm Angelorum illuminatio spectant ad

ad eorum intellectum; & ideo istarum disputatio ad caput præcedens, in quo de spectantibus ad Angelorum intellectũ fit, aliquomodo spectat. Tamen, ne illud caput longum longius protraherem, de locutione, & illuminatione Angelorum, in distincto capite ago. Quod caput in duas difficultates dividam. In prima tractabo de spectantibus ad locutionem. In secunda de spectantibus ad Angelorum illuminationem.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad Angelorum locutionem.

DE locutione Angelorum agunt Distinctionistæ cũ Magistro sententiarum *in 2. dist. 9.* vbi Scotus, & multi Scotistæ. Angelicus autem Doctor 1. *p. q.* 107. vbi multi Thomistæ; non tamen omnes: Vazquez enim *ad quæstionem 57. artic. 4. disput.* 211. Suarez *in speciali tractatu; sicut & Arrubal, Herice, Alarcon, &c.* Extant verò de Angelorum locutione non parvæ difficultates sequentibus dubijs resolvendæ.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an inter Angelos sit locutio? Respondetur affirmativè. Quia continetur in Scriptura: *Zachariæ 2. Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, &c. & Apocalipsis 7. Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi; & clamavit voce magna quatuor Angelis &c. dicens, & alibi sæpe.* Et ratio est, quia locutio Angelorum spectat ad illorum societatem, & familiaritatem, quæ ex mutua collocutione, & conversatione consurgit inter Angelos; sicut in alia politica republica. Hanc conclusionem dicunt aliqui esse de fide, præsertim noster Pilosus *disp. 14. art. 1. num. 4.* Quod verum existimo, si sermo sit de Angelorum locutione non determinando modum, quo fiat.

2 Ex hac cõclusione, & præcipuè ex eius fundamento colligitur, negari non posse, etiam Angelos inferiores loqui superioribus. Immo hoc negare esse errorem in fide, docet Pilosus *ibi art. 5. à num. 3.*

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, an loquutio in Angelis reperta sit vera, & propria? Respond. affirmativè. Quia verba Scripturæ sunt verè, & propriè intelligenda, si non sit aliquod incommodum: vt docet Augustinus, & fatentur omnes. Sed Scriptura dicit, Angelos colloqui inter sese: vt constat testimonijs

numero 1. allatis: ergo de vera, & propria loquutione est intelligenda scriptura.

4 Dices, quòd in his scripturæ locis non explicatur aliqua spiritualis loquutio, sed corporea, & materialis in assumptis corporibus, vel in aère formata: ergo non est vera, & propria loquutio. Respondetur, quòd hæc locutio corporea supponit in Angelis loquutionem spiritualem, & incorpoream, qua sibi mutuò locuntur Angeli: cùm illos in prædictis corporibus ad invicem loquutos fuisse, expressè Scriptura cõmemoret. Adde, quòd, si spiritualiter non loquerentur inter se, frustra in assumptis corporibus ad invicem sermocinarentur.

5 Dices secundò: Angelus cognoscit essentiam alterius Angeli, eo quòd est sibi præsens: sed etiam alterius intellectio est sibi præsens: ergo necessariò illam cognoscit: ergo frustra vnus alteri loquitur, præsertim si loquutio consistat in manifestatione propriæ cognitionis: ergo non est possibilis vera inter Angelos loquutio, aut saltem est superflua. Respondetur negando primam consequentiam: solùm enim infertur, quòd Angelus, quantum est ex se, seu vi suæ potentiæ intellectivæ, posset cognoscere intellectionem alterius: sicut cognoscit eius essentiam. De facto tamen illam non cognoscit: quia propter bonum reipublicæ Angelorum disposuit Deus, vt secreta cordium cuiuscumque Angeli laterent cœteros alios. Recolantur dicta *capit. 4. diff. 4. à num. 17.*

6 Respondetur secundò, omissa prima consequentia, & negando secundam. Tùm, quia Angeli (sicut homines) possunt colloqui de sibi notis iuxta dicenda *à numero* 118. Tùm, quia etsi necessariò cognosceret visionem alterius, obiectum tamen visionis non cognosceret saltem perfectè. De quo videatur Scotus *in 2. distin. 9. quæst. 2. §. Ad vlteriorem versiculo Patet etiam*, quatenus affirmat, quòd visa intellectione, aliquomodo videtur obiectum illius. Expendo ly *aliquomodo*; *& quodlibet. 14. propè finem versiculo Respondeo.*

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò, quid sit? Aut in quo consistat Angelica loquutio? Respondetur, consistere in manifestatione eius, quod est in mente Angeli loquentis. Probatur à simili de loquutione humana: quæ consistit in manifestatione eius, quod latet in mente hominis loquentis.

8 Pro

8 Pro cuius perfecta intelligentia nota ex Scoto *in 1. dist. 27. quæst. 3. i §. Ad quæstiones istas, vers. Posset*, quòd verbum est actus intelligentiæ productus à memoria perfecta expressivus eius, quod latet in mente. Quam definitionem sumit ex diversis locis Augustini: & sic explicatur. Ly *actus intelligentiæ* ponitur ad denotandum, à ratione verbi excludi omne, quod pertinet ad voluntatem. Item ad denotandum excludi omne, quod pertinet ad memoriam, seu ad intellectum in actu primo, vt sunt species impressæ, & habitus intellectuales: verbum enim debet esse actus secundus intellectus. Per ly *productus* differt verbum à cognitione essentiali Dei; quæ est improducta, & habens esse per simplicem emanationem ab essentia: cum qua realiter identificatur: verbum autem debet habere esse per realem productionem: & consequẽter debet realiter distingui ab illo, à quo procedit.

9 Per ly *à memoria perfecta* denotatur, verbum produci ab intellectu simul, & ab obiecto, vel eius specie impressa movente illum, & simul concurrente ad talem productionem. Vnde patet, quod in præsenti memoria, non sumitur strictè, nempè pro intellectu, quatenus est receptivus, & conservativus specierum impressarum, quæ relinquuntur ex actibus præteritis: sed memoria sumitur latè, nempè pro potentia intellectiva, quatenus est receptiva speciei impressæ obiecti, quod debet intelligi: ex qua specie, & intellectu fit vnum integrum principium verbi.

10 Per ly *expressivus eius, quod latet in mente.* Denotatur, quòd verbum debet manifestare, seu saltem esse manifestativum obiecti, quod latet in mente per speciem impressam sui: per quam non solum obiectum latitat in mente, seu in intellectu; sed etiam ipse intellectus excitatur, seu movetur ad productionem verbi: ad quam simul concurrit obiectum per se ipsum immediatè, aut media specie impressa sui. Hinc constat, quod verbum non debet esse expressivum, seu manifestativum speciei expressæ, seu cognitionis: quia cognitio non est causa per se illius. Item non debet esse manifestativum habituum existentium in intellectu: habitus enim inclinat quidem potentiam ad productionem similium actuum, non tamen constituit illam vltimò potentem, excitatam, & motam ad productionem verbi, sicut species impressa, aut obiectum latens in specie impressa, aut immediatè per se ipsum movens, constituit intellectum.

11 Igitur, cùm loquutio fiat formando verbum; fit, quòd Angelus loquens debeat formare verbum mentis, seu intellectus: etenim, cùm Angelus sit merè spiritualis, & incorporeus: (vt diximus *cap. 2. diff. 1. à numero 1.*) nequit formare in se ipso verbũ corporeum: quale est verbum oris, necnon & verbum imaginationis.

12 Dices; Angelus loquens potest loqui, quin formet conceptum rei loquutæ in se ipso; immo neque in audiente: falsò ergo diximus *num.* 11. quòd loquutio fit formando verbum: & consequenter frustra attulimus, & explicuimus definitionem verbi. Probatur antecedens. Angelus enim potest manifestare audienti suum conceptum, quin in illo producat verbum: vt si inferior loquatur superiori cum toto suo conatu attendenti alij obiecto: vt docet Scotus *in 2. dist. 9. quæst. 2. §. Ad vlterius & vers. Tertium probo.* Immo neque speciem impressam in audiente causabit, si aliàs audiens præhabebat speciem impressam talis obiecti: vt docet Scotus in vltimis verbis illius versiculi: non ergo est necessariũ, quòd loquens producat verbum in audiente. Præterea neque est necessariũ, vt verbum producat in se ipso: quia, cùm ad loquendũ alij concurrat intellectus loquentis cum specie impressa obiecti loquuti (vel cum ipso obiecto immediatè agẽte per se ipsum) nec non & voluntas liberè applicãs prædictum intellectũ, & speciẽ, aut obiectũ; non videtur necessarium ad causandum verbum in audiente, quòd priùs loquens causet verbum in se. Vndequaque ergo inspectata loquutio fieri potest sine formatione verbi.

13 Respondetur negando antecedens: numquam enim potest stare loquutio Angeli, quin loquens formet verbum in se: neque datur auditio in Angelo, quin formetur verbum in audiente. Est enim auditio Angelica idem cum loquutione: siquidem idemmet conceptus, quatenus fit à loquente, dicitur loquutio: &, quatenus recipitur in audiente, dicitur auditio. Præter hunc autem conceptum Angelus loquens priùs format aliũ in se ipso: Tum, quia esset inconveniens, quòd loquens non cognosceret expresè illud, quod cum alio loquitur. Tùm, quia respectũ Angeli loquentis obiectum approximatum suo intellectui; seu species impressa necessariò movet illum ad causandum verbum, seu loquelam in se ipso: est enim agens naturale debitè approximatum intellectui, qui etiam est naturaliter causativus. Et ideo neque obiectum semel approximatum, neque intellectus semel motus ab

obie-

obiecto (sive immediatè per se ipsum; sive mediatè per speciem sui) possunt suspendere suum concursum, aut non producere verbum in intellectu loquentis.

14 Hinc patet ad probationem illius antecedentis. Verum enim est, posse contingere, quòd Angelus inferior nequeat producere in superiori, aut conceptum, aut speciem impressam; vt docet Scotus citatus, & nos explicavimus *numer.* 87. Tunc autem non erit loquutio, aut auditio. Insuper verum est, quòd ad causandum verbum in audiente sufficit velle loquentis, & memoria fæcunda illius: ista enim duo tantùm concurrunt per se, & necessariò ad loquutionem vnius Angeli cum alio; voluntas, inquam, tamquã principium morale, aut imperativum, seu applicativum; memoria verò fæcunda (hoc est intellectus, & obiectum per se, vel per suam speciem) tamquã principium physicè effectivum. Tamen Angelus loquens (etsi de per accidens ad formandum verbum in audiente) priùs format in se verbum, seu cognitionem rei loquendæ propter rationes *numero* 13. allatas. Quod & docet Scotus *in* 2. *dist*.9. *q*. 2. §. *Ad vlteriorem vers. Patet ergo* verbis illis: *nam priùs causant ista præsentia* (hoc est, obiecta approximata) *loquenti intellectionem actualem in loquente, quàm causent illam auditionem in audiente.*

DVBIVM IIII.

15 PEtes quartò, an Angelus possit Angelo loqui nihil in illo efficiendo? Respondetur negativè. Quia non apparet, quomodo Angelus excitet alium, vt audiat, si ei nihil reale imprimat. Præterea Angelus audiens passivè se habet respectu loquẽtis: ergo loquens aliquid efficit in audiente. Sic Scotus *in* 2. *dist*. 9. *quæst*. 2. §. *Ad vlteriorem vers. Quarto modo, & cum eo Scotistæ*. Ex nostra religione eamdem sententiam defendunt D. *Bon.* *v.* *Alensis, Ricardus, Aureolus, Ocbamus, & Herrera*, quos, & nonnullos alios citat Suarez *lib*.2.*cap*.27. *á numero* 30. & ipsos expressè sequitur præsertim *num*. 35. Tenent etiam hanc sententiam Becanus 1.*p.tract*.3.*cap*.1.*quæst*.14. *n*.2. & multi alij.

16 Sed Vazq. *disp*.211.*cap*.11. *á n*.59. affirmat, vnum Angelum alteri loqui, eique secretum sui cordis aperire expressione verbi interioris, hoc est, quadã intellectione, in qua videat alter Angelus secretũ loquẽtis, & eo ipso audire dicatur. Pro qua sentẽtia citat *Mai. Herv. & Henr. immo &* D.Th. immeritò tamen, vt testatur Suarez *ibi num*.2. *vbi à numero* 4. hanc sententiam impugnat multipliciter: sed præcipuè, quia supponit, loquutionem

nem Angelorum consistere in actu purè immanente in Angelo loquente, sine actione aliqua, quæ transeat ad Angelum, cui alter loquitur: & consequenter, Angelum non habere vim ad excitandum locutione sua alterum ad audiendum: quia per actum immanentem, vt talis est, non potest alterum excitare; sed solùm extrinsecè denominare. Et quamvis Vazquez hoc admittat propter consequentiam suæ doctrinæ; ægrè tamen suadebit, homines loquentes habere vim ad excitandum loquutione sua alios ad audiendum; Angelos verò non habere talem virtūtē.

17 Sed obijcit nobis Vazquez suum fundamētum, quod est tale: loquutio Angeli est actus intellectus Angeli loquentis: ergo ipse actus intellectus est quasi nutus, seu signum, aut verbum, quo vnus Angelus loquitur alteri: ergo medio actu manifestat vnus Angelus alteri obiectum, de quo loquitur. Respondetur negando antecedens: non enim capitur, quomodo per actum immanentem in me possim excitare alium, vt ad meam loquutionem attendat. Quarè loquutio Angeli debet esse aliquid productum à loquente, & in audiente receptū.

18 Celebris autem inter Thomistas est sententia, quæ affirmat, vnum Angelum alteri loqui solùm ordinando per voluntatem suum conceptum ad alium; id est, volendo, vt suum affectum liberum; aut cogitationem alter intelligat. Nam per hanc solùm voluntatem fit patens alteri Angelo, quod priùs erat occultum: & ideo ab illo per species, quas habet concreatas, statim videri potest: quod ad locutionem sufficit. Vnde iuxta hanc sententiam loquutio Angelica non concurrit per se ad auditionem alterius; sed tantùm, vt removens prohibens: quamdiu enim Angelus nō vult, vt suum secretum alteri cognoscant, illa nolitio, seu non volitio est quasi velamen, vt suum secretum occultū perseveret. Quod velamen tollitur, seu removetur per volitionem, qua vult, vt alter cognoscat suum secretum. Sic Capreolus in 2. dist. 11. quæst. 1. Canus, & multi moderni Thomistæ. Immeritò tamē citātur pro hac sententia D. Bonav. Alensis, & Albertus: vt notat Suarez ibi num. 12.

19 Sed, quidquid sit de mente horum Authorum, sententia ista Thomistarum displicet. Primo, quia supponit, vnum Angelum nihil posse efficere, in intellectu alterius, quo ipsum excitet ad audiēdum Quod difficile apparet: cùm vnus homo alium possit excitare, vt sibi loquenti attendat. Secundò, quia supponit, Angelum habere species omnium singularium, per

quas

per quas possit hos actus intelligere. Cuius oppositum diximus *cap. 4. diff. 3. à num. 61.* vbi statuimus, Angelo à principio suæ cõditionis fuisse infusas species repræsentativas naturarum, non autem recepisse species repræsentativas singularitatum. Tertiò, quia non apparet, quomodo Angelus loquens sine immissione alicuius entitatis physicæ ad Angelum audientem, possit illum excitare, vt se loquentem audiat. Quartò, quia ex prædicta sententia infertur, loquutionem Angelicam esse actum voluntatis, & nõ intellectus. Quod à ratione videtur alienum: quia exprimere conceptum non spectat ad voluntatem, sed ad intellectum.

20. Sed obijcit nobis hæc sententia: Angelus loquitur Deo nihil physicum causando in illo: ergo eodem modo potest loqui alteri Angelo. Respondetur negando consequentiam. Deus enim sicut ad cognoscendum creaturam nulla eget specie impressa; ita neque ad audiendum eget aliquo excitãte. Siquidem sicut per suam essentiam movetur ad cognoscendum quidquid cognoscibile est, & illud formaliter cognoscit per suam cognitionem formalem: (quæ est formalis repræsentatio cuiuscumque cognoscibilis) ita per suam essentiam movetur seu excitatur ad audiendum loquutionem creatam; illamque audit per suã cognitionem formalem: etenim auditio est quoddam cognitionis genus: ac per consequens cõtinetur in cognitione Dei; cùm enim sit simpliciter, & in omni genere cognitionis infinita, quodcumque cognitionis genus comprehendit.

21. Adde, quòd Deus est incapax recipiendi aliquid physicum de novo: & ideo, etsi Angelus loquens Deo nihil physicum causet in illo, quo Deum excitet ad audiendum; non propterea dicendum est, nihil causare in altero Angelo audiente. Angelus enim, & eget ad audiendum aliquo, quo physicè excitetur: (sicut ad cognoscendum obiectum eget specie impressa, vel reali motione obiecti) & insuper non est incapax recipiendi aliquid physicum, vt suppono; nemine negante. Et confirmatur instantia: nullus enim admittit relationẽ realem in Deo; per quam denominatur creator, aut creans, non alia ratione, nisi quia est incapax recipiendi aliquod accidens reale; quamvis aliàs omnes, qui admittũt relationes reales, admittant relationem producentis ad productum in illo, qui causat aliquem effectum. Similiter ergo, etsi concedamus, Angelum loqui Deo nihil in eo producendo, nõ ideo dicendũ est, loqui alteri Angelo nihil physicũ producẽdo in illo.

22 Quæ-

22 Quæres, quomodo Angeli loquantur Deo? Respondet Scotus *in 2. d. 9. q. 2. §. Ad argumenta secundæ quæstionis vers. Confirmatur*, quòd ex liberalitate appetentes, quantum possunt, suum conceptum patere Deo *ita quòd si possent causare in eo conceptum, illum causarent. Et hoc est loqui Deo.*

DVBIVM V.

23 Petes quintò, quid Angelus loquens possit causare in Angelo audiente? Respondetur, diversa causare posse pro diversitate dispositionis Angeli audientis, aut pro libito loquentis: vt ex dicendis constabit. Quia *potest causare actum tantũ ita quòd non speciem: & potest causare simul actum & speciem: & potest causare tantùm speciem*: inquit Scotus *in 2. d, 9, q. 2. §. Ad vlteriorem versi. De primo*: cũ quo cõspirant Scotistæ, Herrera excepto, (teste Suarez *lib. 2. c. 17. n. 25.*) qui Scoto non acquiescit quãtum ad hoc, quòd possit producere in audiẽte actum, seu speciem expressam de obiecto loquuto. Pro clariori tamen intelligentia mentis Scoti, & pro illius sententia defendenda singillatim priùs declarare oportet, quæ, & qualia sunt illa, quæ vnus Angelus potest per intellectum causare in alio.

(∴)

PRIMA CONCLVSIO.

24 Dico primò: Angelus potest per intellectum causare in alio speciem expressam, conceptum, cognitionem formalem, seu intellectionem illius obiecti, quod ipse intelligit. (Hæc omnia sunt synonyma: & omnia illa Scotus comprehendit dicens, quod *potest causare actum tantùm*.) Quia cõcenceptum de illo obiecto potest causare & de facto causat in se: ergo & in alio. Patet consequentia: Angelus enim audiens est in potentia receptiva talis intellectionis: sicut est Angelus loquens. Confirmatur, & declaratur: illud quod in actu primo habet virtutem sufficientem ad producendum aliquem effectũ, potest illum producere in quocumque receptivo proportionato, & approximato. Sed Angelus habens notitiam habitualem alicuius obiecti (hoc est, habens obiectum præsens suo intellectui in se, vel in specie impressa) habet in actu primo sufficientem virtutem ad producendum intellectionem talis obiecti in quocumque receptivo proportionato, & approximato: ergo in quocumque tali receptivo potest causare intellectionem illius obiecti. Modò sic: Sed quicumque Angelus est receptivus proportionatus ad

ad recipiendum intellectionem cuiuscumque obiecti, quod vnus Angelus intelligit: (omnes quippè habent intellectivam potentiam eiusdem rationis) ergo quicumque Angelus sicut causat intellectionem in se, poterit illam seu aliam similem causare in quocumque alio.

25 Sed oppositum nostræ conclusionis defendunt communiter Thomistæ, & multi alij; præcipuè qui dicunt loquutionem Angelicam fieri per solam directionem sui conceptus ad alterum. Ita *Caietanus Capreolus, & alij citati num.* 18. Item nobis opponuntur, qui dicunt, loquutionem Angelicam fieri per signa spiritualia. Pro qua sententia Pilosus *disp.* 14. *art.* 3. *num.* 10. citat *Ægidium, Thomam de Argentina, Gregorium, Marsilium, & Molinam* 1. *p. q.* 57. *art.* 4. Insuper nostræ conclusioni opponũtur, qui affirmant loquutionem esse intellectionem manentem in Angelo loquente. Hi sunt *Vazquez & alij num.* 16. *citati.* Opponuntur etiã, qui dicunt loquutionem fieri imprimendo Angelus loquens speciem suæ cognitionis in audiente. Quæ est sententia quorumdam recentiorũ, teste Vazquez *disp.* 211. *cap.* 4. *num.* 16. & pro ipsa citat Suar. *lib.* 2. *c.* 27. *n.* 30. *nostros D. Bonaven. Alensem, Ricardum & Anselmum,* quos & ipse sequitur *ibi num.* 35. Denique nostræ conclusioni opponuntur, qui dicunt, loqui intellectualiter esse exprimere in se verbum interius, aut intellectionem, & illam in mente habere: audire autem intellectuialiter idem esse quod videre, aut intelligere tale verbum in mente alterius. Ita *Ocbamus in* 2. *q.* 20. *& quodl.* 1. *quæst,* 7. *& Gabriel in* 2. *d.* 9. *quæst.* 2. *art.* 4.

26 Omnes ergo hi nostræ conclusioni opponuntur; & contra eam, & fundamentum multa obijciunt. Et in primis contra fundamentum (nempè causam potentem producere aliquem effectum posse illum producere in quocumque receptivo proportionato illi effectui, & tali causæ aproximato) obijciunt primo, sequi ex hoc, meam potentiam visivam posse producere visionem in alterius oculo; sicut producit in meo. Respondetur negando sequelam: obstat enim materialitas subiectorum, propter quam nequit illa virtus productiva commodè applicari ad causandum in extraneo subiecto. Vnde patet ad simile argumentum factum in potentia imaginativa, & in quacumque alia sensitiva.

27 Dices: ergo saltem voluntas Gabrielis poterit causare in Michaele actum voluntatis. Patet: quia ibi non obstat materialitas: & aliàs Gabriel habet vir-

nem Angelorum consistere in actu purè immanente in Angelo loquente, sine actione aliqua, quæ transeat ad Angelum, cui alter loquitur: & consequenter, Angelum non habere vim ad excitandum locutione sua alterum ad audiendum: quia per actum immanentem, vt talis est, non potest alterum excitare; sed solùm extrinsecè denominare. Et quamvis Vazquez hoc admittat propter consequentiam suæ doctrinæ; ægrè tamen suadebit, homines loquentes habere vim ad excitandum loquutione sua alios ad audiendum; Angelos verò non habere talem virtutē.

17 Sed obijcit nobis Vazquez suum fundamētum, quod est tale: loquutio Angeli est actus intellectus Angeli loquentis: ergo ipse actus intellectus est quasi nutus, seu signum, aut verbum, quo vnus Angelus loquitur alteri: ergo medio actu manifestat vnus Angelus alteri obiectum, de quo loquitur. Respondetur negando antecedens: non enim capitur, quomodo per actum immanentem in me possim excitare alium, vt ad meam loquutionem attendat. Quarè loquutio Angeli debet esse aliquid productum à loquente, & in audiente receptū.

18 Celebris autem inter Thomistas est sententia, quæ affirmat, vnum Angelum alteri loqui solùm ordinando per voluntatem suum conceptum ad alium; id est, volendo, vt suum affectum liberum; aut cogitationem alter intelligat. Nam per hanc solùm voluntatem fit patens alteri Angelo, quod prius erat occultum: & ideo ab illo per species, quas habet concreatas, statim videri potest: quod ad locutionem sufficit. Vnde iuxta hanc sententiam loquutio Angelica non concurrit per se ad auditionem alterius; sed tantùm, vt removens prohibens: quamdiu enim Angelus nō vult, vt suum secretum alteri cognoscant, illa nolitio, seu non volitio est quasi velamen, vt suum secretum occultū perseveret. Quod velamen tollitur, seu removetur per volitionem, qua vult, vt alter cognoscat suum secretum. Sic *Capreolus in 2. dist. 11. quæst. 1. Canus, & multi moderni Thomistæ.* Immeritò tamē citātur pro hac sententia *D. Bonav. Alensis, & Albertus*: vt notat Suarez *ibi num. 12.*

19 Sed, quidquid sit de mente horum Authorum, sententia ista Thomistarum displicet. Primo, quia supponit, vnum Angelum nihil posse efficere, in intellectu alterius, quo ipsum excitet ad audiēdum Quod difficile apparet: cùm vnus homo alium possit excitare, vt sibi loquenti attendat. Secundò, quia supponit, Angelum habere species omnium singularium, per

quas

per quas poſsit hos actus intelligere. Cuius oppoſitum diximus *cap.4.diff.3.à num. 61.* vbi ſtatuimus, Angelo à principio ſuæ cōditionis fuiſſe infuſas ſpecies repræſentativas naturarum, non autem recepiſſe ſpecies repræſentativas ſingularitatum. Tertiò, quia non apparet, quomodo Angelus loquens ſine immiſsione alicuius entitatis phyſicæ ad Angelum audientem, poſsit illum excitare, vt ſe loquentem audiat. Quartò, quia ex prædicta ſententia infertur, loquutionem Angelicam eſſe actum voluntatis, & nō intellectus. Quod à ratione videtur alienum: quia exprimere conceptum non ſpectat ad voluntatem, ſed ad intellectum.

20 Sed obijcit nobis hæc ſententia: Angelus loquitur Deo nihil phyſicum cauſando in illo: ergo eodem modo poteſt loqui alteri Angelo. Reſpondetur negando conſequentiam. Deus enim ſicut ad cognoſcendum creaturam nulla eget ſpecie impreſſa; ita neque ad audiendum eget aliquo excitāte. Siquidem ſicut per ſuam eſſentiam movetur ad cognoſcendum quidquid cognoſcibile eſt, & illud formaliter cognoſcit per ſuam cognitionem formalem; (quæ eſt formalis repræſentatio cuiuſcumque cognoſcibilis) ita per ſuam eſſentiam movetur ſeu excitatur ad audiendum loquutionem creatam; illamque audit per ſuā cognitionem formalem: etenim auditio eſt quoddam cognitionis genus: ac per conſequens cōtinetur in cognitione Dei: cùm enim ſit ſimpliciter, & in omni genere cognitionis infinita, quodcumque cognitionis genus comprehendit.

21 Adde, quòd Deus eſt incapax recipiendi aliquid phyſicum de novo: & ideo, etſi Angelus loquens Deo nihil phyſicum cauſet in illo, quo Deum excitet ad audiendum; non propterea dicendum eſt, nihil cauſare in altero Angelo audiente. Angelus enim, & eget ad audiendum aliquo, quo phyſicè excitetur: (ſicut ad cognoſcendum obiectum eget ſpecie impreſſa, vel reali motione obiecti) & inſuper non eſt incapax recipiendi aliquid phyſicum, vt ſuppono; nemine negante. Et confirmatur inſtantia: nullus enim admittit relationē realem in Deo; per quam denominatur creator, aut creans, non alia ratione, niſi quia eſt incapax recipiendi aliquod accidens reale; quamvis aliàs omnes, qui admittūt relationes reales, admittant relationem producentis ad productum in illo, qui cauſat aliquem effectum. Similiter ergo, etſi concedamus, Angelum loqui Deo nihil in eo producendo, nō ideo dicendū eſt, loqui alteri Angelo nihil phyſicū producēdo in illo.

22 Quæ-

22 Quæres, quomodo Angeli loquantur Deo? Respondet Scotus *in 2. d. 9. q. 2. §. Ad argumenta secundæ quæstionis vers. Confirmatur*, quòd ex liberalitate appetentes, quantum possunt, suum conceptum patere Deo *ita quòd si possent causare in eo conceptum, illum causarent. Et hoc est loqui Deo.*

DVBIVM V.

23 PEtes quintò, quid Angelus loquens possit causare in Angelo audiente? Respondetur, diversa causare posse pro diversitate dispositionis Angeli audientis, aut pro libito loquentis: vt ex dicendis constabit. Quia *potest causare actum tantũ ita quòd non speciem: & potest causare simul actum & speciem: & potest causare tantùm speciem*: inquit Scotus *in 2. d, 9, q. 2. §. Ad vlteriorem versi. De primo*: cũ quo cõspirant Scotistæ, Herrera excepto, (teste Suarez *lib. 2. c. 17. n. 25.*) qui Scoto non acquiescit quãtum ad hoc, quòd possit producere in audiẽte actum, seu speciem expressam de obiecto loquuto. Pro clariori tamen intelligentia mentis Scoti, & pro illius sententia defendenda singillatim priùs declarare oportet, quæ, & qualia sunt illa, quæ vnus Angelus potest per intellectum causare in alio.

(∴)

PRIMA CONCLVSIO.

24 DIco primò: Angelus potest per intellectum causare in alio speciem expressam, conceptum, cognitionem formalem, seu intellectionem illius obiecti, quod ipse intelligit. (Hæc omnia sunt synonyma: & omnia illa Scotus comprehendit dicens, quod *potest causare actum tantùm.*) Quia cõceptum de illo obiecto potest causare & de facto causat in se: ergo & in alio. Patet consequentia: Angelus enim audiens est in potentia receptiva talis intellectionis: sicut est Angelus loquens. Confirmatur, & declaratur: illud quod in actu primo habet virtutem sufficientem ad producendum aliquem effectũ, potest illum producere in quocumque receptivo proportionato, & approximato. Sed Angelus habens notitiam habitualem alicuius obiecti (hoc est, habens obiectum præsens suo intellectui in se, vel in specie impressa) habet in actu primo sufficientem virtutem ad producendum intellectionem talis obiecti in quocumque receptivo proportionato, & approximato: ergo in quocumque tali receptivo potest causare intellectionem illius obiecti. Modò sic. Sed quicumque Angelus est receptivus proportionatus ad

ad recipiendum intellectionem cuiuscumque obiecti, quod vnus Angelus intelligit: (omnes quippè habent intellectivam potentiam eiusdem rationis) ergo quicumque Angelus sicut causat intellectionem in se, poterit illam seu aliam similem causare in quocumque alio.

25 Sed oppositum nostræ conclusionis defendunt communiter Thomistæ, & multi alij; præcipuè qui dicunt loquutionem Angelicam fieri per solam directionem sui conceptus ad alterum. Ita *Caietanus Capreolus, & alij citati num.* 18. Item nobis opponuntur, qui dicunt, loquutionem Angelicam fieri per signa spiritualia. Pro qua sententia Pilosus *1 sp. 14. art. 3. num. 10.* citat *Ægidium, Thomam de Argentina, Gregorium, Marsilium, & Molinam 1. p. q. 17. art. 4.* Insuper nostræ conclusioni opponūtur, qui affirmant loquutionem esse intellectionem manentem in Angelo loquente. Hi sunt *Vazquez & alij num. 16. citati.* Opponuntur etiā, qui dicunt loquutionem fieri imprimendo Angelus loquens speciem suæ cognitionis in audiente. Quæ est sententia quorumdam recentiorū, teste Vazquez *disp. 211. cap. 4. num. 16.* & pro ipsa citat Suar. *lib. 2. c. 27. n. 30. nostros D. Bonaven. Alensem, Ricardum & Anselmum*, quos & ipse sequitur *ibi num.* 35. Denique nostræ conclusioni opponuntur, qui dicunt, loqui intellectualiter esse exprimere in se verbum interius, aut intellectionem, & illam in mente habere: audire autem intellectuialiter idem esse quod videre, aut intelligere tale verbum in mente alterius. Ita *Ochamus in 2. q. 20. & quodl. 1. quæst. 7. & Gabriel in 2. d. 9. quæst. 2. art. 4.*

26 Omnes ergo hi nostræ conclusioni opponuntur; & contra eam, & fundamentum multa obijciunt. Et in primis contra fundamentum (nempè causam potentem producere aliquem effectum posse illum producere in quocumque receptivo proportionato illi effectui, & tali causæ aproximato) obijciunt primo, sequi ex hoc, meam potentiam visivam posse producere visionem in alterius oculo; sicut producit in meo. Respondetur negando sequelam: obstat enim materialitas subiectorum, propter quam nequit illa virtus productiva commodè applicari ad causandum in extraneo subiecto. Vnde patet ad simile argumentum factum in potentia imaginativa, & in quacumque alia sensitiva.

27 Dices: ergo saltem voluntas Gabrielis poterit causare in Michaele actum voluntatis. Patet: quia ibi non obstat materialitas: & alias Gabriel habet vir-

virtutem ad producendum actũ voluntatis non solùm in se, sed etiam in quocumque receptivo proportionato: qualis est Michael, & quicumque alius Angelus, aut illius voluntas: non enim videtur habere minorem proportionem ad recipiendum ab alio actum voluntatis, quo medio attingat vitaliter obiectum per istam potẽtiam, quam ad recipiendum ab alio actum intellectus, quo medio intelligat obiectum per intellectum. Respondetur cum nostro Lycheto *in 2.d.9. q. 2. §. secundò occurrit versicul. Respondeo* concedendo totum.

28 Sed contra hanc solutionem multa absurda nobis opponunt: primò enim sequi videtur, quòd ante beatitudinem Angelorum vnus potuit causare in alio actum amoris erga Deum: & consequenter posset facere, voluntatem illam diligere Deũ: etenim voluntas, quæ habet actum amoris Dei intra se, diligit Deum. Respondetur cum Lycheto ibi, hoc nullum esse in cõveniens, Dices: ergo ille Angelus, qui infunderet alteri talem amorem faceret, alterum mereri: talis quippe actus si sit viatoris, est meritorius. Insuper faceret, alterum formaliter peccare infundendo in eius voluntatẽ actum peccaminosum, odij Dei v.g. Respondetur negando vtrãque sequelam: etsi enim verum sit, quòd potuit vnus Angelus viator alteri infundere actum amoris Dei; nec non & illius actũ odij: tamen Angelus recipiens nec mereretur, nec peccaret: nemo enim meretur, aut peccat in eo, quod vitare non potest.

29 Dices secundò, sequi, (ex hoc quòd vnus Angelus possit causare in alio actum voluntatis,) eamdem voluntatem posse simul diligere & odisse Deum. Patet in casu, quòd voluntas Angeli diligat Deum; & alius Angelus illi infundat actum odij. Respondetur negando sequelã: illi enim actus sunt in compatibiles ex se: & ideo neque ab eadem voluntate, neque a diversis possunt simul poni in eodẽ subiecto: sicut neque in eadem superficie possunt poni, etiam à diversis agentibus color, & carentia coloris; in eodem aere lux, & tenebræ, &c.

30 Instabis, contradictoriã esse quidem incompossibilia; nõ autem contraria: qualia sunt amor, & odium. Hoc tamen est contra Scotum, qui expressè docet, contraria esse incompossibilia; quia inter se habent, repugnantiam formalem. Legatur *in 3.d.1.q.1.§. Ad argumenta versic. Ad tertiũ*: vbi sic loquitur: *Dico, quòd cõtraria, nõ quia diversa, idest, in nullo convenientia, ideo sunt incompossibilia; sed quia in illis est repugnantia.* Et demum concludit; *non tamen al-*

album potest esse nigrum formaliter, vel è converso propter eorum repugnantiam formalem.

31 Legatur etiam *in 4. d. 49. q. 16. §. Ad primum argumentum vers. Ad argumentum*, vbi affirmat, quòd duo corpora non repugnant formaliter respectu eiusdem loci; benè tamen duo accidentia cōtraria respectu eiusdem subiecti: & consequenter, quòd de potētia absoluta duo corpora possunt esse simul in eodem loco; non tamen duo accidentia contraria respectu eiusdem subiecti. Expendo etiam quòd ibidem §. *Dicunt quidam versic. Præterea quodcumque.* dixerat. *Quòd autem duo accidentia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto per nullam potentiam; patet per Philosophum 4. metaphysicæ, qui dicit, quòd eadem ratione contradictoria, sicut contraria, essent in eodem.* Et licèt verum sit, illa verba protulisse Scotum obijciendo sibi. Tamen cùm Scotus his non respondeat, videtur, prædictam doctrinam approbare. Quę doctrina saltem est intelligenda de contrarijs in gradibus intensis; vt docet Scotus *in 1. d. 17. q. 3* (aut 5. secundùm Cavellum) *§. & versiculo Contra istam opinionem arguo.*

32 Rursus contra idem Scoti fundamentum (sicut Angelus potest causare intellectionem in se, potest illam causare in alio simili receptivo.) argumentantur, sequi ex illo, quòd Angelus potens causare in se visionem claram Dei, & illius fruitionem, posset illas causare in alio Angelo. Respondetur, nullum esse inconveniens; si aliàs Deus, qui est obiectum vtriusque, & ad vtrāque liberè concurrit, concurreret cum intellectu Michaelis ad hoc, vt visionem & fruitionem produceret in Gabriele. Si autē Deus nollet cōcurrere, non posset in alio causare visionem, aut fruitionem.

33 Instabis: postquam Angelus habuit visionem beatam, aut fruitionem, potest aliam similem producere in alio Angelo, ad quam concurrat obiectum non secundùm suum esse reale, sed secundum esse cognitum, aut volitum, quod habet in visione, & fruitione; iuxta dicenda *diff. sequenti à num. 14.* ergo quamvis Deus nolit cōcurrere, poterit visionem, aut fruitionē beatam causare in alio. Antecedens constat in Angelo illuminante alium: iste enim causat in alio visionem, seu cognitionem similem illi, quam in se habet. Consequentia autem probatur à simili de prædicta illuminatione; ad quam solùm concurrit obiectum cognitionis, quæ præcessit in loquente, secundùm esse cogniti: & consequenter illo obiecto destructo, aut nolente, (si sit capax nolitionis) aut reluctante illuminationi, ista tamen fieret. Respondetur negando con-

consequentiam, aut eius suppositum: visio enim illa non esset beata (idem dic de fruitione) sed visio visionis beatæ: beata quippè visio debet terminari ad obiectum præsens secundùm esse reale; non autem, vt relucet in alia priori cognitione. Videatur dicenda *disput. sequenti à numero* 14.

34 Hucusque vidimus, quæ obijciunt adversarij contra fundamentum nostræ primæ conclusionis *num.* 24. elicitæ: videamus iam, quæ contra ipsam cõclusionem opponunt. Erat ergo conclusio: *Angelus potest causare in alio intellectionem illius obiecti, quod ipse intelligit.* Contra quam obijciũt primò: intellectio est actio: ergo denominat subiectũ illud, à quo fit: & consequenter denominabit audientem, (suppono ex *num.* 13. quòd loquutio Angelica, & auditio sunt idem) nõ Angelum, cui imprimitur, sed Angelum loquentem, seu à quo producitur. Respondetur, intellectionem (idem esto de volitione, visione, auditione, & de quacumque actione vitali:) grammaticaliter dici actionem; eo scilicet, quòd intellectus media illa dicitur vitaliter attingere obiectum, illud percipere, &c. qui modi loquendi sonant actionẽ, seu efficiẽtiam: in re tamen est terminus per realem actionem productus: est quippè quædam qualitas, qua informatus intellectus dicitur intelligens: sicut homo informatus albedine dicitur albus. Quare intellectio solùm debet denominare illud subiectum, in quo recipitur; non autem agens, à quo producitur.

35 Obijciunt secundò: intellectio est actio immanens: ergo necessariò debet recipi in subiecto illam producente: ergo Angelus loquens nequit illam producere in alio. Respondetur distinguendo antecedens, & negando consequentias. Itaque intellectio (volitio &c.) accidentaliter est immanens, seu recipitur in subiecto illo, à quo producitur; non autem essentialiter, seu necessariò. Alioqui Verbum divinum non esset intellectio: cũ verè producatur à Patre; sitque verè subsistens extra ipsum Patrem. Eadem instantia fit de Spiritu Sancto, qui non esset amor, aut volitio: cùm sit productus à Patre, & Filio; extra quos verè subsistit. Similiter ergo poterit Angelus loquens producere per veram actionem transeuntem à se, seu quæ non maneat in se intellectionem in Angelo audiente.

36 Præterea, si intellectio necessariò esset actio immanens, non posset Deus illam producere, se solo, extra subiectum, aut intellectu merè passivè se habente. Cuius oppositum docemus Scotistæ cum Scoto

in 1. dist. 3. q. 7. §. Ad auctoritatem Philosophi versiculo Ideo Philosophus, & quæst. 8. §. Respondeo versiculo Tamen, & alibi sæpe. Cui sententiæ subscribunt non solùm Nominales; sed etiam multi alij adhuc ex Thomistis. De quo præcipuè videatur noster Felix *2. tom. tentativæ tract. de visione c. 5. diff. 3. n. 3. & 4.*

37 Obijciunt tertiò: intellectio est vitalis: ergo necessariò dicit respectū ad intellectum, vt ad principium vitale: ergo respectus iste nequit suppleri. Respondetur distinguendo, aut declarando vtrumque consequēs: est enim verum, quod intellectio dicit ordinem, seu respectum ad principium vitale: est autem falsum, quòd respectus iste sit necessarius ordo ad intellectum producentem, & simul recipientem intellectionem. Igitur vitalitas intellectionis stat in hoc, quòd sit medium, quo potentia vitalis vitaliter attingit suum obiectum, seu circa illud vitaliter operatur. Quod reperitur in quacumque intellectione à quocumque producta; etiam si à solo Deo produceretur extra subiectum: in illa enim esset quidam ordo, seu respectus aptitudinalis (id est, naturalis aptitudo) ad quemcumque intellectū, tamquam ad principium operativum, seu quod media illa potest attingere obiectum, & circa illud potest vitaliter operari. Etenim quicumque creatus intellectus attingere potest suum obiectum media quacumque intellectione à quocumque producta, & intra se recepta. Sicuti quodcumque subiectum capax caloris v. g. verè dicetur calidum per calorem in se receptum; sive sit productus ab illo eodem subiecto; sive à quocumque alio.

38 Dices: etiam dicit respectum aptitudinalem, seu naturalem aptitudinem, seu inclinationem ad principium productivum, & simul receptivum quæcumque intellectio creata; etiam illa, quam Deus solus produceret extra subiectum: siquidem in illa non minor inclinatio reperitur ad produci ab intellectu creato, & ad recipi in illo; ac est aptitudo, seu inclinatio, quam habet ad hoc, vt media illa intellectus creatus suum attingat obiectum: ergo tàm necessarius, aut essentialis est intellectioni respectus aptitudinalis ad principium productivum, & simul receptivum; ac ad principium operativum. Respondetur, toto hoc admisso, nihil concludi cōtra nos: quibus satis est ad solvendum argumentum *n.* 37. factum, statuere, intellectioni non esse essentialem, aut necessarium respectum actualem, quidquid de aptitudinali

nali) ad intellectum simul producentem, & recipientem intellectionem. Hoc enim stabilito, benè salvatur, quòd intellectioni accidit, quòd recipiatur in illo, à quo producitur, quamvis aliàs inclinatio naturalis ad hoc sit ei necessaria. Quod patet in quocumque alio accidenti; cui accidit actualis inhærentia; & ideo potest produci extra subiectum; quamvis aliàs aptitudo ad inhærendum sit illi intrinseca tãquam eius passio.

39 Omisimus autem, aut admisimus multa nobis difficilia. Est enim probatione valdè difficile, quòd intellectio necessariò exigat recipi in illo subiecto, à quo producitur. Illum enim, qui hoc affirmaret, interrogarẽ ego, in quonam subiecto determinatè exigebat recipi (aut à quo determinatè petebat produci) intellectio, quam extra subiectum produceret Deus? Item, si intellectio æquè aptè conservaretur in quocumque intellectu; cur ex se peteret determinatè istud, à quo producitur? Insuper, si effectus non determinat hanc numero causam efficientem, finalem, au materialem extrinsecam, seu sui receptivam: (si talis effectus sit accidens) cũ, quacumque illarum variata, & alia loco illius subrogata, idem inviriatus maneret effectus: cũ quælibet illarum sit causa extrinseca tali effectui? Quo fundamento potest affirmari: quòd intellectio necessariò exigit pro subiecto ipsum principium, à quo fit?

40 Est etiam probatione non facile, quòd aptitudo, seu respectus ad principium efficiens, aut ad principium receptivum sit intellectioni ita intrinsecus, ac est ad principium operativum. Cũ in intellectione increata Dei reperiatur respectus aptitudinalis, seu aptitudo ad principium operativum, seu adhoc, vt media illa Deus attingat obiectum: & aliàs illi repugnet respectus aptitudinalis, seu inclinatio ad principium effectivum, nec non & ad principium receptivum, seu adhoc, vt producatur ab aliquo, seu in aliquo recipiatur.

41 Obijciunt quartò: duo accidentia solùm numero distincta nequeunt simul esse in eodẽ subiecto: ergo, saltem quando Angelus superior actualiter intelligit idemmet obiectum, de quo inferior Angelus vult illi loqui, non poterit in suo intellectu recipi intellectio illius obiecti ab inferiori Angelo producta: & consequenter saltem tunc non poterit Angelus producere in alio intellectionem illius obiecti, quod ipse intelligit. Respondetur omittendo consequẽtias: quia non sunt contra nos: qui, etsi affirmemus, posse Angelum alteri infundere intellectionem; fatemur tamen, id non pos-

posse aliquando ratione alicuius impedimenti habiti in subiecto receptivo.

42 Omissi autem consequentias: etsi enim tam cognitio, quã Angelus elicit de aliquo obiecto, quàm auditio, quam de eodem reciperet ab alio, sint intellectiones; non tamen sunt eiusdem omnino rationis: cùm prima repræsentet obiectum clarè; posterior autem solùm obscure, & in testimonio dicentis. Et ideo vel specie differunt; vel saltem diversimodè repræsentant obiectum. & consequenter ex capite superfluitatis non inconvenit, quòd sint simul in eodem subiecto.

43 Ex dictis cõstat, frustra intẽdere Caietanum 1. *p.q.* 107. *art.* 1. *Vazquez disp.* 211. *cap.* 3. *à num.* 11. & multos alios evertere nostrũ, & Scoti discursum *num.* 24. adductum. Dicunt enim, Angelum solùm esse receptivum intellectionis à se productæ. Hoc tamen omninò voluntariè dicitur: quia conceptus, seu intellectio est eiusdem naturæ à quocumque producatur: ergo Angelus vi facultatis receptivæ potest illam recipere; sive producatur à se, siue à quocumque alio, nempè à Deo, ab Angelo, aut ab anima separata. Et ratio est, quod intellectio solùm grammaticaliter est actio: in re enim est vera qualitas. Reddant ergo adversarij rationem, quare etsi ignis v.g. de facto recipiat calorem à se productum; potest tamen recipere calorem à quocumque productum: intellectus autẽ Angeli solùm possit recepere intellectionem à se productam.

44 Sed respondent, præcipuè Vazquez *ibi num.* 36. intellectum vnius Angeli instructum specie intelligibili esse quidem sufficiens principium producendi cognitionem, seu notitiã in se; nõ autẽ in alio: quia, solùm est principium actionis immanentis, & vitalis. Eadem quoque ratione intellectus Angeli audientis capax quidem est notitiæ, & cognitionis non ab alio, sed à se elicitæ. Alioqui noster intellectus posset Angelis imprimere notitiam: necnon & Angeli nostro intellectui. Hæc tamen parùm vrgent. Si enim intellectus, & obiectum, aut species intelligibilis illius habent in actu primo sufficientem virtutem ad producendum intellectionem; dicant nobis adversarij, cur non possint illam causare in quocumque subiecto capaci, & approximato? Cùm innumera alia agentia suam virtutem, quã habent in actu primo, exerceant in quocumque receptivo contento intra sphæram suæ activitatis. Sic sol lucem, aut lumen producit in quacumq; parte aeris; & idem est de quocumque luminoso.

45 Dicere autem, quòd intellectio est actio immanens, & vitalis, parùm refert. Quia solùm grammaticaliter est actio; in re autem est qualitas: & consequẽter non denominat intelligens principium, à quo fit, sed subiectum, cui inest: sicut albedo, & quæcumque alia qualitas: vt expendebamus *num.* 34. Quòd intellectio solùm accidentaliter sit quid immanens; & consequẽter quòd posit recipi in alio subiecto ab illo, à quo elicitur, probavimus *num.* 35. *&* 36. Et demũ quòd vitalitas intellectionis stet in hoc, quòd sit medium aptum ad hoc, vt quicumque intellectus vniatur cum suo obiecto, ipsum attingat, aut circa illud vitaliter operetur; non autem in hoc, quòd debeat recipi in illo, à quo fit, diximus *à numero* 37.

46 Nullum verò reputamus incommodum, quòd Angelus, & anima separata sibi invicem loquantur, reciprocè sibi mutuo infundentes intellectiones. Anima autem coniuncta sensibus nequit causare intellectionem; immo neque speciem intelligibilem in Angelo: quia propter immersionem sensuum nihil purè spirituale causat extra se. Neque Angelus potest in ea aliquid merè spirituale causare pro hoc statu: in quo *nihil est in intellectu quin priùs fuerit in sensu*: & consequenter ministerio intellectus agentis causabitur: atque adeo anima non se habebit merè passivè respectu alicuius speciei intelligibilis, aut intellectionis.

SECVNDA CONCLVSIO.

47. Dico secundò: vnus Angelus potest causare in alio speciem impressam illius obiecti, de quo vult illi loqui. Quia Angelus, in quo causatur, si aliàs talem speciem nõ habet, (in quo casu tantùm procedit hæc conclusio) est in potentia receptiva respectu talis speciei: & aliàs Angelus, qui talẽ speciẽ habet habet sufficientem virtutẽ in actũ primo ad illam producẽdum: ergo potest illi eam applicare; atque adeo in eo causare talem speciẽ. Sic Scotus verbis *n.* 23. citatis, & cum eo Scotistæ.

48 Sed contra hanc conclusionem obijcies primò inquirẽdo, quomodo causetur talis species? Respond. cum Lycheto *in* 2. *d.* 9. *q.* 2. §. *Occurrit versic. Ad quintũ*, posse defendi, quòd species intelligibis existens in intellectu Angeli est causa totalis alterius speciei intelligibilis. Quod videtur insinuare Scotus *in* 2. *d.* 9. *q.* 2. §. *Ad vlteriorem vers. Secundum proto* dicens: *sicut species rei sensibilis in medio potest gignere speciem rei sensibilis eiusdem rationis*. In quo modo philosophandi Angelus dicitur imprimere, seu causare speciem in-

intelligibilem in alio, quatenus liberè applicat suam speciem intelligibilem ad talem productionem. Sicut homo applicans ignem materiæ comburendæ dicitur comburere.

49 Potest item defendi cum eodem Lycheto citato, quod species intelligibilis partialiter tantùm causatur ab alia specie intelligibili: est enim intellectus agens (quem suppono esse in Angelo iuxta dicta *cap. 2. diffi. 3. à numero 3.*) Angeli imprimentis in alio talem speciem, partialis causa illius. Sicut de specie intelligibili producta in homine philosophantur communiter, præcipuè Scotistæ dicentes, ad illius productionem concurrere intellectum agentem simul & phantasma, vti causas efficientes partiales: vt apertè videtur docere Scotus *in 1. dist. 3. quæst. 8. §. & vers. Ad primum, & alibi.*

50 Obijcies secundò contra prædictam secundam conclusionem: Angelus potest producere in alio speciem intelligibilem similem, seu eiusdem rationis cum specie, quam in se habet. Sed Angelus viator habuit speciem impressam Deitatis: (iuxta dicta *cap. 4. diffi. 3. à num. 85.*) ergo potuit aliam similem speciem repræsentativam Deitatis producere in alio, si illam non habet. Respond. cũ Lychero *in 2. d. 9. quæst. 2. §. Occurrit versiculo Respondeo*, ita esse.

50 Sed contra primò, ergo ille Angelus recipiens talem speciem naturaliter, seu viribus naturæ fuisset Beatus. Respondetur negando: quia suis viribus nequit acquirere illam speciem. Immo neque Angelus loquens, seu illam infundens, acquisivit eam viribus suis. Non autem est incommodum, quòd semel posita iam specie Deitatis in Angelo audiente, iste naturaliter concurrat cum tali specie ad eliciendum cognitionem Dei. In ista autem cognitione nequit consistere beatitudo. Tùm, quia non erat à potentia elevata per lumen gloriæ. Tùm, quia illa cognitio non est intuitiva: hæc enim fieri nequit per speciem; iuxta dicta *capit. 4. diffic. 3. à num. 19.*

52 Contra prædictam solutionem dices secundò, sequi ex ea, posse Angelum causare speciem Deitatis in Angelo damnato: & consequenter iste esset magis Beatus beatitudine naturali, quàm quilibet Philosophus. Respondetur, nullum esse incõmodum concedere talem potentiam, seu hoc esse possibile. De facto tamen non contingeret: quia ad providentiam Dei spectaret non cooperari ad talem effectum. Sicut spectat ad eius providentiam non concurrere cum aliqua causa secunda ad actum interficiendi prædenima-

intelligibilem in alio, quatenus liberè applicat suam speciem intelligibilem ad talem productionem. Sicut homo applicans ignem materiæ comburendæ dicitur comburere.

49 Potest item defendi cum eodem Lycheto citato, quod species intelligibilis partialiter tantùm causatur ab alia specie intelligibili: est enim intellectus agens (quem suppono esse in Angelo iuxta dicta *cap. 2. diffi. 3. à numero 3.*) Angeli imprimentis in alio talem speciem, partialis causa illius. Sicut de specie intelligibili producta in homine philosophantur communiter, præcipuè Scotistæ dicentes, ad illius productionem concurrere intellectum agentem simul & phantasma, vti causas efficientes partiales: vt apertè videtur docere Scotus *in 1. dist. 3. quæst. 8. §. & vers. Ad primum, & alibi.*

50 Obijcies secundò contra prædictam secundam conclusionem: Angelus potest producere in alio speciem intelligibilem similem, seu eiusdem rationis cum specie, quam in se habet. Sed Angelus viator habuit speciem impressam Deitatis: (iuxta dicta *cap. 4. diffi. 3. à num. 85.*) ergo potuit aliam similem speciem repræsentativam Deitatis producere in alio, si illam non habet. Respond. cũ Lychero *in 2. d. 9. quæst. 2. §. Occurrit versiculo Respondeo*, ita esse.

50 Sed contra primò: ergo ille Angelus recipiens talem speciem naturaliter, seu viribus naturæ fuisset Beatus. Respondetur negando: quia suis viribus nequit acquirere illam speciem. Immo neque Angelus loquens, seu illam infundens, acquisivit eam viribus suis. Non autem est incommodum, quòd semel posita iam specie Deitatis in Angelo audiente, iste naturaliter concurrat cum tali specie ad eliciendum cognitionem Dei. In ista autem cognitione nequit consistere beatitudo. Tùm, quia non erat à potentia elevata per lumen gloriæ. Tùm, quia illa cognitio non est intuitiva: hæc enim fieri nequit per speciem; iuxta dicta *capit. 4. diffic. 3. à num. 19.*

52 Contra prædictam solutionem dices secundò, sequi ex ea, posse Angelum causare speciem Deitatis in Angelo damnato: & consequenter iste esset magis Beatus beatitudine naturali, quàm quilibet Philosophus. Respondetur, nullum esse incõmodum concedere talem potentiam, seu hoc esse possibile. De facto tamen non contingeret: quia ad providentiam Dei spectaret non cooperari ad talem effectum. Sicut spectat ad eius providentiam non concurrere cum aliqua causa secunda ad actum interficiendi præde-

ſtinatum, dum eſt in peccato mortali; aut reprobum, dum eſt in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Præterea benè notat, & addit Lichetus ibi *verſi. Ad ſecundam*, quòd dato, talem ſpeciem eſſe cauſatam in Angelo, vel in anima damnata, adhuc non ſequeretur cognitio diſtincta Deitatis defectu voluntatis divinæ: quæ nõ cooperaretur cum illo intellectu, & ſpecie.

53 Contra prædictam ſolutionem dices tertiò, ſequi ex illa poſſe Angelum habentem ſpeciem Deitatis cauſare aliam in Angelo vidente intuitivè Deum: & conſequenter in illo ſimul eſſent cognitio intuitiva, & abſtractiva eiuſdem obiecti. Reſpõdetur, non eſſe incommodum, quòd in eodem ſimul ſint cognitio intuitiva, & cognitio abſtractiva eiuſdem obiecti, iuxta dicta *capit. 4. difficul. 3. à numero* 19. Si tamen ille alius Angelus cognoſcens intuitivè haberet ſpeciem impreſſam Deitatis, non poſſet aliam recipere, ſi eſſet omnino eiuſdem rationis, ne vna illarum eſſet ſuperflua. Et propter hanc rationem ipſemet Angelus, qui alteri infundere poteſt, non poſſet in ſe producere aliam divinitatis ſpeciem.

TETIA CONCLVSIO.

54 Dico tertiò: vnus Angelus poteſt ſimul cauſare in alio cõceptum, & ſpeciem impreſſam obiecti, de quo loquitur. Quia poteſt in actu primo habere ſufficientem virtutem ad cauſandum vtrumque ſimul: vt ſi habeat ſpeciem impreſſam obiecti, de quo loquitur. (vt frequentiſsimè cõtingit) Tunc enim eius intellectus informatur ſimul prædicta ſpecie impreſſa illius obiecti; nec non & expreſſa cognitione, ſeu cõceptu eius: prius enim natura quàm alteri loquatur, format in ſe cognitionem expreſſam illius obiecti; iuxta dicta *num.* 13. Præterea poteſt alius Angelus carere non ſolùm expreſſa cognitione alicuius obiecti ſibi ab alio cauſata, ſed etiã ſpecie impreſſa talis obiecti: ergo ille erit in potentia ad recipiendum ab alio conceptum, necnon & ſpeciem impreſſam illius obiecti: nõ ergo apparet, vnde ſimultanea infuſio ſpeciei expreſſę & impreſſæ poſſit impediri. Patet conſequẽtia: quia conceptus, & ſpecies impreſſa nullã incompatibilitatem habent: vt patet in intellectu loquentis, in quo ſunt ſimul. Sic Scotus *numero* 23. citatus, & cum eo Scotiſtæ.

Her-

Herrera excepto; vt notabamus *num. illo* 23.

55 Ex quibus constat respon sio ad dubium *num.* 23. propositum, nempè, quid Angelus loquens possit causare in audiente? Diximus enim, posse Angelũ causare per intellectum in alio Angelo conceptum, aut cognitionem expressam vt constat ex dictis pro prima conclusione. In super diximus, vnum Angelum posse causare per intellectum in alio speciem impressam similẽ ei, quam ipse habet: vt constat ex dictis pro secunda conclusione. Et demũ diximus, vnũ Angelũ posse causare per intellectũ in alio simul cognitionem & speciẽ impressam obiecti, quod loquens vult per locutionem manifestare. Ex quibus planè constat, Angelum loquentem posse causare in audiente tam speciẽ expressam, seu cognitionem, quã speciẽ impressam obiecti, quòd per loquutionem manifestat. Est enim Angelica loquutio quid per intellectum productum à loquente in audiente: vt suppono ex dictis, & dicendis per totum ferè hoc caput, præsertim ex dubio 4. vbi statuimus, vnum Angelum non posse alteri loqui, quin aliquid in audiẽte efficiat. Et dubio 9. statuemus, Angelicam loquutionem ad intellectivam potentiam spectare.

(·.·)

DVBIVM. VI.

56 PEtes sextò, quid de facto Angelus loquẽs causet in audiente? Respondetur, aliquando causare conceptum, seu expressam cognitionem obiecti; quod per loquutionem manifesta re intendit; aliquando autem solùm causat speciem impressam præcti obiecti: aliquando demum causat in audiente vtrumque simul. Quare autem, seu in quibus casibus vnum aut alterũ contingat, commodiùs explicabitur dubio 8.

DVBIVM VII.

57 PEtes septimò, quid sit illud, quod principaliter, & per se Angelus loquens causare intendit in Angelo audiente? Respondetur, esse conceptum, seu exprèssam cognitionem. Quia *Angelus loquens principaliter intendit exprimere conceptum illi intellectui, cui loquitur:* inquit Scotus *in* 2. *d.* 9. *quæst.* 2. §. *&* *versic. Ad quæstionem*. Et est perse notum, me alteri loqui, vt percipiat ille meum conceptum obiectivum; aut vt audienti liberaliter communicem meũ conceptum: vt docet Scotus *in* 2. *d.* 9. *q.* 2. §. *Ad vlterium versiculo Et si dicas*, & nos latiùs explicabimus *à numero* 118. Sed ad

exprimendum perfectè conceptum obiectivum requiritur productio conceptus formalis, seu expressæ cognitionis: ergo Angelus loquens principaliter intendit causare in audiente concepum, seu intellectionem. Probatur minor: quia, si solùm causare intenderet speciem impressam, imperfectè manifestaret suum conceptum obiectivum: obiectum enim in specie impressa solùm virtualiter partialiter continetur.

58 Nata, conceptum dividi in formalem, & obiectivum. Formalis est ipsamet cognitio, qua intelligo obiectum, v. g. Romam existere. Conceptum autem obiectivum appallant obiectum cognitionis; v g. Romam esse. Igitur conceptus, quem Angelus loquens principaliter intendit exprimere audienti, non est conceptus formalis, sed obiectivus. Quia ad manifestandum illi, Romam esse, non dico: Ego intelligo Roma est. Neque Angelus imprimit audienti conceptum representativum intellectionis, qua intelligit, Romam esse; sed repræsentativum Romæ existentis, quæ est oblectum prædictæ intellectionis. Non dubito, Angelum loquentem posse manifestare suum cōceptum formalem; sicut & potest reflexè cognoscere illum: sed solùm statuo, quòd ad manifestandum obiectum loquutum hoc non conducit.

59 Potest etiam (fortè veriùs & subtiliùs) distingui conceptus in conceptum expressum, vel in actu secundo, & in conceptum implicitum, aut in actu primo, aut in esse virtuali. Conceptus expressus est ipsamet actualis cognitio. Implicitus verò est intellectus simul cum specie impressa, aut cum obiecto per se immediatè movente iam ipsum intellectum, vt prorumpat in cognitionem obiecti. Itaque in illo priori naturę pro quo intellectus consideratur proximè potens per speciem impressam obiecti, aut per ipsummet obiectum, dicitur conceptus in actu primo. Et (si propriùs foret loquendum) ille actus primus absolutè fuisset vocandus conceptus: in illo enim statu obiectum habet esse conceptum ab intellectu, nondum parturitum: quando autem adest iam expressa cognitio, cùm ista sit formalis partus intellectus, obiectum cognitionis potiùs habet esse parturitum, quàm conceptum.

60 Ad rem ergo: conceptus, quem Angelus loquens principaliter intendit exprimere audienti, non est conceptus expressus; sed conceptus implicitus & virtualis. Quia loquens non ex-

exprimit, aut manifestat audiẽti suam cognitionem; (aliàs audiens cognosceret, me cognoscere, Romam esse) sed hanc simplicem propositionem; *Roma est*: quæ in loquente pro priori naturæ antecedente ad formationem conceptus formalis, seu cognitionis solùm habebat esse conceptum implicitum, virtualem, & in actu primo. Secundò, quia illudmet, quod in me est principium, seu causa mei verbi, seu cognitionis, est in audiẽte causa sui verbi, aut cognitionis. Sed in me verbum, seu cognitio causatur à conceptu implicito, seu ab intellectu simul cum specie impressa obiecti, seu cum ipso obiecto: ergo & in Angelo audiente: Maiorem probant dicta *n*. 5. *6*. & *9*.

DVBIVM VIII.

61 PEtes octavò, cur Angelus loquens non causet aliquando in Angelo audiente conceptum, seu cognitionem obiecti, quod manifestare vult, supposito, quòd hoc principaliter intendit? Respondetur, hoc provenire ex diversis capitibus. Aliquando enim non causat eo quòd non vult. Cùm enim Angelus loquens possit causare tàm conceptum, quàm speciem obiecti prædicti; & aliàs omninò sit ei liberum causare primum, & non posterius, poterit causare speciem impressam, non causando conceptum. Ita Scotus *in* 2. *d*. 9. *q*. 2. § *Ad ulteriorem vers*. *Dato*, & Scotistæ.

62 Aliquando etiam potest provenire ex aliquo impedimẽto se tenente ex parte audientis, qui propterea non possit recipere alterius locutionem. Quod in duobus casibus potest evenire. Primò, si Angelus superior toto conatu cogitet circa Romæ existentiam v. g. tunc Angelus inferior non poterit ei infundere cognitionem alterius, vel eiusdem obiecti. Quia Angelus inferior habet minorem virtutem activam, seu productivam speciei impressæ & expressæ: sed minor virtus activa non potest impedire maiorem Angeli superioris in sua actione: ergo in casu, quòd Angelus superior toto conatu cogitet, seu occupetur circa aliquod obiectum, Angelus inferior propter hoc impedimẽtum non poterit ei infundere conceptum, seu expressam cognitionem. Secundus casus est, quando Angelus superior, & inferior simul loquerentur eidem Angelo cum toto illorum conatu. Tunc enim superior impediret loquutionem inferioris: eoquòd audiens nequiret utramque loquutionem recipere. Sic Scotus ibi *vers*. *Tertium probo* & *vers*. *Ex eadem*.

63 Dices: Angelus potest simul plures intellectiones habere; *iuxta dicta c. 4. diff. 4. â num. 223. & præcipuè num. 227.* ergo etsi Angelus superior non possit ab inferiori impediri à sua intellectione, poterit tamen inferior illi infundere suam loquutionem, aut intellectionem obiecti loquuti. Item poterunt multi Angeli superiores, & inferiores eidem simul loqui de eadẽ, vel diversis rebus propriam vnusquisque in illo causando intellectionem. Patet; quia istæ cognitiones non sunt omnino similes; cùm quælibet illarum respiciat diversum loquentem: quare non solùm erunt diversæ, quando sunt de diversis rebus; sed etiam habebunt aliquam diversitatem sufficientem ad hoc, vt multiplicentur in eodem subiecto, adhuc quando sunt de eadem re. Etenim propter hanc rationem cum Scoto *n 3. d. 8. §. Contra istam, & quodl. 11. §. De tertio versic. Vel potest dici* concedimus Scotistæ, dari multas relationes solùm numero distinctas in eodem subiecto; in eodem patre v.g respectu plurium filiorum. Adde, quod multæ cognitiones eiusdem, vel diversarum rerum non sunt incompossibiles in eodem. Ego enim plura obiecta simul cognosco; immo & potentia visiva simul plura videt, quamvis sit longè inferior intellectu. Et quāvis plures loquutiones eiusdem loquentis de eadem re Angelus recipere non possit; vna enim illarum foret superflua: cùm essent omnino similes: (vt suppono) tamen, si respiciant diversos loquentes, habent sufficientem diversitatem adhoc, vt simul sint in eodem; vt nuper dicebamus.

64 Respondetur concedendo totum. Neque est contra dicta: quia illi duo casus (in quibus diximus loquentem non posse causare intellectionem in audiente) solùm habent locum supponendo, intellectum non posse simul recipere infinitas cognitiones actuales: & supponendo etiam, quòd iam habet maximum numerum cognitionum, quem habere potest. Tunc enim, cùm Angelus inferior non possit facere, vt superior cesset ab aliqua cognitione; quia est minoris virtutis; non causabit intellectionem; benè tamen speciem impressam obiecti loquuti. Videatur Tartaretus ibi *versiculo Tertium dictum*, vbi sic explicat Scotum de primo casu; & ego extendo hanc explicationem ad secundum.

65 Consultò addidimus, quòd in prædictis duobus casibus, in quibus loquens propter impedimentum receptum

in

in audiente non causat intellectionem, causabit speciem impressam, si aliàs audiens careat illa. Quia sic expressè notat Scotus *in 2. dist. 9 quæst. 2. §. Adulteriorem vers. Tertium probo, & vers. Ex eadem.* Contra hoc tamen obijcies: Ideo Angelus loquens non producit in audiente expressum conceptum, seu intellectionem, quia Angelus audiens habet maximum numerum intellectionum, quem habere potest. Sed potest contingere, quòd etiam habeat maximum numerum specierum impressarum: ergo tunc neque speciem impressam poterit recipere ab Angelo loquente. Respondetur negando minorem. Angelus enim, aut anima habet capacitatem recipiendi simul quascumque species impressas; non autem quascumque intellectiones, aut species expressas. Et ratio est, quòd species impressas conservat tantùm in genere causæ materialis; expressas verò etiam in genere causæ efficientis, substituendo æqualem concursum, seu applicando tantam virtutem ad conseruandum intellectionem, seu speciem expressam, quãtam adhibuisset ad illam producendũ. Cùm autem effectiva virtus Angeli, & animæ sit finita, & limitata, habet determinatum numerum, seu terminum producendi, & conservandi in genere causæ efficientis conceptus, seu species expressas, Quòd ad conservandum aliquem effectum in genere causæ efficientis requiratur æqualis virtus, ac requiritur ad illum producendum, suppono ex communi consensu omnium dicentium, quòd *conservatio est cõtinuata productio.*

66 Quòd autem Angelus, & anima non limitentur ad recipiendum aliquas species impressas, sed possint quascumque recipere, suppono ex eo, quòd non apparet, vnde possit astrui ista limitatio: cùm subiectum ad recipiendum non adhibeat aliquam virtutem, sed merè passivè se habeat: & aliàs ipsæ species inter se se nullam habeant oppositionem, aut contrarietatẽ. Sic Tartaretus *in 2. dist. 9. q. 1. §. Tertium dictum.*

67 Dices, quòd Angelus, & anima sunt creaturæ, & consequenter, quid finitum, & limitatum: ergo ex hac limitatione provenit, quòd non possint recipere tot species impressas, quot Deus potest creare. Respondetur negando consequentiam: ex limitatione enim creaturæ solùm colligitur virtus limitata ad efficiendum: eo quod efficiendo extra se mittit aliquid virtutis suæ, & quasi deperdit; nempe effectum quem producit, & in sua virtute continebat Quare, si virtus effectiva non fuerit infinita, tandem finitur per multiplicatas productio-

ctiones. Ex limitatione verò creaturæ non concluditur alia limitatio. Et ideo à creatura attingitur obiectum infinitum per intellectum, & voluntatem: vt patet præsertim in Beatis. item non concluditur, creaturam solùm posse recipere finitum: etenim etsi natura humana Christi Domini sit finita, & limitata, recipit tamen Verbum Divinum, quod est simpliciter infinitum.

68 Instabis, quòd personalitas Verbi præcisè considerata, vt formaliter distinguitur à natura, non est formaliter infinita: & ideo potuit immediatè vniri, seu recipi in natura humana Christi Domini. Respondetur, quod, etsi verum sit, relationes divinas formaliter consideratas, vt præcisas ab essentia non esse formaliter infinitas: vt docet Scotus *quodlibet. 5. §. & verficulo De secundo articulo, & alibi*, & cum eo Scotistæ. De quo præcipuè videatur noster Felix *in primo principio tract. de Trinitate cap. 3. diff. 7. à num. 7.* Est tamen certum, non esse formaliter finitas, sed præscindere à finitate, & infinitate. Vnde concluditur, quòd creata virtus receptiva non limitatur ad recipiendum finitum; siquidem recipit illud, quod non est finitum. Adde, quòd natura humana potuit immediatè vniri, seu assumi â natura divina, seu ab illius subsistentia absoluta; quæ formaliter est infinita: vt fatemur Scotistæ cum Scoto *in 3. distinct. 1. quæst. 2. §. & versiculo Ad quæstionem, & expressiùs vers. Si verò.*

69 Manet ergo firmum, quòd ex limitatione creaturæ, non concluditur limitatio potentiæ receptivæ ad recipiendum solùm finitum; sed quòd creatura potest recipere infinitum: & consequenter, quòd Angelus, & anima non limitantur ad recipiendum aliquas species impressas; sed quòd possunt recipere infinitas: (si infinitæ ei communicarentur) Quare limitatio, quam habent ad recipiendum species expressas, seu conceptus formales, non provenit ex vi potentiæ, quam habent ad illas recipiendas; sed ex eo, quòd ad illas conservandum adhibent æqualem concursum effectivum, ac adhibuissent, si illas produxissent, vt *numero* 65. diximus.

70 Instabis: Angelus loquẽs produxit illam speciem expressam, seu conceptum in Angelo audiente: ergo potest illam conservare in genere causæ efficientis, etsi in genere causæ materialis conservetur ab audiente: ergo tunc poterit illam infundere in audiente, etiam si audiens habeat maximum numerum intellectionum, quas posset conservare in genere causæ efficientis. Responde-

tur

tur concedo totum. Nos enim solùm negamus, posse novam intellectionem infundi, quando audiens habet maximum numerum intellectionum, quē habere potest; & aliàs conservaturus esset illam novam intellectionem non solùm in genere causæ materialis, & merè passivè se habendo, sed etiam in genere causæ efficientis præbendo concursum æqualem, ac præbuisset, si prædictam intellectionem ipse produxisset.

DVBIVM IX.

71 PEtes nonò, in quo consistat Angelica locutio? Respondetur, consistere in productione conceptus, seu cognitionis obiecti, quod alter alteri manifestare vult. Quia per talem productionem loquens manifestat obiectum alteri, vel ei liberaliter communicat suum conceptum: (obiectivum, non formalem iuxta dicta *numero* 58.) qui est loquutionis finis. Sic Scotus *in 2. distinct. 9. quæst. 2. §. & versiculo Ad quæstionem*, & Scotistæ; vno dempto Herrera; vt notabamus *num.* 23.

72 Hinc nota, quòd, quando Angelus loquens non producit in audiente intellectionem, sed solùm speciem impressam iuxta dicta *à numero* 61. dicitur imperfectè loqui: quia nō producit effectum, quem per se, & principaliter intendit, (nempè intellectionem, seu conceptum, qui est perfecta loquutio) sed alium inferiorem, scilicet speciem impressam. Sicut ignis, qui propter impedimentum passi non inducit ignem, sed calorem: & sicut calor, qui ob impedimentum subiecti calorem remissum inducit. Et sicut medicamentum, quod propter indispositionem infirmi imperfectiorem habet effectum, ac aliàs haberet. Sicut ergo omnia ista, & plura alia dicuntur imperfectè agere; eo quòd non producunt effectum, quem principaliter intendunt: ita philosophandum est de Angelo loquente, quando solùm producit in audiente speciem impressam. Pariformiter dicendum est de Angelo audiente; qui tunc imperfectè tantùm dicitur audire: ad perfectam enim auditionem requiritur expressum conceptum loquentis percipere. Quod patet in hominibus, qui, quando propter distractionem ad alia, aut propter aliud impedimentum distantiæ, &c. solùm percipiunt voces, & non expressos conceptus, dicuntur imperfectè audire.

73 Est etiam notandum, quòd ad perfectam loquutionē

non

non requiritur, quòd conceptus expressus, seu intellectio (in qua loquutio formaliter consistit) manifestet actualiter obiectum audienti; sed sufficit, quòd, quantum est ex se, & ex natura sua, illud manifestet: vt magis explicabo *à n.83. & iterum à num.* 118. Sicut enim accidit homini actualis ratiocinatio, etiam si rationalitas sit eius essentia: (quod & in multis alijs potest exemplificari) ita loquutioni accidit manifestare suum obiectum, etiam si affirmaremus, esse de eius essentia esse manifestativam illius.

73 Ex dictis à dubio quinto satis constat, *quòd Angelus loquitur Angelo causando in eo conceptum immediatè illius obiecti, de quo loquitur:* inquit Scotus *in 2. dist.9. quæst.2. §. & vers. Ad quæstionem.* Quod de loquutione perfecta est intelligendum, vt *num.70 notabamus*: imperfectè enim benè potest loqui imprimendo audienti speciem impressam.

74 Ex quibus omnibus refutatæ manent omnes aliæ sententiæ, quæ affirmāt, loquutionem Angelicam fieri aliter quàm per causationem intellectionis, speciei expressæ, cognitionis, aut conceptus ab Angelo loquente in mente audientis. Primò ergo refutatur sententia, quæ affirmat, loqui Angelum alteri imprimendo illi speciem intelligibilem notitiæ, seu cognitionis, quam de re aliqua habet, ita vt alteri non solùm manifestet obiectum loquutum, sed etiam conceptum, quem de obiecto habet Angelus loquens. Et eodem modo philosophatur hæc sententia de affectu voluntatis, nimirum vnum Angelum pro voluntate sua producere in mēte alterius speciem impressam virtualiter representantem affectum suæ voluntatis. Ita sentiūt ex nostra religione, *Seraphicus Doctor in 2.dist. 10. art.3. quæstiuncula 1, Alensis, Ricardus, Aureolus, & Ochamus*, quos cum alijs citat Suarez *lib.2.cap.27.n.30.& 31.*

75 Hæc, inquam, sententia refutatur, ex eo, quòd loquens principaliter intendit communicare audienti suum conceptum: (obiectivum, non formalem iuxta notata *nu.58.*) & ideo causat in eo conceptum, nisi aliàs ibi reperiat impedimentum: per conceptum quippè formalem perfectè communicatur conceptus obiectivus, seu venitur in notitiam obiecti, quod loquens manifestare vult, aut cuius notitiam communicare intendit audienti.

76 Dices, connaturalius esse Angelo elicere suam intellectionem, quàm illam recipere elicitam ab alio: ergo propter hanc maiorem connaturalitatem aptius erit, quòd Angelus loquatur alteri infundendo illi speciē intelligibilem obiecti loquuti,

seu

seu manifestandi, qua informatus intellectus audientis eliciat cognitionem, qua percipiat locutionem alterius, & consequẽter obiectum locutum. Confirmatur; quia hoc modo loquutio Angelica magis assimilatur locutioni humanæ; in qua percepto signo sensibili, nempe voce alterius, audiens format conceptum, seu speciem expressam, aut cognitionem rei locutæ.

77 Respondetur distinguendo antecedens; & negando consequentiam: est enim verum de cognitione, quæ non est locutio: falsum autem de loquutione: cùm enim per loquutionem loquens intendat communicare audienti suum conceptum, connaturalius est, quòd illum expressè, & plenè communicet, quàm implicitè, & inadæquatè producendo tantùm partem, (vt sic loquar) seu speciem impressam, quæ implicitè tantùm, & partialiter continet conceptum, aut cognitionem alterius. Ad confirmationem dico, inter loquutionem Angelicam, & humanam non esse quærendam omnimodam similitudinem; quia in humana propter dependentiam nostri intellectus in operando à sensibus, necessariò interuenit aliquod signum sensibile: sicut enim sine sensibus non intelligimus; sic sine sensibus conceptus mentis alijs non manifestamus: vt notauit Pilosus *disput.* 14. *art.* 1. *num.* 4. Loquutio autem Angelica non fit per signa: ista quippè frustra ponerentur: cùm sine illis possint Angeli mutuò suos conceptus (obiectivos, nõ formales iuxta dicta *n.* 58.) expressè manifestare.

78 Rufata etiam manet sententia, quàm Vazq. *disp.* 211. *co.* 7. *à num.* 36. tribuit Ochamo, & Gabrieli: & affirmat, vnum Angelum alteri loqui sic. Primò quidem format in se verbum eius, quod cogitat, & vult loqui. Deinde hæc cogitatio, seu verbum per modum obiecti efficit in intellectu alterius, non speciẽ impressam sui, sed notitiam, & cognitionem. Qua informatus intellectus alterius, audire dicitur verbum intellectus ab alio prolatum. Quam sententiam Vazquez ibi multis impugnat: nobis autem in eo solùm displicet, quòd affirmat, loquutionem produci à verbo existente in intellectu loquentis. Quamvis enim verum sit, speciem impressam simul cũ intellectu loquentis priùs producere verbum, seu cognitionem in ipsiusmet loquentis intellectu: hoc tamen est per accidens: per se enim ad producendum verbum ex parte intellectus solùm cõcurrit memoria fæcunda, hoc est, intellectus simul cum obiecto sibi debitè approximato, aut cum specie impressa illius. Si autem loquen-

quendum sit alij, aut producendum sit verbum in alio, simul concurrit voluntas Angeli loquentis liberè applicans suum intellectum, & speciem, aut obiectum de quo est loquendum. De quo videatur Scotus *in 2. d. 9. quæst. 2. §. A vlteriori ad vers. Ex hoc patet.*

79 Insuper refutata manet sententia, quæ affirmat, vnum Angelum alteri loqui expressione alicuiꝰ signi spiritualis, quod talis naturæ est, vt remanens in Angelo loquente manifestè significet alteri, cui loquens vult, suum secretum. Pro hac sententia Vazquez *ibi cap. 10. à num. 53. citat Anselmum, Damasc. Clithoveũ, Lyram, Ægidium, Thomam Argentinam, Greg. Marsilium, & Canum:* & ipse Vazquez *num. 57.* ipsam iudicat cæteris alijs sententijs probabiliorem. Hæc tamen sententia ex eo nobis displicet; quòd superfluè recurrimus ad signa, quando rem sine illis possumus alijs significare. Sed Angelus potest immediatè suum conceptum alteri explicare producendo illi speciem expressam: (vt *numero 24. & 69.* cum Scoto probabamus) ergo superfluè recurritur ad prædicta signa spiritualia. Nec difficultatem debet ingerere, quòd pro hac sententia citentur *Damasc. Anselmus, & aliqui alij* Patres: hi enim non explicant, qualia sint signa spiritualia, quibus Angeli sibi mutuò locuntur: vt de Anselmo notat ipse Vazquez *ibi num. 36.* Solùm quippè condistinguunt modum loquendi, seu linguam Angelorum à modo loquendi, seu à lingua hominum propter illud *primæ ad Corint. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Et nos dicimus, prædicta signa, seu Angelorum linguam esse eorum conceptus, seu intellectiones; quibus sibi ipsis mutuò loquuntur, & sua secreta manifestant. In quo distinguuntur ab hominibus, qui per signa sensibilia collocuntur, & sua secreta manifestant.

80 Denique à fortiori remanent refutatæ sententiæ, quæ affirmant, Angelorum loquutionem esse quamdam expressionem; seu expressam cognitionẽ subiectatam in intellectu loquẽtis, ita vt audire non sit aliquid à loquente recipere, sed præcisè videre. Ita Henricus *quodl. 5. q. 13. art. 2. Herveus, & Maior.* Nec displicet Vazq. *disp. 211. cap. 11.* vt testatur noster Pilosus *disp. 14. art. 3. num. 11.* Tamen in præsenti dubio supponimus ex dictis *à n. 15.* loquutionem non fieri sine aliquo recepto in audiente: & ideo in hac, & similibus sententijs refutandis non immoramur. Recolantur dicta *à num. 25.*

DVBIVM X.

81 PEtes decimò, quæ sit differentia inter audire, & vi-

videre actualem conceptum loquentis? Respondetur, quòd *in auditione intellectus audientis tantùm est passivus, & quidquid est in eo, ita quod si habet speciem habitualem ipsius auditi, illa species etiam non agit ad auditionem. Quidquid etiam est sibi præsens, nihil agit ad eam, &c. Sed solùm gigneret in eo visionem*: inquit Scotus *in 2. dist. 9. q. 2. §. Ad ulteriorem vers. Patet.* Itaque, tàm visio intellectualis alicuius obiecti, quàm eiusdem obiecti auditio intellectualis conveniunt in hoc, quòd sunt intellectiones illius. Differunt tamen in hoc, quòd visio (intuitiva, vel abstractiva) fit ab intellectu videntis, seu intelligentis, simul concurrente obiecto, vel illius specie. Auditio autem fit à loquente, & imprimitur in intellectu audientis ita totaliter, vt audiens, & quidquid est in intellectu illius nihil totaliter, aut partialiter agant ad talem auditionem, sed ipsam totaliter producat ille, qui loquitur, & illã imprimat in intellectu Angeli audiẽtis. Et ratio est, quia ex dubio præcedẽti id, quod loquẽs efficit in audiẽte, est intellectio: ergo audiẽs respectu illius passivè se habet.

82 Hinc constat, quòd eadẽmet intellectio est simul loquutio, & auditio loquutio (inquam) inquantum respicit Angelum, à quo efficitur, & qui per eam manifestat aliquid audienti; vel saltem ei liberaliter communicat suum conceptum. Est autem auditio, inquantùm recipitur in eo, qui passivè se habet ad illam.

83 Est etiã alia differẽtia inter visionẽ, & auditionem, nempè quòd, semel applicato obiecto visionis, ista necessariò fit ab intellectu, & obiecto: vtrũq; enim (scilicet tàm obiectũ, quàm intellect⁹) sunt causæ naturales: & cõsequenter naturaliter, seu necessariò producunt. Ad auditionẽ verò simul concurrit voluntas loquentis taliter, vt liberrimè illa loquutio producatur ab illo. Quare Angelus audiens illã habere non potest, nisi Angelus loquens liberè sibi eam cõmunicet. ¶ Dices, contingere potest, quòd audiens habeat speciẽ illi⁹ obiecti, de quo loquẽs loquitur sibi: ergo Angelus audiens potest tunc habere notitiam talis obiecti independẽter à loquẽte. Resp. distinguẽdo consequens: verum est enim, quòd tunc potest habere notitiã, quæ sit visio, non autem quæ sit auditio.

84 Nota obiiter, nõ esse necessariũ ad auditionẽ, & loquutionẽ, quòd loquutio fiat de obiecto incognito. Possunt enim Angeli colloqui inter se de rebus notis. Et tunc verum est, quòd locutio sit ignoti manifestativa: quia, quantum est de se, obiectum manifestaret, si aliàs non esset notum. Idque volunt significare, qui di-

dicunt, ad loquutionem sufficere, quòd sit liberalis conceptuū communicatio. Non enim possunt negare, quòd locutio sit manifestativa rei occultæ, cū in loquutio fiat medijs verbis: verbum autem sit signum à dicente prolatum manifestativū eius quod est in mente. Recolantur dicta *in numero 11. & dicenda à numero* 118.

84 Est item alia differentia inter auditionem, & visionem: certior enim est auditio, quàm visio, quæ de obiecto audito generatur in audiente: vt docet Scotus ibi *vers. Patet etiam.* Pro quo notat, quòd *Gabriel v.g. cognoscens aliquid in genere proprio, vel per revelationem, quod non novit Michael in particulari, potest in intellectu ipsius causare conceptum, qui propriè dicitur auditio. Quo causato potest Michael convertere se ad intellectum Gabrielis videndum, & in eo videbitur illa intellectio, quam Gabriel habet, & etiam in ista intellectione videbitur aliquo modo obiectum ipsius intellectionis.* Igitur, cùm per auditionem Michael v.g. cognoscat obiectum auditum, vel loquutum plenè, & distinctè, per visionem autē, qua convertendo se ad intellectionem existentem in Gabriele videt obiectum solùm confusè, fit, quòd auditio sit certior, quàm prædicta visio.

85 Dices, intellectionem esse expressam similitudinem, seu repræsentationem obiecti: ergo intellectus per illā perfectè, clarè, & distinctè attingit obiectū illius. Respondetur distinguendo consequens: est enim verum de intellectu, cui intellectio inest: falsum autem de intellectu, qui illam intellectionem intuetur. Et ratio discriminis est, quòd respectu istius non est ratio cognoscendi obiectum, sed obiectum cognitum, quod media specie impressa sui, vel immediatè per se ipsam movet intellectum ad cognoscendum se ipsam, non autem obiectum, cuius ipsa est formalis repræsentatio. ¶ Instabis: intellectio in se, seu ex suis prædicatis est expressa similitudo, seu formalis repræsentatio obiecti: ergo etiam ille intellectus, qui ipsam intuetur cognoscet obiectum illius expressè, & formaliter. Respondetur negando consequentiam: cùm enim sit forma, & in genere causæ formalis prę-stet illum effectum repręsentandi obiectum, si non informat, formaliter non repræsentat. Et ideo solùm illi intellectui, cui inest, seu quem informat, repræsentat formaliter, distinctè, seu expressè obiectum; non autem alteri intellectui, respectu cuius non est forma, sed obiectum.

DVBIVM II.

86 Petes vndecimò, an Angelus inferior possit loqui

qui superiori in quocumq; eventu? Respond. affirmative. Quia non apparet, quid posit impedire. ¶ Dices, posse contingere, quòd superior Angelus intensissimè cogitet de aliquo obiecto: sed Angelus inferior eum dimovere non potest à tali cognitione: ergo tūc frustrà ei loquetur: cùm tunc non audiat superior. Respondetur negando cōsequētiam, vel suppositum consequētis, nimirum quòd quamvìs intensè satis cogitet de aliquo obiecto, non posit simul cogitare de alio: si enim potest homo simul plura, vt plura cognoscere, cur id etiam non poterit Angelus, qui est natura perfectior? Recolantur quæ diximus *cap. 4. diff. 4. à num.* 223.

87 Sed contra hoc videtur apertè stare Scotum *in 2. dist. 9. q 2. § Ad vlteriorem vers. Tertiū probo*, vbi docet, quòd in dicto casu Angelus inferior loquens *non causabit intellectionem actualem ipsius B.* (exemplificaverat in Angelo cognoscente B.) *quia non possunt duæ inesse sibi. Et aliquid causabit, quātum poterit: quia vult conceptum suum alij communicare, quantum potest: ergo causabit speciem illius B. si non præhabeatur in intellectu superioris.* Hucusque Scotus. Vnde clarissimè docet, quod duæ cognitiones non possunt esse simul in eodem Angelo. Et ideo addit, quòd tunc Angelus loquens causabit in audiente speciem impressam obiecti, quod per locutionem manifestare vult. Apertè ergo est cōtra Scotum affirmare, Angelum inferiorem posse loqui superiori in quocumque eventu. ¶ Etsi dicas, in prædicto casu etiam loqui inferiorem superiori; cùm illi imprimat speciem impressam: quæ etiam est imperfectā loquutio iuxta dicta *num.* 70. Contra hanc responsionem stat, quòd saltem non poterit inferior Angelus Angelo superiori loqui perfectè in omni eventu: quod in conclusione debebat explicari. Præterea ipsemet Scotus affirmat, quòd inferior causabit speciem impressam, *si non præhabeatur in intellectu superioris*: & consequenter docet, quòd neq; speciem impressam rei, quam manifestare vult, causabit, si in Angelo superiori species talis obiecti præhabeatur.

88 Resp. nostram conclusionem regulariter, & in omni evētu morali esse veram. Cùm quo fatemur posse fingi aliquem casum metaphysicum, in quo Angelus inferior non posset loqui superiori, supponendo scilicet, quòd Angelus non potest recipere infinitas intellectiones; nec non, & supponendo, quòd in aliquo casu haberet maximū numerum illarum, quē habere potest. In quo casu loquitur Scotus citatus: vt cum Tartareto notabamus *numero* 64.

DVBIVM XII.

89 PEtes duodecimò, an Angeli ſibi invicem loquantur in quacumque diſtantia? Reſpondetur affirmativè. Quia ad hoc non habent determinatam ſphæram. Vt enim probat Scotus *in 2. diſt. 9. quæſt. 2 § Ad quæſtionem à verſ. Ad iſta*, ideo agentia corporea habent determinatam diſtantiam, & ſphæram: quia, cùm priùs agant in propinquum, quàm in remotum, & in medium, quàm in extremum, illorum actio paulatim minuitur. Et propter hanc rationem (vt obiter hoc advertatur) agunt fortiùs in propinquum, quàm in remotum. Sed Angelus loquens non priùs agit in propinquum, quàm in diſtans: ergo eius actio locutiva ex hoc capite non minuitur ex diſtantia: & conſequenter quæcumque diſtantia non impediet, quin Angeli poſsint ſibi invicem loqui. Minor conſtat: quia, cùm loquutio Angelica ſit actio ſpiritualis, nequit agere in corpus medians inter Angelum loquentem, & audientem. Hanc concluſionem tenent *Scotus ibi, & Scotiſtæ, præſertim Fabro diſput. 37. à numero 2. ex alijs autem D. Thom. quæſt. 107. articulo. 4. in corpore, ibi Caiet. & communiter Thomiſtæ recentiores, Alenſis, & Marſilius, quos citant, & ſequuntur Vazquez diſput. 212. cap. 2. & Suarez lib. 2. capit. 28. numero. 13.*

90 Sed, Angelos non poſſe ſibi invicem loqui in quacumque diſtantia defendunt ex noſtris *D. Bonaventura, Richardus, Baſſolius, & Ochamus, quos, & Gregorium, atque Maiorem citant prædicti Suarez ibi numero 10. & Vazquez cap. 1.* Pro qua ſententia obijciunt Scotum *in 2. diſt. 9. quæſt. 2. § Ad quæſtionem verſic. Poteſt reſponderi*, vbi reſpondendo ad quoddam argumentum dicit, *quòd nimia diſtantia impedit Angeli loquutionem. Ideo debet eſſe moderata diſtantia. Sed quanta determinatè? Dico, quòd Deus novit.* Reſpondetur, verba iſta non eſſe Scoti, ſed additionem: & ideo notantur ſigno additionis. ¶ Dices, iſtam additionem eſſe ex mente Scoti. Dicunt enim Additioniſtæ ibi: *Poteſt reſponderi, ſicut reſpondet Doctor in Reportatis, quòd nimia diſtantia, &c.* Reſpondetur illos, Additioniſtas non vidiſſe Scotum in Reportatis; quia ibi nullo modo illis favet: niſi fortè in antiquioribus Reportatis erat aliquid, quòd non eſt in Reportatis, quæ nunc extant, vt benè notat Fabro ibi *num. 1.*

100 Iterum obijciunt Scotum *in 4. diſt. 45. quæſt. 2 §. Ad argumenta verſ. Ad tertium*, vbi apertè fatetur, quòd non poteſt acquiri notitia de obiecto in quacumque diſtantia locali, iuxta

illud

illud August. *in libro de cura pro mortuis agenda*, vt citat Scotus in principio illius quæstionis. *Animæ separatæ non noverunt ea, quæ hic aguntur, nisi eis exprimantur ab Angelis, vel ab animabus ad eas venientibus, quæ illa hic noverunt*: ergo sentiunt Augustinus, & Scotus, quòd distantia impedit cognitionem: & consequenter locutionem Angelorum; quæ est quædam cognitio. Respondetur negando consequentiam, de cognitione, quæ est locutio, seu causatur ab Angelo loquente: & concedendo de cognitione, quæ causatur ab obiecto. Disparitatis autem ratio est, quòd ad loquendum Angelus nihil causat in medio: & sic non minuitur eius virtus effectiva: obiectum autem non causat in distans, quin causet in propinquum speciem impressam: & consequenter per multiplicationem causationum tandem exhauritur eius virtus effectiva.

101 Instabis: cognitio intuitiva fit sine specie impressa, & per solam motionem obiecti: ergo ad cognitionem intuitivam non impediet distantia secundùm hanc solutionem: quod videtur contra Augustinum in præcitatis verbis: voluntaria ergo est prædicta solutio: & consequenter ad cognitionem, quæ est loquutio Angeli impediet distantia nimia. Respōdetur distinguendo consequēs: est enim verū de cognitione intuitiva præcise sumpta: falsum autem de cognitione abstractiva, quæ cōmitatur intuitivam. Itaque obiectū, quod, quatenus præsens, movet per se ipsum immediatè ad cognitionem intuitivam; simul movet per speciem sui ad cognitionem abstractivam: (vt diximus *c.4. diff.3. à num.19.*) & consequenter nō ampliùs se extendit eius virtus motiva ad movendum immediatè, ac se extēdit ad movendū mediante specie. Vnde fit, vt cū mediatè non posit movere in quacūque distantia, quia per multiplicatas productiones specierum tādem finitur eius virtus: nec immediatè per se ipsum posit movere in quacumque distantia. Quare etsi attendēdo ad id, quod exposcit motio obiecti respectu cognitionis intuitivæ, non obstet distantia aliqua ad hoc, vt obiectū moveat: obstat tamen attendēdo ad id, quod exposcit motio obiecti respectu cognitionis abstractivæ. Cùm ergo ad loquutionem Angelicam nulla productio speciei in medio, per quod distant Angelus loquens, & audiens, sit necessaria, fit, vt nulla distantia impediat loquutionem illorum.

102 Obijciunt secundò, quòd agens, & passum, movens, & motum debent esse simul: *ex 7. Physicorum textu 7. & 9.* ergo

dicunt, ad loquutionem sufficere, quòd sit liberalis conceptuū communicatio. Non enim possunt negare, quòd locutio sit manifestativa rei occultæ. cū n loquutio fiat medijs verbis: verbum autem sit signum à dicente prolatum manifestativū eius quod est in mente. Recolantur dicta *in numero 11. & dicenda à numero* 118.

84 Est item alia differentia inter auditionem, & visionem: certior enim est auditio, quàm visio, quæ de obiecto audito generatur in audiente: vt docet Scotus ibi *verſ. Patet etiam.* Pro quo notat, quòd *Gabriel v.g. cognoscens aliquid in genere proprio, vel per revelationem, quod non novit Michael in particulari, potest in intellectu ipsius causare conceptum, qui propriè dicitur auditio. Quo causato potest Michael convertere se ad intellectum Gabrielis videndum, & in eo videbitur illa intellectio, quam Gabriel habet, & etiam in ista intellectione videbitur aliquo modo obiectum ipsius intellectionis.* Igitur, cùm per auditionem Michael v.g. cognoscat obiectum auditum, vel loquutum plenè, & distinctè, per visionem autē, quā convertendo se ad intellectionem existentem in Gabriele videt obiectum solùm confusè, fit, quòd auditio sit certior, quàm prædicta visio.

85 Dices, intellectionem esse expressam similitudinem, seu repræsentationem obiecti: ergo intellectus per illā perfectè, clarè, & distinctè attingit obiectū illius. Respondetur distinguendo consequens: est enim verum de intellectu, cui intellectio inest: falsum autem de intellectu, qui illam intellectionem intuetur. Et ratio discriminis est, quòd respectu istius non est ratio cognoscendi obiectum, sed obiectum cognitum, quod media specie impressa sui, vel imimmediatè per se ipsam movet intellectum ad cognoscendum se ipsam, non autem obiectum, cuius ipsa est formalis repræsentatio. ¶ Instabis: intellectio in se, seu ex suis prædicatis est expressa similitudo, seu formalis repræsentatio obiecti: ergo etiam ille intellectus, qui ipsam intuetur cognoscet obiectum illius expressè, & formaliter. Respondetur negando consequentiam: cùm enim sit forma, & in genere causæ formalis præstet illum effectum repręsentandi obiectum, si non informat, formaliter non repræsentat. Et ideo solùm illi intellectui, cui inest, seu quem informat, repræsentat formaliter, distinctè, seu expressè obiectum; non autem alteri intellectui, respectu cuius non est forma, sed obiectum.

DVBIVM II.

86 Petes vndecimò, an Angelus inferior posſit loqui

qui superiori in quocumq; eventu? Respond. affirmative. Quia non apparet, quid possit impedire. ¶ Dices, posse contingere, quòd superior Angelus intensissimè cogitet de aliquo obiecto: sed Angelus inferior eum dimovere non potest à tali cognitione: ergo tūc frustrà ei loquetur: cùm tunc non audiat superior. Respondetur negando cōsequē tiam, vel suppositum consequētis, nimirum quòd quamvis intensè satis cogitet de aliquo obiecto, non possit simul cogitare de alio: si enim potest homo simul plura, vt plura cognoscere, cur id etiam non poterit Angelus, qui est natura perfectior? Recolantur quæ diximus *cap. 4. diff. 4. à num. 223.*

87 Sed contra hoc videtur apertè stare Scotum *in 2. dist. 9. q 2. § Ad vlteriorem vers. Tertiū probo*, vbi docet, quòd in dicto casu Angelus inferior loquens *non causabit intellectionem actualem ipsius B.* (exemplificaverat in Angelo cognoscente B.) *quia non possunt duæ inesse sibi. Et aliquid causabit, quātum poterit: quia vult conceptum suum alij communicare, quantum potest: ergo causabit speciem illius B. si non præhabeatur in intellectu superioris.* Hucusque Scotus. Vnde clarissimè docet, quod duæ cognitiones non possunt esse simul in eodem Angelo. Et ideo addit, quòd tunc Angelus loquens causabit in audiente speciem impressam obiecti, quod per locutionem manifestare vult. Apertè ergo est cōtra Scotum affirmare, Angelum inferiorem posse loqui superiori in quocumque eventu. ¶ Etsi dicas, in prædicto casu etiam loqui inferiorem superiori; cùm illi imprimat speciem impressam: quæ etiam est imperfecta loquutio iuxta dicta *num.* 70. Contra hanc responsionem stat, quòd saltem non poterit inferior Angelus Angelo superiori loqui perfectè in omni eventu: quod in conclusione debebat explicari. Prætereà ipsemet Scotus affirmat, quòd inferior causabit speciem impressam, *si non præhabeatur in intellectu superioris*: & consequenter docet, quòd neq; speciem impressam rei, quam manifestare vult, causabit, si in Angelo superiori species talis obiecti præhabeatur.

88 Resp. nostram conclusionem regulariter, & in omni evētu morali esse veram. Cūm quo fatemur posse fingi aliquem casum metaphysicum, in quo Angelus inferior non posset loqui superiori, supponendo scilicet, quòd Angelus non potest recipere infinitas intellectiones; nec non, & supponendo, quòd in aliquo casu haberet maximū numerum illarum, quē habere potest. In quo casu loquitur Scotus citatus: vt cum Tartareto notabamus *numero* 64.

DVBIVM XII.

89 **P**Etes duodecimò, an Angeli sibi invicem loquantur in quacumque distantia? Respondetur affirmativè. Quia ad hoc non habent determinatam sphæram. Vt enim probat Scotus *in 2. dist. 9. quæst. 2 §. Ad quæstionem à vers. Ad ista*, ideo agentia corporea habent determinatam distantiam, & sphæram: quia, cùm priùs agant in propinquum, quàm in remotum, & in medium, quàm in extremum, illorum actio paulatim minuitur. Et propter hanc rationem (vt obiter hoc advertatur) agunt fortiùs in propinquum, quàm in remotum. Sed Angelus loquens non priùs agit in propinquum, quàm in distans: ergo eius actio locutiva ex hoc capite non minuitur ex distantia: & consequenter quæcumque distantia non impediet, quin Angeli possint sibi invicem loqui. Minor constat: quia, cùm loquutio Angelica sit actio spiritualis, nequit agere in corpus medians inter Angelum loquentem, & audientem. Hanc conclusionem tenent *Scotus ibi, & Scotistæ, præsertim Fabro disput. 37. à numero 2. ex alijs autem D. Thom quæst. 107. articulo. 4. in corpore, ibi Caiet. & communiter Thomistæ recentiores, Alensis, & Marsilius, quos citant, & sequuntur Vazquez disput. 212. cap. 2. & Suarez lib. 2. capit. 28. numero. 13.*

90 Sed, Angelos non posse sibi invicem loqui in quacumque distantia defendunt ex nostris *D. Bonaventura, Ricardus, Bassolius, & Ochamus, quos, & Gregorium, atque Maiorem citant prædicti Suarez ibi numero 10. & Vazquez cap. 1.* Pro qua sententia obijciunt Scotum *in 2. dist. 9. quæst 2. §. Ad quæstionem versic. Potest responderi*, vbi respondendo ad quoddam argumentum dicit, *quòd nimia distantia impedit Angeli loquutionem. Ideo debet esse moderata distantia. Sed quanta determinatè? Dico, quòd Deus novit.* Respondetur, verba ista non esse Scoti, sed additionem: & ideo notantur signo additionis. ¶ Dices, istam additionem esse ex mente Scoti. Dicunt enim Additionistæ ibi: *Potest responderi, sicut respondet Doctor in Reportatis, quòd nimia distantia, &c.* Respondetur illos, Additionistas non vidisse Scotum in Reportatis; quia ibi nullo modo illis favet: nisi fortè in antiquioribus Reportatis erat aliquid, quòd non est in Reportatis, quæ nunc extant, vt benè notat Fabro ibi *num. 1?*

100 Iterum obijciunt Scotum *in 4. dist. 45. quæst. 2 §. Ad argumenta vers. Ad tertium*, vbi apertè fatetur, quòd non potest acquiri notitia ae obiecto in quacumque distantia locali, iuxta

illud

illud August. *in libro de cura pro mortuis agenda*, vt citat Scotus in principio illius quæstionis. *Animæ separatæ non noverunt ea, quæ hic aguntur, nisi eis exprimantur ab Angelis, vel ab animabus ad eas venientibus, quæ illa hic noverunt*: ergo sentiunt Augustinus, & Scotus, quòd distantia impedit cognitionem: & consequenter locutionem Angelorum; quæ est quædam cognitio. Respondetur negando consequentiam, de cognitione, quæ est locutio, seu causatur ab Angelo loquente: & concedendo de cognitione, quæ causatur ab obiecto. Disparitatis autem ratio est, quòd ad loquendum Angelus nihil causat in medio: & sic non minuitur eius virtus effectiva: obiectum autem non causat in distans, quin causet in propinquum speciem impressam: & consequenter per multiplicationem causationum tandem exhauritur eius virtus effectiva.

101 Instabis: cognitio intuitiva fit sine specie impressa, & per solam motionem obiecti: ergo ad cognitionem intuitivam non impediet distantia secundùm hanc solutionem: quod videtur contra Augustinum in præcitatis verbis: voluntaria ergo est prædicta solutio: & consequenter ad cognitionem, quæ est loquutio Angeli impediet distantia nimia. Respōdetur distinguendo consequēs: est enim verū de cognitione intuitiva præcise sumpta: falsum autem de cognitione abstractiva, quæ cōmitatur intuitivam. Itaque obiectū, quod, quatenus præsens, movet per se ipsum immediatè ad cognitionem intuitivam; simul movet per speciem sui ad cognitionem abstractivam: (vt diximus *c.4. diff.3. â num.19.*) & consequenter nō ampliùs se extendit eius virtus motiva ad mōvendum immediatè, ac se extēdit ad movendū mediante specie. Vnde fit, vt cū mediatè non posit movere in quacūque distantia, quia per multiplicatas productiones specierum tādem finitur eius virtus: nec immediatè per se ipsum posit movere in quacumque distantia. Quare etsi attendēdo ad id, quod exposcit motio obiecti respectu cognitionis intuitivæ, non obstet distantia aliqua ad hoc, vt obiectū moveat: obstat tamen attendēdo ad id, quod exposcit motio obiecti respectu cognitionis abstractivæ. Cùm ergo ad loquutionem Angelicam nulla productio speciei in medio, per quod distant Angelus loquens, & audiens, sit necessaria, fit, vt nulla distantia impediat loquutionem illorum.

102 Obijciunt secundò, quòd agens, & passum, movens, & motum debent esse simul: *ex 7. Physicorum textu 7. & 9.* ergo

calefactiva,&c.) non agat virtus generativa muris, auri, &c. Igitur cùm Angelus loquens nullo modo agat in medium per virtutem loquendi, aut per aliam virtutem, fit, vt per nullam distantiam possit impediri eius loquutio.

104 Obijciunt tertiò, quòd *ex 2. de Anima tex.* 74. si daretur vacuum, nihil videretur; quia species visibilis non posset pertingere ad oculum. ergo neque Angelus potest loqui Angelo localiter distanti. Patet consequẽtia: quia tunc ageret in extremo, quin ageret in medio: & cõsequenter esset idem, ac agere per vacuum. Respondetur, hoc argumento probari, Angelum in nulla distantia posse alterum alloqui: vt *num.* 102. ad simile argumentum dicebamus. Sed, hoc omisso, negamus consequẽtiam: quia illa ratio Philosophi, non currit in præsenti. Ad visionem quippe obiectum corporeũ debet producere species visibiles in medio: quare, ablato aère intermedio, non daretur quid prævię requisitum ad visionem, & consequenter neque visio. Angelus autem loquens nihil producit in medio: & consequẽter etiam in vacuo posset alteri loqui.

105 Obijciunt quarto: Angelus potest alteri loqui in quacumque distantia? ergo idem posset, etiam si localiter infinitè distarent. Respondetur, non posse dari infinitam distantiam: hac tamen admissa, concedo consequentiam, quam probabiliter concedit Suarez *lib. 2. cap. 28. n. 18.* ¶ Dices, quòd virtus Angeli ad loquendum est finita: ergo habet sphæram limitatam: ergo nequit se extendere ad infinitam distantiam: Respondetur, negando secundam consequentiam: quia ex limitatione virtutis productivæ infertur sanè, illam virtutem habere sphæram limitatam respectu rei producendæ; non verò respectu distantiæ localis. Sicut enim ex eo, quòd aliqua causa habet virtutem producendi aliquem effectum, impertinenter inferretur, producturam esse, vel non esse in hoc, vel illo loco: ita impertinenter infertur, quod illum effectum productura sit in distantia finita, vel infinita. Quod autem infertur ex hoc, quod virtus productiva est finita, est, non posse producere in distantia infinita, si aliàs aliquid debet producere in toto illo medio: tunc quippè planè inferretur, finitam illam virtutem se extendere ad producendum aliquid infinitum.

DVBIVM XIII.

106 PEtes duodecimò, an Angelus possit vni, vel alteri loqui, non tamen omnibus

quòd illa virtus generativa nequit simul applicari pluribꝰ materijs, seu fœminis: etenim vna applicatio impedit pro tūc aliā.

DVBIVM XV.

109 PEtes quintodecimò: quā tis Angelis numero possit vnus loqui? Resp. quòd hoc solus Deꝰ novit. Quia nō apparet ratio, qua nos possimus hoc determinare. Vnū tamē debet esse certū in nostris, & Scoti principijs, nempe, non posse simul, aut successivè de eadē, aut de diversa materia loqui infinitis, etiā si infiniti darentur. Quia, cùm eius virtus productiva sit finita, & limitata: & aliàs cuilibet loquatur producendo in illo speciem expressam, tādem finiretur eius virtus per multiplicatas productiones: & consequēter nō posset infinitis loqui. Hoc dubium proposuit Scot. *in 2. d. 9. q. 2. § De secūdo, vers. Sed tunc*, & illud nō resolvit: nostrā autē resolutionem tenent. *Additionistæ S*cot*i ibi Tartaretus eadem q. §. Sed quia* Suar. *lib. 2. c. 28. n. 21. & aly.*

110 Sed Pil. *dis. 14. art. 6. n. 3.* affirmat, probabile esse, Angelū simul posse loqui infinitis: (si darētur) & obijcit, quòd si vna numero albedo esset præsēs infinitis oculis in infinitis locis, vel in eodē loco se penetrantibus; illa albedo simul infinitas causaret species, & infinitas visiones in illis oculis, medijs illis speciebus impressis: ergo & Angelꝰ posset simul infinitis loqui. (si infiniti Angeli darētur) Resp. negād antecedēs: Cùm enim illa albedo sit quid finitum, & limitatum per multiplicatas productiones tādem finiretur eius virtus. ¶ instabis quærendo, in quibus oculis ponerentur illæ species, & visiones? Quia non est maior ratio de vno, quàm de alio: cū omnibus illa albedo supponatur præsens, & applicata. Resp. quod a causa prima, quæ supplet defectus secundarū, hoc esset determinandū. In nostro autem casu cū Angelus se voluntariè applicet, produceret intellectiones pro suo placito, in istis potiùs, quàm in illis.

11 Obijcit secundò, quòd illa efficientia albedinis non argueret infinitam perfectionē virtutis activæ: ergo infinitas visionis efficeret. Antecedens probatur: talis enim efficientia partialis est respectu visionū: & ideo ex parte sua potest ad infinitas visiones se extendere: quia tunc solùm inferretur, quòd partialiter cōcurreret ad infinitas productiones. Sic potest idē homo simul infinitis hominibus loqui quantū est ex parte sua. Idē quippè cōcionator in tēplo simul perfectè auditur ab omnibꝰ æquè præsentibus: & si per absolutā Dei potētiā infiniti ponerētur æquè præsentes, ab omnibꝰ æquè perfectè audiretur: ergo poterit vnus Angelus, quātū est ex se, simul loqui

qui infinitis. Respond. negando antecedens. Ad probationem dico, quòd saltem respectu productionum specierum impressarum albedo est causa totalis: quare, omisso, quòd partialis efficientia infinitarum productionum, non arguat infinitatem potentiæ activæ; (quod mihi satis difficile apparet) saltem ex totali efficientia specierum impressarum colligeremus infinitatem virtutis activæ. Et idem colligeremus in Angelo loquēte infinitis: debebat enim totaliter causare in vnoquoque illorum auditionem, audiente merè passive se habente. Recolantur dicta *à num. 80.*

112 Hinc patet ad exemplū hominis loquentis in templo multis, â quibus omnibus perfectè auditur, & audiretur (inquit Fabro) ab infinitis, si æquè præsentes ponerentur. Patet, (inquam) quòd, si talis auditio causatur solùm partialiter à loquente, nobis non obstat: quia Angeli totaliter causant auditionem. Si autem dicatur, quòd species soni, aut vocis ab illo causatur totaliter, dicimus, non posse causare infinitas species vt de albedine nuper dicebamus.

DVBIVM XVI.

113 Petes decimosextò, an Angelus possit loqui vni, quin ab alijs audiatur? Respondetur affirmativè. Quia, vt alij dicerentur audire, debebat cognitio causari à loquente in audiente. Sed potest Angelus solùm vni, vel alteri causare intellectionem: ergo potest loqui vni, vel aliquibus, quin alij audiant. Colligitur ex Scoto *in 2. dist. 9. quæst. 2. §. & vers. De secundo*, & tenent Scotistæ, præcipuè Tartaretus *ibi §. De secundo ex alijs autem* D. *Thom. 1 p. q. 107. art. 5.* Ricardus, *Marsilius, Bassolis, Ochamus, & Gabriel, quos citat, & sequitur* Suarez *lib. 2. cap. 28. num. 25. Pro qua sententia Vazq. disp. 213. cap. 1. num. 1. etiam citat Ægidium, & Caietanum.*

114 Sed oppositum defendunt Fabro *disp. 38. numero 5. & Vazq. disp. 213. cap. 2. qui num. 4. citat pro hac sententia Gregorium, Gabrielem, Maiorem, Hervaum, & Ochamum*, & multi Scotistæ existimant esse Scoti sententiam: & obijciunt. Illa loquutio est quædam intellectio producta à loquente in intellectu audientis: ergo cognoscibilis est à quocumque Angelo: immo de facto cognoscetur ab illo, qui voluerit se applicare ad illam cognoscendam. Prima consequentia patet, ex eo quòd est obiectum proportionatum potentiæ cognoscitivæ Angelicæ. Et ideo *cap. 4. diff. 4. à num. 30.* diximus, secreta cordium esse obiecta naturaliter cognoscibilia ab Angelo. Secunda verò consequentia constat, ex eo quòd loquendo de obiectis, quæ naturaliter sunt sibi cognoscibilia

lia

lia, solùm negamus Angelum cognoscere secreta cordis propter rationes, quas adduximus *cap.4.diffi.4. à num.17.* sed illa locutio non est secretum cordis: ergo illam de facto cognoscet Angelus qui voluerit se applicare ad illam cognoscendam. igitur Angelus non poterit loqui vni, vel aliquibus Angelis, quin ab alijs audiatur.

115 Respondetur negando vltimam consequentiam; quia auditio non est quæcũque cognitio; sed cognitio impressa à loquente in audiente, respectu cuius cognitionis audiens merè passivè se habet: vt notat Scotus *in 2. d. 9. q. 2. §. Ad vlteriorem versic. Quarto modo* Quare ex prædicta ratione convincetur quidem non posse Angelum alteri loqui, quin alij cognoscere possint, & de facto cognoscent illam loquutionem productam in mente audiẽtis, (quia ex quo est producta extra loquentem non spectat ad secretum cordis) non tamen convincitur, quod alij audiant, aut audire possint: quia auditio pendet ex voluntate Angeli loquentis, qui velit producere intellectionẽ in mente audientis.

116 Hinc mihi suadetur, in hac re plus esse æquivocationis, quàm controversiæ, præcipuè inter Scotistas. Sicut enim non possunt negare in principijs Scoti, omnia entia naturalia (si secretum cordis excludamus) de facto cognoscere Angelum, si ad illorum cognitionem se voluerit applicare. Ita negare non possunt, Scotum *versiculo illo Quarto modo* condistinguere auditionem ab alijs cognitionibus, quas loquens non causat in audiente merè passivè se habente: cùm ergo solùm sit auditio, quam loquens voluntariè causat in audiente; poterit sanè loqui vni, vel pluribus, quin alij audiant.

DVBIVM XVII.

117 PEtes decimòseptimò, an plures Angeli possint simul loqui eidem Angelo, seu causare in eo plures cognitiones? Respondetur affirmativè, non solùm quando plures illi Angeli loquerentur de diversis rebus; sed etiam quando locuntur de eadem re, & cum eadem intensione. In primis ergò probatur in casu, quòd loquantur de pluribus. Quia sicut homo, vel Angelus potest simul plura, vt plura intelligere: vt diximus *cap. 4. diffi. 4. à num. 123.* potest plura simul audire sive ab vno, sive à pluribus. Si tamen loquãtur de eadẽ re, & cum eadem intensione, maior est difficultas: probatur tamen ex eo, quòd si aliquid obstaret, esset quòd duo accidentia solùm numero distincta nequeunt (saltem naturaliter) esse in eodem. Sed hoc non con-

contingit in præsenti; quia plures illæ intellectiones, quas plures Angeli loquentes imprimũt in Angelo audiente, non sunt omnino similes: cùm respiciant diversos loquentes: ergo nihil obstat. Recolantur dicta *numero* 68. Vnde patet solutio ad argumentum, quod contra hoc fieri potest in hunc modum: loquutio in nostra sententia fit per productionẽ cognitionis in audiente. Sed in eodem intellectu non possunt esse duo actus omnino similes: (sicut neque in eodem pariete duæ albedines eiusdem intensionis) ergo de eadem re plures Angeli non possunt simul eidem loqui cum eadem intensione. *Ita Lychetus in 2. d. 9. q. 2. §. Angela versic. Ad secundam difficultatem.* Respondetur tamen facilè ex dictis, quod illæ plures locutiones, seu cognitiones receptæ in audiente non sunt omnino similes: cùm respiciant diversos loquentes.

DVBIVM. XVIII.

118 PEtes decimòoctavò an Angelus posit alteri loqui de obiecto iam noto audiẽti? Respõdetur affirmativè. Quia homines sæpe colloquuntur de rebus anteà cognitis. Ita Scotus *in 2. d. 9. q. 2. §. Ad vlteriorem vers. Patet etiam, & §. Ad argumenta secundæ quæstionis ver. Etsi dicas.* ¶ Dices, frustraneam esse talem loquutionem: Patet; quia audiens iam habet notitiam illius obiecti. Respondetur cum Scoto *versic. Etsi dicas* negando, esse frustraneã tunc loquutionem: *quia esset per se perfectio communicata Angelo ab alio Angelo liberaliter. Et ad hoc potissimè est loquutio in intellectibus; vt liberaliter & liberè communicent sibi invicem conceptus suos. Confirmatur: quia Angeli conceduntur loqui Deo, & tamen non possunt aliquid sibi facere manifestius, quàm prius.*

119 Itaque loquutio ad aliũ salvatur in hoc, quod sit liberalis, seu libera manifestatio illius, quod latet in mente: seu in hoc quòd loquens ex liberalitate, seu liberè appetat, quantum est ex se, manifestare suam mẽtem. (hoc est obiectum illud, quod latet in suo intellectu; ad hoc enim communicat suos conceptus, vt obiecta illorũ manifestet) Quod autem de facto id manifestet, vel non manifestat est de per accidens. Et ideo tàm nos, quàm Angeli verè, & propriè dicimur loqui Deo, etsi ei nihil manifestemus. Vnde constat, quòd Gabriel v. g. potest loqui cum Michaele, etiam si in illo sit evidens cognitio conceptus existentis in ipso loquente; necnon etsi esset evidens cognitio obiecti talis conceptus. Adhuc enim tunc salvaretur, quod illa loquutio esset ignoti manifestativa.

(∴)

DV-

DVBIVM XIX.

120 PEtes decimònonò, quomodo Angelus audiẽs discernat loquentem? Respondetur, quòd causato in intellectu Michaelis v. g. conceptu à Gabriele; (qui conceptus est propria auditio) iste convertit se ad intellectum Gabrielis videndũ; & in eo videbitur illa intellectio, quam Gabriel habet: & hinc certus manebit, quòd Gabriel, & non alius ei loquitur: quia in eo & nõ in alio videt intellectionem similem ei, quam, Gabriel causavit in ipso Michaeli. Sic satis mihi innuit Scotus *in 2. dist. 9. quæst. 2. §. Ad vlterius en vers. Patet etiam*.

121 Dices: loquutio causatur à memoria fæcunda loquentis, non autem ab illius conceptu, seu cognitione: iuxta dicta *à n.* 10. Dato ergo, quòd Michael convertat se certò, & non contingenter ad intellectum Gabrielis, potiùs videbit in illo speciem impressam fœcundantem eius mentem, quàm intellectionem. Præterea quæro, quomodo certò & non contingenter convertat se ad Gabrielem potius quã ad alium saltem in suppositione, quòd in multis Angelis sit cognitio similis illi, quam ipse Michael in se cognoscit? Respondetur, quòd in Gabriele loquente priùs producitur cognitio illius, quod est loquuturus: vt diximus *numero* 13. & ideo in eius intellectu videt Michael tam speciem fœcundantem illũ, quàm eius cognitionem. Convertitur autem potiùs ad cognitionem, quàm ad speciem impressam: quia speciem impressam videt in quocumque alio habente similem: expressam autem solùm videt in loquente secum, etsi similis expressa cognitio sit in multis alijs. Ratio autem huius est, quod species impressæ obiectorum non sunt secretum cordis: iuxta dicta *capit. 4. difficul. 4. à numero* 44. benè tamen cognitio: quæ eo ipso ac Angelus loquitur cum alio, ipsi audienti patefit; movetque eius intellectum ad cognitionem sui: quam motionem non facit similis alia cognitio existens in alio Angelo; eoquòd, cùm sit secretum cordis; & aliàs iste Angelus non loquatur cum alio, manet occulta.

122 Instabis: potest Angelus loquens applicare suam memoriam fæcundam, vt producat in audiente intellectionem obiecti; & aliàs simul velle occultare suam propriam cognitionem: ergo tunc non poterit Angelus audiens cognoscere loquentem. Antecedens probatur: quia, cũ cognitio existens in

in loquente sit quid accidentarium ad loquendum cum alio, non apparet, cur non possit occultari ab ipso loquente. Respondetur, ita esse: & consequenter contingeret tunc Angelo audienti id, quod sæpe experimur in hominibus, qui audiunt quidem loquutionem; non tamen distinguunt loquentem: quia neque ipsum vident, neque ex priori experimento iudicant, illam vocem esse talis personæ.

123 Dices: sic ergo philosophãdum erit de loquutione Angelorum. Patet: tùm, quia hoc est possibile: tùm, quia sic inter Angelos meliùs servantur secreta cordium. Respondetur negãdo assumptum. Quia sicut ad societatem politicam necessaria est communicatio secretorum per loquutionem; ita vt hæc cõmunicatio convenienter fiat, oportet, vt audiens sciat, quis sibi loquatur: aliàs imperfectissima, & valde confusa esset loquutio. Quod inter homines experimur: nam si audiens nesciat discernere, quis loquatur, valde suspensus manet; & non dicitur habere communicationem, vel societatem humanam cum persona lõquente. Et eodem modo Epistola, vel scriptum, cuius auctor ignoratur, valde imperfecta reputatur. Sic ergo reputaretur societas Angelorum; si audiens non distingueret loquentem.

124 Vnde colligitur, quòd etsi absolutè loquendo Angelus loquens possit occultare audiẽti suam cognitionem: & consequenter audiens non distingueret loquentem. Tamen propter convenientem communicationem politicã quoties loquitur, simul audienti communicat, seu revelat suam cognitionem; vt illam cognoscendo Angelus audiens certificetur de loquente. Cuius simile experimur in hominibus, qui, quamvis sæpe soleant se occultare audienti; tamen propter humanam communicationem se audienti manifestant, sistendo se coram illo, vt certificetur de loquente.

DVBIVM XX.

125 PEtes vigesimò, an loquutio sit actus intellectus? an voluntatis? Respondetur, elicitivè esse actũ intellectus; imperativè verò esse actum voluntatis. Prima pars constat ex dictis in toto ferè isto capite, sed præcipuè *à num*. 8. vnde patet, quòd loquutio est actus memoriæ fœcundæ, seu intellectus simul, & obiecti, vel illius speciei impressæ. Secunda pars probatur ex eo, quod sicut homines liberè communicant sua secreta sic & Angeli: sicut ergo omnis libertas in homine dimanat à voluntate: sic in Angelo loquente cum alio actus ille intellectus,

qui.

qui dicitur loquutio subiacet voluntati imperanti.

126 Sed Suarez *lib. 2. cap. 28. num. 31.* affirmat loquutionem Angeli interdum fieri physicè ab intellectu; interdum verò à voluntate tanquam à causa totali. Et obijcit: Angelus loquitur imprimendo speciem sui actus, quem audienti manifestat. Sed actus ipse manifestatus, vel manifestandus physicè imprimit speciem: ergo, quando actus manifestandus fuerit voluntatis, tunc loquutio erit actus voluntatis, seu ab illa physicè, fiet loquutio. Respondetur negando maiorem: loquutio enim est productio intellectionis; & hæc fit à memoria fœcunda.

127 Instabis, quòd in aliquo casu loquens solùm imprimit speciem impressam: vt diximus *num. 61. & 70.* Sed illa species causabitur physicè ab actu voluntatis, in casu quòd loquens velit manifestare audienti aliquē actum voluntatis: ergo saltem tunc loquutio physicè erit à voluntate. Respondetur, nos non loqui de hoc modo loquendi satis imperfecto, iuxta dicta *num. 70.* sed de locutione propria, & perfecta; quæ fit per impressionem conceptus, seu cognitionis rei loquutæ.

128 Respondetur secundò, distinguendo minorem: est enim verum, quòd actus voluntatis causat physicè speciem sui; supposito, quòd Angelus loquēs velit talem actum manifestare alteri, & non per modum loquutionis; falsum tamen, quòd illa species deserviat ad loquutionem: ad istam quippe solùm deservit species rei loquutæ, vt loquutæ: quæ species liberè debet imprimi à loquente: est enim loquutio actio libera. Itaque in illo casu species necessaria ad loqutionem debet esse species repræsentativa actus voluntatis non nudè sumpti; sed vt liberè communicati alteri per intellectum: species quippè actus nudè sumpti, seu quā actus nudè sumptus producit; solùm deservit ad visionem, seu ad cognoscēdum absolutè talem actum.

129 Pilosus autem *disp. 14. art. 9. num. 3.* affirmat voluntatem loquentis ad actualem notitiam per loquutionem habendam in audiente concurrere tāquam causam vniversalem remotam moralem & physicam, seu imperativè, & effectivè; causam verò particularem proximā physicè causantem talem intellectionem esse perfectam memoriam, seu memoriam fœcundam Angeli loquentis. Fallitur tamen Pilosus: quia voluntas solùm imperativè, seu moraliter, non verò physicè effectivè concurrit ad intellectionem. ¶ Sed obijcit, quòd sine physico influxu voluntatis in intellectionem non apparet, quomodo

contingit in præsenti; quia plures illæ intellectiones, quas plures Angeli loquentes imprimũt in Angelo audiente, non sunt omnino similes: cùm respiciant diversos loquentes: ergo nihil obstat. Recolantur dicta numero 68. Vnde patet solutio ad argumentum, quod contra hoc fieri potest in hunc modum: loquutio in nostra sententia fit per productionẽ cognitionis in audiente. Sed in eodem intellectu non possunt esse duo actus omnino similes: (sicut neque in eodem pariete duæ albedines eiusdem intensionis) ergo de eadem re plures Angeli non possunt simul eidem loqui cum eadem intensione. *Ita Lychetus in 2. d. 9. q. 2. §. Ad ista versic. Ad secundam difficultatem.* Respondetur tamen facilè ex dictis, quod illæ plures locutiones, seu cognitiones receptæ in audiente non sunt omnino similes: cùm respiciant diversos loquentes.

DVBIVM. XVIII.

118 PEtes decimòoctavò an Angelus possit alteri loqui de obiecto iam noto audiẽti? Respõdetur affirmativè. Quia homines sæpe colloquuntur de rebus anteà cognitis. Ita Scotus *in 2. d. 9. q. 2. §. Ad vlteriorem vers. Patet etiam, & §. Ad argumenta secundæ quæstionis vers. Etsi dicas.* ¶ Dices, frustraneam esse talem loquutionem: Patet; quia audiens iam habet notitiam illius obiecti. Respondetur cum Scoto *versic. Etsi dicas* negando, esse frustraneã tunc loquutionem: *quia esset per se perfectio communicata Angelo ab alio Angelo liberaliter. Et ad hoc potissimè est loquutio in intellectibus; vt liberaliter & liberè communicent sibi invicem conceptus suos. Confirmatur: quia Angeli conceduntur loqui Deo, & tamen non possunt aliquid sibi facere manifestius, quàm prius.*

119 Itaque loquutio ad aliũ salvatur in hoc, quod sit liberalis, seu libera manifestatio illius, quod latet in mente: seu in hoc quòd loquens ex liberalitate, seu liberè appetat, quantum est ex se, manifestare suam mẽtem. (hoc est obiectum illud, quod latet in suo intellectu; ad hoc enim communicat suos conceptus, vt obiecta illorũ manifestet) Quod autem de facto id manifestet, vel non manifestat est de per accidens. Et ideo tàm nos, quàm Angeli verè, & propriè dicimur loqui Deo, etsi ei nihil manifestemus. Vnde constat, quòd Gabriel v. g. potest loqui cum Michaele, etiam si in illo sit evidens cognitio conceptus existentis in ipso loquente; necnon etsi esset evidens cognitio obiecti talis conceptus. Adhuc enim tunc salvaretur, quòd illa loquutio esset ignoti manifestativa.

(·:·)

DV-

DVBIVM XIX.

120 PEtes decimònonò, quomodo Angelus audiēs discernat loquentem? Respondetur, quòd causato in intellectu Michaelis v. g. conceptu à Gabriele; (qui conceptus est propria auditio) iste convertit se ad intellectum Gabrielis videndū; & in eo videbitur illa intellectio, quam Gabriel habet: & hinc certus manebit, quòd Gabriel, & non alius ei loquitur: quia in eo & nō in alio videt intellectionem similem ei, quam, Gabriel causavit in ipso Michaeli. Sic satis mihi innuit Scotus *in 2. dist. 9. quæst. 2. §. Ad vlterius e n verſ. Patet etiam.*

121 Dices: loquutio causatur à memoria fæcunda loquentis, non autem ab illius conceptu, seu cognitione: iuxta dicta *à n.* 10. Dato ergo, quòd Michael convertat se certo, & non contingenter ad intellectum Gabrielis, potiùs videbit in illo speciem impressam fœcundantem eius mentem, quàm intellectionem. Præterea quæro, quomodo certò & non contingenter convertat se ad Gabrielem potius quā ad alium saltem in suppositione, quod in multis Angelis sit cognitio similis illi, quam ipse Michael in se cognoscit? Respondetur, quòd in Gabriele loquente priùs producitur cognitio illius, quod est loquuturus: vt diximus *numero* 13. & ideo in eius intellectu videt Michael tam speciem fœcundantem illū, quàm eius cognitionem. Convertitur autem potiùs ad cognitionem, quàm ad speciem impressam: quia speciem impressam videt in quocumque alio habente similem: expressam autem solùm videt in loquente secum, etsi similis expressa cognitio sit in multis aliis. Ratio autem huius est, quod species impressæ obiectorum non sunt secretum cordis: iuxta dicta *capit. 4. difficul. 4. à numero* 44. benè tamen cognitio: quæ eo ipso ac Angelus loquitur cum alio, ipsi audienti patefit; movetque eius intellectum ad cognitionem sui: quam motionem non facit similis alia cognitio existens in alio Angelo; eoquòd, cùm sit secretum cordis; & aliàs iste Angelus non loquatur cum alio, manet occulta.

122 Instabis: potest Angelus loquens applicare suam memoriam fæcundam, vt producat in audiente intellectionem obiecti; & aliàs simul velle occultare suam propriam cognitionem: ergo tunc non poterit Angelus audiens cognoscere loquentem. Antecedens probatur: quia, cū cognitio existens in

qui dicitur loquutio subiacet voluntati imperanti.

126 Sed Suarez *lib.2.cap.28. num.* 31. affirmat loquutionem Angeli interdum fieri physicè ab intellectu; interdum verò à voluntate tanquam à causa totali. Et obijcit: Angelus loquitur imprimendo speciem sui actus, quem audienti manifestat. Sed actus ipse manifestatus, vel manifestandus physicè imprimit speciem: ergo, quando actus manifestandus fuerit voluntatis, tunc loquutio erit actus voluntatis, seu ab illa physicè, fiet loquutio. Respondetur negando maiorem: loquutio enim est productio intellectionis; & hæc fit à memoria fœcunda.

127 Instabis, quòd in aliquo casu loquens solùm imprimit speciem impressam: vt diximus *num.* 61. & 70. Sed illa species causabitur physicè ab actu voluntatis, in casu quod loquens velit manifestare audiēti aliquē actum voluntatis: ergo saltem tunc loquutio physicè erit à voluntate. Respondetur, nos non loqui de hoc modo loquendi satis imperfecto, iuxta dicta *num.* 70. sed de locutione propria, & perfecta; quæ fit per impressionem conceptus, seu cognitionis rei loquutæ.

128 Respondetur secundò, distinguendo minorem: est enim verum, quòd actus voluntatis causat physicè speciem sui; supposito, quòd Angelus loquēs velit talem actum manifestare alteri, & non per modum loquutionis; falsum tamen, quòd illa species deserviat ad loquutionem: ad istam quippe solùm deservit species rei loquutæ, vt loquutæ: quæ species liberè debet imprimi à loquente: est enim loquutio actio libera. Itaque in illo casu species necessaria ad loqutionem debet esse species repræsentativa actus voluntatis non nudè sumpti; sed vt liberè communicati alteri per intellectum: species quippè actus nudè sumpti, seu quā actus nudè sumptus producit, solùm deservit ad visionem, seu ad cognoscēdum absolutè talem actum.

129 Pilosus autem *disp.* 14. *art.* 9. *num.* 3. affirmat voluntatem loquentis ad actualem notitiam per loquutionem habendam in audiente concurrere tāquam causam vniversalem remotam moralem & physicam, seu imperativè, & effectivè; causam verò particularem proximā physicè causantem talem intellectionem esse perfectam memoriam, seu memoriam fœcundam Angeli loquentis. Fallitur tamen Pilosus: quia voluntas solùm imperativè, seu moraliter, non verò physicè effectivè concurrit ad intellectionem. ¶ Sed obijcit, quòd sine physico influxu voluntatis in intellectionem non apparet, quomodo

do voluntatis imperium sit ita efficax, & infallibile, vt, tali imperio posito, certò, & infallibiliter ponenda sit intellectio. Respondetur, ad hoc sufficere influxum moralem, seu imperiū voluntatis: sicut sufficit ad cessandum, seu suspendendum intellectionem, deambulationē, &c. in quas cessatione; certum est physicè non influere.

130 Obijcit secundò Scotū *in 4. d. 49. q. 4. §. Iuxta hoc versic. Respondeo* dicentem, quòd volūtas est partialis causa actus intellectus. Respondetur, ibi solùm statuere, quòd certum est, nempè quòd neq; intellectus est causa physica totalis actus voluntatis; neque è cōtra: per quod solvebatur illud argumentū. (causa æquivoca est perfectior suo effectu: sed intellectio, seu intellectus est causa volitionis: ergo hæc est minùs perfecta, quàm intellectio)

131 Instabis, Scotum sic fuisse loquutum *nec actus intellectus est totalis causa actus voluntatis, sed partialis, si est aliqua; neque è converso voluntas est totalis causa intellectionis.* Vbi expendo ly *sed partialis*: ergo sentit Scotus, intellectum & voluntatem partialiter causare intellectionem, & volitionem. Respondetur negando consequentiam: etsi enim possit dubitari, an actus voluntatis partialiter fiat ab intellectione: cùm ista necessariò præcedat illum: non tamen potest dubitari, an actus intellectus partialiter fiat ab actu voluntatis? cùm primus actus intellectus fiat omnino independenter ab aliquo actu voluntatis; sintque eiusdem naturæ physicæ omnes actus intellectus. Quod attendens Scotus ibi dixit, quòd actus intellectus fortè erat causa partialis actus voluntatis (hoc enim sonant verba illa, *sed partialis, si est aliqua*): quod posteà omisit loquendo de causatione voluntatis in actū intellectus: & solùm dixit, quòd *neque è converso voluntas est totalis causa intellectionis.* Nisi magis placeat dicere, Scotum dixisse ly *sed partialis, si aliqua est*, quasi omittendo quod neque disputabat, neque ad respondendum argumento sibi proposito erat necessarium: siquidē statuendo, quòd intellectio non erat causa totalis actus voluntatis, solvebatur argumentum.

DVBIVM XXI.

132 PEtes vigesimò primò, qualis sit cognitio per loquutionem caúsata in audiente? Respondetur notitiā per loquutionem acceptam propriè nō esse scientiam, abstractivam, aut intuitivam; sed quandam credulitatém fundatam in auctoritate loquentis. Quia res locuta manet inevidens, & obscura

cura Angelo audienti. Colligitur satis ex Scot. *in 3. dist. 24.* quatenus pro certo habet, per verbum ex auditu non posse causari notitiam, nec scientiam propriè. Tenet expressè noster Pilosus *disp. 14. art. vlt. n. 2.*

133 Ex conclusione infertur, notitiam per locutionem acceptam propriè appellari fidem Angelicam: quæ correspondet fidei humanæ soli testimonio dicentis innixæ. Ita Pilosus *ibi num. 3.* Et ratio est, quòd omnis notitia orta ex auditu, seu nitens testimonio dicentis propriè est, & appellatur fides; iuxta illud *ad Rom. 10. num. 17. fides ex auditu*: sed notitia quã Angelus audiens habet per locutionem, est ex auditu, seu nititur testimonio loquentis: ergo propriè appellatur fides.

134 Vnde vlteriùs infertur, quod Angelus audiens non habet maiorem certitudinem de re locuta, quàm habuit de veritate, aut auctoritate loquentis. Quia tota certitudo illius notitiæ totaliter, seu adæquatè oritur ab auctoritate dicentis, seu loquentis.

135 Dices: potest Angelus per loquutionem proprium cõceptum, vel desiderium manifestare: sed tunc audienti patefit ille conceptus, seu illud desiderium: & consequenter illud novit evidenter: iuxta dicta *numero 121.* ergo Angelus audiens tunc maiorem certitudinem habet de re loquuta, sivè audita, ac habet de auctoritate loquentis. Respondetur, minorem non esse omnino certam, aut non esse necessariam, quòd tunc patefiat conceptus ille, aut desiderium: iuxta dicta *numero 122.* Sed gratis concessa minori, distingo consequens: est enim falsum, tunc Angelum audientem habere maiorem certitudinem de re loquuta, quatenus loquuta: verum autem est, habere maiorẽ certitudinẽ de re aliàs loquuta, quatenus evidenter cognita.

136 Contra, quòd ex Scoto *in 3. d. 24. §. Sed si loquamur de tertio versic. Dico, cum fide stare non potest scientia propriè dicta*: ergo etsi in Angelo audiente pro priori aliquo naturæ generetur fides de illo secreto; in posteriori autem, in quo illud cognoscit evidẽter, destruitur prior fides. Respondetur, ita esse.

137 Instabis: ergo in eodem instanti reali temporis ille prior assẽnsus fidei habuit esse, & desivit esse: quod est impossibile: tunc enim verificaretur de illo simul esse, & non esse. Consequentia autem, seu sequela probatur: quia loquutio tunc solùm est causa excitans audientem ad cognitionem rei loquutæ in se:

ris non se conformare cum re loquuta: & ideo se non decipit; dicipitur tamen audiens; quia non cognoscit, illum conceptū non se conformare cū re loquuta ab alio, & à se audita.

142 Dices secundò: species impressa necessariò repræsentat suum obiectum intellectui, cui sufficienter applicatur: ergo non relinquitur locus deceptionis. Patet consequentia: quia, cùm Angelus dicit alteri, Petrum sedere v. g species Petri necessario producit cognitionem Petri; & species sessionis necessariò producit cognitionem sessionis. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico; quod non stat deceptio in hoc, quod species aliter repræsentent: sed in hoc, quòd in veritatibus contingentibus coniūctio extremorum non est cognoscibilis ex vi cognitionis extremorum. Et ideo solùm potest cognosci per evidentiam rei in se; vt quando cognosco coniunctionem albedinis cum Petro: aut per experientiam: sic cognosco, hunc hominem esse quātum; hunc corvum esse nigrum; &c. eoquòd indefectibili expetientia cognovi, omnem hominem esse quantum; omnem corvum esse nigrum: aut per fidem dicentis. Quotiescumque ergo audiens coniunctionem extremorum, quæ ei narrantur, novit solùm auctoritate loquentis, expositus est deceptioni, si loquēs non sit summæ auctoritatis; qualis est solus Deus, qui propter summam sapientiam nequit falli, & propter infinitam bonitatē nequit fallere audientem. Vnde constat, Angelum loquentem ex vtroque capite (nempè quia nec habet infinitam sapientiam nec infinitam bonitatem) posse audientem decipere.

DVBIVM XXIII.

143 PEtes vigesimòtertio, quomodo Angeli loquātur animæ tàm separatæ, quā coniūctæ sensibus: Respondetur, eodem modo philosophandum esse de anima separata, ac de Angelis. Itaque tam anima separata, quam Angeli colloquuntur per impressionem conceptuum, seu intellectionum. Recolantur dicta *n.* 46. vnde etiam constat longè aliter loquendū esse de anima coniuncta sensibus, seu pro hoc statu: in quo neque anima imprimit suum conceptum Angelo: neque Angelus animæ, *eo quòd nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*. Quare dicendum est, nos loqui quidem Angelis media voce in aere formata, vel medio aliquo signo sensibili, quod ipsi cognoscunt; sicut cum hominibus loquimur. Possumus etiam cum Angelis merè internè loqui; ipsi tamen nostros actus, seu secreta cordium non intuē-

tur : sed vel illos cognoscent sancti Angeli in verbo; aut verisimile est, Deum dare sanctis Angelis species, quibus nostros actus cognoscant, quando ad illos loquimur. Quorum neutrum concedendum est Angelis malis: & ideo nostros actus merè internos solùm coniecturaliter cognoscunt: vt benè notat Suar. *lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 68.

144 Possunt etiam Angeli loqui cum anima coniuncta corpori, seu pro hoc statu, vel formando voces sensibiles in aere; vel interiùs phantasmata excitando. Qua ratione boni illuminat homines, & mali Angeli homines tentant.

DVBIVM XXIV.

145 PEtes vigesimòquartò, quomodo Angeli, aut anima loquantur Deo? Respondetur adhoc fuisse responsum *num.* 22.

DIFFICVLTAS II.

De his, quæ spectant ad Angelorum illuminationem.

DE Angelorum illuminatione agit Scotus *in* 2. *dist.* 9. *à* §. *Ad aliam quæstionem* vbi Scotistæ. Angelicus autem Doctor 1. *part. quæst.* 106. vbi multi Thomistæ, & aliqui alij alibi.

DVBIVM. I.

1 PEtes primò, quid sit Angelica illuminatio? Respondetur, quòd est quædam loquutio de vero perfectiva intellectus in actu secundo. Ita Scotus *in* 2. *dist.* 9. *quæst.* 2. §. & *versic. Ad aliam quæstionem*, & omnes Scotistæ. Neque diversi sunt D. Thom. & Thomistæ; vt notat Fabro *disp.* 19. *cap.* 1. *num.* 1. In qua definitione ly *loquutio* ponitur pro genere: in quo conveniunt illuminatio, & execratio. Reliquę particulæ ponuntur loco differentiæ. Dicitur autem *de vero*: quia Angelus bonus non loquitur falsum: loquutio enim, quæ causaret assensum falsum, potiùs esset execratio, quàm illuminatio. Dicitur autem *perfectiva intellectus* ad denotandum, illuminationem fieri de rebus, quas intellectus anteà cognoscere nō poterat suis viribus. Per quod excluditur ab illuminatione cognitio quidditatum, & specierum naturalium: quamvis enim istarū cognitio sit perfectiva intellectus; non tamen per ordinem ad res à Deo tantùm revelandas. Additur demum *in actu secundo* ad denotandum

dum, illuminationem esse operationem intellectus, non autem aliquid pertinens ad actum primum illius.

2 Ex hac explicatione elicitur, quòd illuminatio est loquutio de re anteà ignota, & à divina voluntate pendente. Quòd debeat esse de re ignota, patet ex eo, quòd, qui loquitur alteri de re cognita, non dicitur, illum docere, seu illuminare. Quòd etiam Debeat esse illuminatio de rebus, quæ pendent à divina voluntate, constat ex eo, quod illuminari solùm dicimur de rebus, quas naturaliter acquirere non possumus.

3 Elicitur secundò, quòd illuminatio habet tres illas conditiones, quas ponit Dionysius *libro de Cælesti hierarchia capitulo 3.* Quarum prima est, quòd sit manifestatio alicuius veritatis. Secunda est, quod sit purgatio; quatenus enim illuminatio expellit nescientiam rei revelatæ, dicitur purgatio intellectus Angeli illuminati. Tertia est, quòd sit perfectio intellectus, non solùm absolutè; (vt sic enim etiam cognitio rei naturalis dicitur perfectio intellectus) sed comparativè, hoc est, in ordine ad aliam cognitionem magis perfectam, seu quam de facto, & viribus naturæ Angelus habere non potest.

4 Elicitur tertiò, quòd non omnis loquutio est illuminatio; benè tamen è contra omnis illuminatio est loquutio. ¶ Sed contra, quòd potest Angelus illuminans aliquid causare in illuminato non causando in se ipso: ergo illuminatio non esset loquutio. Probatur consequentia: quia loquutio vel auditio debet esse actus, seu effectus secundarius causatus à memoria fœcunda: Et propter hoc dixit Scotus *in 2. distinct. 9. 2. §. Ad vlteriorem versiculo Quartô modo quòd auditiò est expressa ab intelligente inquantum intelligens est*: quamvîs enim principium per se loquutionis ad alterum, seu audientis sit memoria fœcunda; & solùm concomitanter, & de per accidens cognitio, seu verbum præcedat in loquente, vt eius memoria fœcunda producat in audiente auditionem; tamen de facto semper illam priùs producit loquens in se: & propterea auditio dicitur effectus secundarius memoriæ fœcundæ loquentis. Antecedens autem probat Scotus ibi instantia Dei, qui *illuminans primum Angelum nihil causat in se ipso, sed in Angelo illuminato.*

5 Respondetur negandó antecedens: grave enim esset incommodum, quòd Angel illuminans non cognosceret expresse

sè illud, de quo alterum illuminat. Præterea memoria fœcunda respectu sui est agens necessariũ nullo modo subiacens voluntati: currit enim in illuminatione eadem ratio, ac in loquutione. Recolantur dicta *diff*. 1. *num*. 13. Neque instantia Dei (qui illuminans alium, nihil in se producit) convincit: ideo enim non priùs in se, quàm in illuminato producit; quia est incapax recipiendi aliquid. Recolantur dicta *diff*. 1. *à num*. 21. ¶ Dices, quòd Scotus *num*. 1. citatus sic loquitur: *Probabile etiam videtur, quòd Angelus illuminans aliquid causat in illuminato, & non in se*: ergo saltem propter Scoti auctoritatem debet defendi, quòd non omnis illuminatio est loquutio. Respõdetur negando consequẽtiam. Scotus enim solùm dicit, esse probabile: & ideo hoc non docet absolutè. Præterea instantia illa Dei (propter quam Scotus dicit, hoc videri probabile) non multum vrget; vt nuper dicebamus.

DVBIVM II.

6 PEtes secundò, an vnus Angelus illuminet alium? seu an inter Angelos vnius ad alium sit illuminatio? Respondetur affimativè. Quia Dionysius id expressè tradit, precipuè *lib. de Ecclesiastica hierarchia cap*. 5. *titulo de Sacerdotalibus perfectionibus*, vbi docet, inferiora per superiora tandem in Deum reduci. Item *cap*. 8. *de cœlesti hierarchia*, affirmat, Angelos secundæ hierarchiæ purgari ab Angelis primæ. Insuper *in eodem lib. cap*. 4. asserit, vnam substantiam Angelicam acceptam intelligentiam à superiori communicare inferiori. Idem docent *Athanas. Damas. & Bernardus citati à Suarez lib*. 6. *c*. 11. 6. Propter quod constans est inter Scolasticos nostra conclusio; quam Scotus *num*. 1. citatus supponit verbis illis: *Angelus superior, cui secundum communem cursum revelatur primò aliquid particulare, causat in inferiori conceptum, &c*. Et ratio sumitur à simili de republica politica, in qua, medijs superioribus Rex loquitur inferioribus, seu disponit quid inferiores agere debeant.

7 Sed Durandus *in* 2. *d*. 11. *q*. 2. *num*. 19. probabile putat, omnes Angelos immediatè illuminari à Deo causaliter; & consequenter vnum non illuminari ab alio causaliter. Vt autem satis faciat prædictis Dionysii, & aliorũ Patrum testimonijs, affirmat, omnes Angelos cõtinuari inter se in divini luminis irradiatione, sive naturalis, sive supernaturalis. Vnde fit, vt id, quod vni Angelo revelatur, cæteris inferioribus ordine cuiusdã consequen-

quietiæ repræsentetur. (Qua ratione illuminata à sole, aut alio luminoso proximiori parte aëris, cæteræ omnes contentæ intra illius activitatem ab ipso immediatè illuminantur propter continuationem vnius ad aliā) Et ideo quamvìs simul tempore illuminentur; vnus tamen priùs natura, aut dignitate, quàm alius dicitur illuminari. Dicit ergo Durandus, quòd Dionysius, & alij Patres, qui dicunt, vnum Angelum immediatè illuminari ab alio, non intendunt, illuminationem vnius fieri, aut causari immediatè ab alio; sed sic loqui propter ordinem illum consequentiæ.

8 Sed contra Durandum stant testimonia *num.* 6. insinuata; quorum verba adducit præcipuè *Suarez num.* 6. *citatus*: quippè verba illorum efficientiam satis demonstrant. Adde aliud testimonium eiusdem Dionysii *cap.* 3. *de cælesti hierarchia* sic de Angelica hierarchia loquentis: *Vbi indultum sibi sacratissimum iubar affatim hauserint, hoc ipso postmodùm absque invidia sequentibus fundunt: atque in hoc ipso divinis obtemperant legibus.* In quibus verbis non solùm apertè significatur efficientia per verbum *effundunt*: sed etiam expresiè asseritur, hanc communicationem efficere Angelos superiores obtemperando divinis legibus, seu propter divinas leges sic disponentes.

9 Pro sententia autem Dur. obijcies D. Augustinum *in Enchiridio cap.* 58. dicentem, nihil de hac re certum esse: non est ergo certum, Angelos superiores illuminare inferiores. Respondetur negando consequentiam. Vt enim notat Vazquez *disp.* 216 *cap.* 1 *num.* 1. Augustinus non vidit opera Dionysij. Nec mirum; quia multo tempore suppressa fuerunt. Et ob hoc Gregorius Magnus (qui aliquot post tempora Augustini floruit: etenim Augustinus obijt anno salutis 423. Gregorius verò anno 604. teste Bellarmino libro de scriptoribus Ecclesiasticis) *hom.* 34. *in Evangelia* sententiam Dionysii de missione Angelorū ex aliorum relatione memorat.

10 Obijcies secundò: omnia, quæ decursu temporis revelantur Angelis, pertinent ad statum beatitudinis ipsorum: ergo à solo Deo immediatè revelātur. Patet consequentia: quia solus Deus est causa beatitudinis tàm essentialis, quàm accidentalis Angelorum, & nostræ. Respondetur negando antecedens: de multis enim illuminantur præsertim Angeli Custodes, quæ pertinent ad nostram beatitudinem essentialem, aut accidentalem. Respondetur secundò, omisso antecedente, negando consequētiam: vt enim benè notat Suarez *num.* 9. nullum est inconveniens, quòd Angeli superiores

aliquo modo cooperentur ad actus pertinētes ad beatitudinē inferiorū: sicut cōtingit in hominib⁹; in quib⁹ Magistri, & Doctores docēdo, & exhortādo cooperātur ad salutē, & beatitudinē aliorū. In quo casu etiā Deus est principalior causa illius beneficij, & ad maiestatem, sapientiā, & bonitatem eius reducendum est, quòd eius ministri hoc faciant, seu ad eius providentiam spectat, vt per suos ministros id faciat ipse Deus.

11 Obijcies tertiò: illuminata à sole, aut ab alio luminoso proximiori cum sole parte, cœteræ aliæ cōtentæ intra sphæram illius activitatis statim illuctinantur immediatè ab ipso sole (etsi in posterioritate naturæ) propter continuationem, quam inter se habent: ergo similiter illuminato superiori Angelo, seu qui magis propinquus est Deo in perfectione, cæteri Angeli inferiores immediatè illuminantur à Deo, seu illamet illuminatio, seu illustratio transfunditur ad omnes inferiores. Respondetur negando consequentiam. Vt enim bené vidit Suarez *libro 6. capit. 12. numero 8.* improbabile videtur, quòd quoties Deus illuminat Angelum superiorem, illuminet consequenter inferiores; & per consequens etiam æquales: ac subinde, non revelet aliquid vni Angelorum, quod simul omnibus æqualibus, & inferioribus non revelet. Quis enim talem necessitatē Deo imposuit?

12 Nec exemplum solis (immediatè illuminantis omnes partes spatij sphæræ suæ activitatis) aliquid convincit. Tùm, quia partes àeris verè continuātur. Tùm, quia sol, & aliud luminosum est agens naturale agens, quantum potest. Angeli autem superiores, & inferiores non habent continuationem physicam. Nec Deus illuminans aliquem agit naturaraliter, sed liberrimè: & ideo illuminat vnum, vel plures ad nutum suæ voluntatis.

13 Ratio autem illa *numero* 6. allata à simili de humana republica (in qua Rex, medijs superioribus, loquitur inferioribus, seu disponit, quid inferiores agere debeāt) solùm convincit, quod, quando Deus illustraturus est aliquem Angelum inferiorem, id non faciat immediatè, sed medio aliquo superiori, cui immediatè Deus hoc revelet, (non tamen omnibus superioribus) vt iste immediatè illuminet illum Angelum, quem Deus vult scire tale secretum, aut mysterium.

14 Obijcies quartò: impossibile est, quod vnus Angelus effectivè illuminet alium: ergo omnes immediatè illuminantur à Deo. Probatur antecedens: illuminatio est specialis

cialis loquutio de re accepta per revelationem: sed res revelata non potest concurrere ad loquutionem: ergo neque ad revelationem. Probatur minor: loquutio enim debet causari à memoria fœcunda, hoc est, ab obiecto, vel illius specie impressa partialiter concurrente cum intellectu: sed res revelata, vt revelata, non est præsens intellectui in se, neque in sua specie impressa: (aliàs causaret cognitionem rei non obscuram, sed claram, & evidentem) ergo nequit causare notitiam sui. Respondetur negando assumptum, seu antecedens. Ad probationem negatur minor: res enim revelata, vt sic, seu revelatio ipsa concurrit partialiter cum intellectu illuminantis ad producendum in Angelo illuminando, seu illuminato notitiam sui, non absolutè, sed vt illuminatæ: & consequenter per talem notitiam cognoscitur res illuminata, vt sic. Itaque quoties cognosco, vt obiectum, cognitionem lapidis, cognosco ipsum lapidem, non absolutè & in se, sed vt cognitum. Eodem modo philosophandum est de obiecto volito, audito, viso, &c. cognita, inquam, volitione lapidis, cognosco ipsum lapidem, non in se, aut evidenter, sed vt volitum. Sic Licherus *in* 2. *l.* 9. *q.* 1. §. *Ad aliam quæst. nam vesic. sed tunc.*

15 Vnde patet ad vltimam consequentiam: est enim verum, quòd res revelata non potest partialiter causare evidentem notitiam sui, dum concurrit, vt revelata; potest tamen causare notitiam sui, vt revelatæ, seu (propriùs loquendo) revelatio ipsa cognita (aut species impressa illius iam corruptæ) simul cum intellectu revelantis causat partialiter in Angelo illuminato notitiam evidentem sui; rei autem revelatæ etiam causat notitiam, non evidentem, seu non absolutè & vt in se habet esse, sed vt revelatæ, velut habet esse in intellectu revelantis, aut illuminantis. Quod confirmat instantia cognitionis reflexæ; per quam cognosco immediatè ipsam cognitionem directam, mediatè tamen obiectum illius, nō in se, sed vt habet esse in cognitione directa.

16 Dices, sequi ex hac doctrina, Angelum posse naturaliter cognoscere Deum, vt obiectum beatificum. Probatur sequela: Angelus enim naturaliter potest cognoscere quodcumque ens limitatum in positum in esse: ergo naturaliter potest cognoscere actum beatificum alterius. Antecedens suppono ex dictis *capit.* 4. *disput.* 4. *à num.* 30. *&* *à numero* 48. *&* *à num.* 56. Consequentia est legitima. Tunc sic. Sed, cognito actu beatifico, cognoscitur eius obiectum,

ctum, saltem quatenus relucet in tali actu: ergo viribus naturæ potest Angelus cognoscere Deũ, vt obiectum beatum, quatenus relucet in actu beatifico. Respondetur concedendo totum. Itaque concedo, quòd Angelus viribus naturę potest cognoscere Deum, vt obiectum beatificum, non absolutè & in sua entitate; sed quatenus habet esse in actu beatifico, qui alteri Angelo obijcitur cognoscendus.

17 Nec hoc est contra Scotum *quodl. 14. in fine.* Ibi enim solùm negat, ex cognitione actus beatifici posse cognosci eius obiectum, vt est in se, & secundum suam entitatem, non autem vt relucet in actu beato. ¶ Dices, quòd ibi *versic. Ad aliud* negat, posse animam naturaliter reflecti super actum beatificum. Respõdetur, non loqui cum resolutione: vt notat Cavell⁹ in illo Scholio, & colligitur ex illis Scoti verbis; *hoc posset negari.* Et ideo addidit prædictus Cavellus *Admittendum tamen videtur, posse animam ex naturalibus reflectere super actum beatificum: sicut potest actu recto videre actum beatificum alterius. De quo in 1. d. 3. q. 8. & 9.*

DVBIVM. III.

18 Peres tertiò, an Angelus superior possit illuminare inferiorem faciendo, vt aliquid videat in verbo? Respondetur sub distinctione. Nõ enim potest absolutè: benè tamen dispositivè. Pro quo noto, quid sit videre in verbo: quod diversimodè diversi explicant. Ego autem existimo, creaturam videri in verbo, quando videtur â Beato sine specie impressa sui, sed movente immediatè Deo; sive hæc visio, qua videtur creatura in verbo, sit eadem et numero, qua videtur Deus, sive alia distincta. (Quod latiùs, Deo dante, explicabo in tractatu de Incarnatione agendo de scientia beata animæ Christi Domini.) Quod quamvìs ita sit, videtur Scotus in præsenti dubio insinuare, quòd videre in verbo creaturam est videre eademmet visione, qua videtur Deus.

19 Igitur prima pars probatur; (nempe non posse Angelum superiorem facere, vt inferior videat in verbo aliquid absolutè, seu perfectè) quia sicut talis visio est merè supernaturalis, ita quod non subest causalitati alicuius causæ creatæ: sic nec visio alicuius in verbo subest causalitati alicuius creaturæ. Patet: quia sicut liberrimè movet Devs ad visionem sui, ita liberrimè movet ad cognitionem cuiuscumque creaturæ: ergo sicut nullus Angelus potest absolutè, & perfectè causare visionem beatã alteri⁹, neque

neque ad illam movere: sic neque potest causare cognitionem alicuius creaturæ in verbo, neque ad illam movere.

20 Secunda pars probatur: (scilicet quòd Angelus superior possit dispositivè, & imperfectè facere, vt Angelus inferior aliquid videat in verbo) superior enim illuminando inferiorem infundit illi auditionem de re illuminativa; qua auditione percepta Angelus audiens desiderare potest rem sibi revelatã perfectè videre in verbo: & cùm Deus ad mensuram talis desiderij sæpe conferat cognitionem creaturæ, de qua facta fuit illuminatio; fit: vt Angelus illuminans disposuerit audientem; eo quòd ab illo occasionatum fuerit illud desiderium, quod fuit moralis dispositio, vt Deus moveret ad cognitionem illius creaturæ.

21 Sed contra illud, quod dicitur in prima parte (nẽpe quòd visio in verbo est supernaturalis ita vt non possit subesse alicui causæ creatæ) obijcies: etsi beata visio Angeli illuminantis non subsit alicui causæ creatæ; tamquam causæ totali: potest tamẽ intellectus habens illam causare aliam illi similem in Angelo audiente: sed ex dictis *à num.* 14. constat, quod ista secunda visio potest terminari ad obiectum primæ visionis: ergo similiter poterit ab Angelo superiori causari in inferiori visio creaturæ in verbo, seu per quam videatur creatura in verbo. Respondetur cum Licheto *in 2. dist. 9. q. 1. §. In ista littera vers. Dico primo*, concedendo maiorem; & distinguendo minorem: etsi enim illa visio terminetur ad Deum, vt relucet in cognitione illuminantis, seu qui causat illam similem visionem; non tamen terminatur ad Deum in se, sicut neque causatur à Deo in se, sed vt relucet in cognitione causante aliam similem: vt constat ex dictis *à num.* 14. Vnde planè infertur, quòd potest Angelus superior facere, vt inferior cognoscat aliquid in verbo (id in visione beata) non quatenus habet esse in se, sed quatenus relucet in illa secundùm esse cognitum: quod neque Scotus neque nos renuimus cõcedere: immo est ferè idẽ quod concedit secunda pars nostræ, & Scoti conclusionis.

DVBIVM IIII.

22 PEtes quartò, an Angelus inferior possit illuminare superiorem? Respondetur sub distinctione. Aut enim loquimur de facto, & de potentia ordinata. Et tunc respondetur negativè. Quia Deus ordinatè distribuit suas illuminationes, & revelationes veritatum suarum. Sed ordinata distributio petit, vt potiùs, aut priùs distribuat su-

pe-

perioribus, quàm inferioribus: ergo inferior non cognoſcet aliquid gratuitò à Deo revelatum, quod iam non fuerit revelatum ſuperiori: & conſequenter non poterit, illum illuminare. Minor probatur inſtãtia Regis, qui regulariter, & de potentia ordinata (vt ſic dicam) medijs ſuperioribus, & ſibi familiaribus, ſeu cõiunctis indicat inferioribus, quid ſit agendum; non tamen è contra. Conſequentia autem conſtat ex eo, quòd illuminatio debet eſſe de re ignota.

23 Si tamen loquamur de poſsibili, poteſt inferior illuminare ſuperiorem. Quia non repugnat, Deum revelare inferiori aliquid, quod ſuperiori nõ revelaverit: & conſequenter poterit inferior illud revelare ſuperiori. Vtrumque hoc docet Scotus *in 2. diſt. 9. q. 2. §. Ad aliam quæſtionem verſ. Ad ſecundum dubiũ.* Lichet. *Tart. & alij Scotiſtæ ib.* Fabro *verò diſp. 39. c. 2. n. 14.*

CAPVT VI.

De Angelorũ memoria.

AVTHORES in præſenti tractatu nulla, vel pauca diſputant de Angelorum memoria, fortè quia pauca huc ſpectantia ad inveniunt. Cùm tamen in Angelis verè memoria reperiatur, ab illius tractatione omnino ſuperſedendum non duximus.

DIFFICVLTAS VNICA.

De ſpectantibus ad naturam, & exiſtentiam memoriæ.

1 TRactat de memoria Scotus *in 1. diſt. 3. quæſt. 6. & in 4. diſt. 45. quæſt. 3.* & multi alij citati a noſtro Cavello ibidem: præſertim legatur noſter Fabro *Theoremate 80.*

DVBIVM I.

2 PEtes primò, quid ſit memoria? Reſpondetur, eſſe cognitionem actus præteriti ipſius cognoſcentis, & hoc in quantum præteriti. Ita Scotus *in 4. citato*, & communiter. Et ratio eſt; quia hunc conceptum formant communiter de memoria. Quod & ex dicendis conſtabit.

3 Pro cuius, & dicendorum intelligentia ſuppono ex Scoto citato, dupliciter ſumi memoriam. Primò latè: qua ratione memoria eſt facultas conſervativa ſpecierum repræſentantium obiecta in ſe, hoc eſt, non vt iam ſenſata, aut intellecta. Et de memoria in hac lata acceptione

agit

agit Scot. *in 1. dist. 3. q. 6*: & quoties dicit, verbum, seu cognitionem procedere ex memoria fœcunda, hoc est ex potentia intellectiva simul & à specie intelligibili movente talem potentiã, & simul cum illa partialiter efficiente verbum, aut cognitionem. Quod & nos notabamus *cap. 5. n. 9.* explicantes definitionem verbi.

4 Memoria autem strictè sumpta est facultas conservativa specierum præteritorum, vt præteritorum, hoc est, conservativa specierum, quas impresserunt actus potentiarum ipsiusmet cognoscentis, quando extiterunt. De qua stricta memoria agit Scotus *in 4. dist. 45. q. 3.* & loquuntur Authores tractantes de memoria.

5 Nota, quòd sicut potentia, aut facultas intellectiva bis actuatur: primò per receptionẽ speciei impressæ, seu intelligibilis: secundò per actualem intellectionem, seu speciem expressam. Ita potentia memorativa bis actuatur. Primò per receptionem speciei impressæ actus præteriti ipsiusmet recordantis: secundò per actualem intellectionem illius actus præteriti. Et sicut pro illo priori naturæ, pro quo potentia intellectiva est, & consideratur cum specie impressa, & ab ipsa mota, (vel ab obiecto per se ipsum immediatè movente) dicimus, potẽtiam intellectivam esse proximè potentẽ, & proximè expeditam ad intelligendum: in posteriori verò naturæ, pro quo illa potentia est, & consideratur sub actuali intellectione, dicitur actu, & absolutè intelligens. Ita pro illo priori naturæ, pro quo potentia memorativa est, aut consideratur cum specie impressa actus præteriti, & ab ipsa mota, dicitur proximè potens, & expedita ad eliciendum recordationẽ, aut reminiscentiam; (Et pro tũc dicitur adesse memoriam,) pro posteriori verò naturæ, pro quo potentia memorativa est, & cõsideratur sub actuali cognitione actus præteriti, dicitur actu recordari.

6 Vnde colligitur, quòd memoria duo includit, nempè potentiam memorativam, & speciem impressam actus præteriti, immo non vtcumque; sed vt actualiter moventem ad eliciẽdum recordationem. Recordatio enim, aut reminiscentia est actus secundus causatus à memoria, seu à potentia memorativa simul, & à specie impressa actus præteriti. Sicut cognitio, aut intelligentia est actus secundus causatus à potentia intellectiva, aut cognoscitiva simul & à specie impressa obiecti. (nisi alias obiectũ per se ipsum immediatè moveat potentiã, & coefficiat actum.)

7. Dices: sæpe auctores, præcipuè

puè Scotus, dicūt cognitionem creatā, seu verbū procedere à memoria fecūda: ergo cōdistinguūt memoriam à specie impressâ: ergo memoria non includit speciem impressam: Respondetur, sic loquentes sumere memoriā latè, nempè pro potentia memorativa: strictè enim sumpta etiam includit speciē impressam actus præteriti.

8 Ex dictis constat, quòd Auctores dicentes, memoriam esse cognitionem actus præteriti ipsius cognoscentis, & hoc in quantum præteriti (vt nos loquuti sumus *num. 2.*) sumunt memoriam pro actu memoriæ. Et ideo Scotus *in 4. dist. 45. quæst. 3. §. Circa istam verfic. Ex hac.* dixit: *Recordatio est cognitio, seu cogitatio actus alicuius præteriti ipsius recordantis, & hoc in quantum præteriti.* Vbi expēdo, non dixisse, quòd memoria est cognitio, &c; sed quod *recordatio* (hoc est actus memoriæ) *est cognitio, seu cogitatio, &c.*

9 Multa autem notat Scotus ibi circa recordationem, seu actum memoriæ. Primū, quòd obiectum recordationis non est præsens in se, sed in sua specie: alias ille actus non esset recordatio, sed cognitio simplex. Secundum est, quod recordatio versatur circa duo obiecta: obiectum enim eius immediatum, & proximum est actus ille præteritus, qui speciem impressit: remotū autem, aut vltimum est obiectū, quòd attingebat ille actus, quando existebat. Tertiū, quòd recordatio solùm potest versari circa actum proprium ipsiùs recordantis; immo non circa quēcumque sed circa actum humanum, seu circa actum: qui ab operante percipitur. Quare excluduntur actus potentiæ vegetativæ, immo, & quicumque actus, qui ob distractionem, aut propter aliud impedimentum ab operante non percipiuntur.

DVBIVM II.

10 PEtes secundò, an existat memoria? Respondetur affirmativè. Quia experientia constat, quòd *aliquis actus cognoscendi præteritum est in nobis:* inquit Scotus *ibi § & verf. Circa istam:* quòd & à posteriori ex multis inconvenientibus probat ibi Scotus. Si enim non daretur in nobis memoria, *deficeret nobis prima pars prudentiæ, quæ est secundùm Tullium recordatio præteriti. Sequeretur secundò, quòd virtuosi non possent cognoscere se iustè præmiandos, nec vitiosi se iustè puniendos: quæ præmiatio, vel punitio fit propter malum, vel bonū præteritum.* Vnde consequenter destrueretur omnis politia. Omnis enim politica respublica subsistit præmiatione bonorum, & malorum punitione.

11 Sed contra ea, quæ diximus de essentia, & existentia memoriæ, obijcies primò: actus er-

memoriæ non requirit versari circa præteritum, vt præteritũ: ergo malè dicimus, memoriam esse cognitionem præteriti, vt præteriti. Antecedens probatur: actus enim, quo cognosco, me heri vidisse Petrum, quem etiam hodie video, est actus memoriæ, & tamen Petrus non præterijt: Respondetur cum Scoto *in 4. dist. 45. quæst. 3. §. Ad intellectum.* quòd etsi memoria sensitiva necessariò versetur circa præteritum, vt præteritum ita vt, tàm obiectum proximum, quàm remotum debeat esse præteritum; (obiectum proximum est actus præteritus; remotum autem est obiectum ipsiusmet actus præteriti: vt *num. 9.* dicebamus) intellectiva autem memoria non requirit præteritionem in vtroque obiecto; sed sufficit, quòd præterierit actus, seu obiectum proximum. Quare in forma, respondetur negando antecedens de obiecto proximo: & concedendo de remoto: nec aliud cõvincit instantia adducta: quamvis enim Petrus, quem vidi heri, & video iterum hodie, non præterierit, præterivit tamen actus, quo Petrus (qui est obiectum remotum memoriæ) heri viderã: & ideo actus, quo cognosco, me Petrum vidisse, est actus memoriæ. Contra; in Deo datur actus memoriæ, seu recordatio, iuxta illud T*hrenorum 5. Recordare Domine, quid acciderit nobis.* Sed in Deo semper perseverat vnus actus: ergo memoria non debet versari circa præteritum actum. Respondetur cum Scoto *in 4. d. 45. q. 3. & vers. Ad argumenta* ibi sumi memoriam æquivalẽter, inquãtũ ille actus Dei, qui stat in æternitate, *& non est post tempus consideratur, vt coexistens priori tempori, & nunc isti, & sic quasi post tempus.*

11 Et si quæras, quare memoria sensitiva requirat necessariò præteritionem in vtroque obiecto, non autem memoria intellectiva? Respondetur ex Scoto ibi; quòd sensus tendit in obiectum secundùm certam approximationem, vel lineam rectã, vel curvã; vel aliquid simile; & huius dispositionis, etiam vt præteritæ recordatur. At memoria intellectiva tantùm petit præteritionem in actu: (vt notat Cavellus in Scholio illius §. *Ad intellectum*) quia potest tendere in obiectum abstrahendo à quocumque modo, & à quacũque circumstantia.

12 Obijcies secundò: actus, quo cognosco, me cognovisse Petrum, cum vidisse, audisse, &c. est actus intellectus: ergo non est actus memoriæ. Resp. distinguendo antecedens: realiter, concedo: formaliter, nego: & ideo negatur consequentia. Itaque idẽmet intellectus propter diversas habitudines dicitur potentia intellectiva, & memorativa:

tiva: sicut propter diversas habitudines dicitur agens, & possibilis. Quare sicut intellectus, inquantum productivus speciei intelligibilis, dicitur, & est agēs: (& fortè etiam inquātum productivus intellectionis) & inquā tum receptivus intellectionis, seu inquantum recipit intellectionem, & media illa tendit vitaliter in obiectum, dicitur, & est possibilis, seu patibilis. Sic idemmetintellectus, inquantum est conservativus, seu inquantū conservat species illarum intellectionum, vel aliorum actuum huius operantis, dicitur, & est potentia memorativa strictè sūpta: inquantùm autem conservat species impressas obiectorū, dicitur, & est potentia memorativa latè sumpta: vt notabamus *à numero* 3. Quæ potentia transit adesse memoriæ per conservationem speciei intelligibilis, necnon & per motionem illius: memoria enim duo includit, nempè, & potentiam memorativam, & speciem simul cum motione: vt notabamus *num*. 6.

DVBIVM III.

13 PEtes tertiò, quomodo distinguatur memoria ab intellectu? Respondetur sub distinctione. Si enim loquamur de memoria in actu primo, seu de potentia memorativa comparata cum intellectu etiam in actu primo, seu cum potentia intellectiua, solù m formaliter distinguuntur. Sunt enim duæ formalitates eiusdem realis potentiæ: quia idem realis intellectus est & dicitur potentia intellectiva, & memorativa propter diversas habitudines: sicut dicitur, & est agens, & patiens, seu possibilis propter diversas habitudines; vt *num*. 12. explicuimus. Si tamen loquamur de memoria, & intellectu in actu secundo, realiter distinguunrur: quia memoria strictè sumpta in actu secundo, seu in exercitio includit speciem intelligibilem conservatam, & moventem ad cognitionem actus præteriti: quæ species est longe diversa à specie, quam ad simpliciter intelligendum requirit intellectus.

DVBIVM IIII.

14 PEtes quartò, an in Angelo reperiatur memoria? Respondetur affirmativè. *Quia Angeli non omnes intellectiones habent perpetuas, ideo possunt absolutè recordari. Fatuum est enim dicere, quòd Lucifer non recordatur, se peccasse, nec boni Angeli recordantur, tales actus intelligibiles habuisse, vel etiam aliquos exteriores circa corpus*: inquit Scotus *in* 4. *distinct*. 45. *quæst*: 3. §. *&* *versiculo Ad argumenta principalia*.

15 Dices: Angelus eodemmet actu intellectus, quo videt Deum beatificè; videt crea-

turas: ergo ille actus non potest deservire ad memoriam. Patet consequentia: quia ille actus non transit, sed perseverat æternus à parte post. Antecedens autem docet Scotus *in 1. distinct. 1. quæst. 2. §. & vers. Modus ponendi, & alibi cum multis alijs.* De quo videatur noster Felix 2. *tom. Tentat. tract. de Visione cap. 11. diff. 3. num. 3* Respondetur, ex his concludi, Angelos nō habere memoriam de actibus beatificis tàm intellectus, quàm voluntatis: non tamen concluditur, illam non habere de alijs rebus, nempè de actibus virtuosis, quos exercuerunt in via, & quos modò exercent circa custodiam hominum, &c.

16 Nota, antecedens illud (eodem actu, quo Beatus videt essentiam divinam, videt creaturas) non esse omnino certum apud Scotum: ibi enim hoc non disputabat: sed, vt probaret, non repugnare, quod videretur essentia divina sine personis, dixit: *Exemplum: idem est actus visionis essentiæ divinæ, & aliarum rerum in essentia,* & tamen potest manere visio essentiæ, non visis creaturis: ergo benè stare potest, quòd maneat visio essentiæ, non visis personis, seu non cooperante Deo ad visionem personarū. Hic fuit discursus Scoti: & ego expendo, quòd, vt esset efficax, nō debebat pro certo assumere, quòd *idem est actus visionis essentiæ divinæ, & aliarum rerum*: cùm enim hoc sit sub quæstione, facile esset, illud negare: & inde totum evertere argumentum. Quare Scotus sic implicitè argumentabatur: probabile est mihi, vel aliquibus, quòd idem est actus visionis essentiæ divinæ, & aliarū rerum in essentia. (hoc est ad quarum cognitionem movet Deus, & non species rerum) Sed potest manere illa visio non terminata ad creaturas, sed solùm ad essentiam: ergo similiter poterit manere visio essentiæ, non visis personis divinis.

17 Patet ergo, quòd illa doctrina non est certa apud Scotū. Et ideo *in 3. dist. 14. q. 2. §. Potest dici* satìs declarat, posse affirmari, creaturas posse videri in Deo diversis actibus, ac videtur Deus: *Et quodlib. 15. § de secundo articulo à vers. Præterea* de hac re dubius manet, vt testatur Cavellus in illo Scholio dicens: *hic dubius videtur manere, an creatura in essentia videatur eodem actu, quo videtur essētia, vel alio distinctio. Mihi videtur longè facilius, quòd distinctio. De quo tamē Doctor nihil resolvit.*

18 Nota etiam, quòd, adhuc admissa illa doctrina, (eodem actu Angelus Beatus videt Deū, & creaturam) posset negari cōsequentia illa: (ergo ille actus non potest deservire ad memoriā) si enim admittimus in Deo memoriā per æquivalētiā; iuxta dicta *numero* 10. sic etiam illam ad-

admitteremus in Angelo, etiam si in eo vnicus fuisset semper actus intellectus.

CAPVT VII.

De voluntate Angelorũ.

Egimus de intellectu, & memoria Angeli, succedit agere de illius voluntate. De qua sæpissimè aliqua tangit Scotus præsertim *in 2. dist. 5. q. 2. §. Respondeo*, & per totam quæstionem supponit in Angelis voluntatem reperiri, siquidem quærit, an Angelus potuerit peccare in primo instanti? Item *in 3. distinct. 13. quæst. 3. §. & vers. Ad tertiam quæstionem* vbi docens, voluntatem Angeli esse actiuiorem voluntate humana, apertè supponit, in Angelis dari voluntatem.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad voluntatem Angeli, quatenus est potentia.

1 Svppono, sæpe nomine voluntatis intelligi eius actum. Sic sumitur 1. *Machab. 3. n. 60. sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. & Lucæ 2. num. 14. In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: & alibi sæpe. In quibus locis vox *voluntas* sumitur metonymicè, hoc est, effectus vsurpat nomen causæ: actus enim voluntatis est effectus cuiusdam potentiæ, (communis Deo, Angelis, & animæ rationali) quæ voluntas nuncupatur; & quam ex locis citatis, & ex omnium conuenientia suppono dari in Deo, & hominibus: non enim potest dari effectus sine causa, neque actus sine potentia, à qua eliciatur. Sed ex prædictis locis constat, existere actum voluntatis in Deo, & in homine: ergo habet causam, seu potentiam, â qua eliciatur.

DVBIVM I.

2 Petes primò, an in Angelo reperiatur voluntas? Respondetur affirmatiuè. Quia voluntas est principium magnarum perfectionum: (quales sunt amor, desiderium, spes, &c.) ergo ponenda est in Angelo: nō enim alia ratione ponitur in Deo, & in homine. Et satis colligitur ex illo 1. *Petri 1. num. 13. in quem desiderant Angeli prospicere*. Nota obiter, ibi ly *desiderant* sumi non pro affectu, seu appetentia rei non possessæ, sed pro appetitu complacentiæ, seu pro complacentia voluntatis, quia Angeli sunt in possessione summi boni.

DV-

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, an voluntas Angeli distinguatur à sua substantia, & ab eius intellectu, & alijs potentijs? & quomodo? Respōdetur distingui aliquo modo. Quia voluntas habet conceptibilitatem distinctā à conceptibilitate substantiæ, & aliarum eius potentiarum. Non tamen distinguitur realiter, sed solùm ex natura rei formaliter. Quia, sicut non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; non est admittenda maior distinctio, si possit sufficere minor. Sed ad salvandum omnia, quæ de voluntate dicuntur, sufficit distinctio formalis: ergo nō est admittēda realis. Recolantur dicta *cap. 2. diff. 7. à num. 1. & cap. 4. diff. 1. num. 1. & 2.*

DVB VM III.

4 PEtes tertiò, an in voluntate Angeli sit distinguēda propensio iustitiæ, & propensio commodi? Respondetur affirmativè. Quia ex Anselmo *de Casu diaboli c. 4.* communiter recepto omnis actus voluntatis elicitur, aut secūdùm affectionē iustitiæ, aut secundùm affectionem commodi. Sed nulla est ratio, quare ab hac doctrina excludamus Angelos: ergo in eis distinguenda est inclinatio iustitiæ, & inclinatio commodi.

5 Dices: affectio iustitiæ est actus voluntatis elicitus secundùm regulam rationis; & affectio commodi est actus voluntatis elicitus iuxta naturalem propensionem in bonum delectabile: sed Angelus bonus semper operatur secūdùm regulā rationis: ergo saltem Angelus bonus non habet affectionem commodi. Respondetur negando consequentiam: Angelus enim bonus, & malus sunt eiusdem naturæ: & ideo sicut ex actibus, quibus mal⁹ operatur circa proprium commodum, colligim⁹, in eius voluntate esse propēsionem ad proprium commodum; ita affirmamus, eādem propensionem reperiri in bonis Angelis. Prætereà dicimus, optimè compati, quòd eadem actio sit secundùm propensionem naturalem, & secundùm regulam rationis: vt patet in manducatione cibi sapidi tempore conveniente facta; in tentione Beatorum, &c.

DVBIVM IIII.

6 PEtes quartò, an in Angeli voluntate distinguendæ sint inclinationes, seu propensiones irascibilis, & concupiscibilis? Respondetur affirmativè. Quia in Angelo reperiuntur affectus, seu actus voluntatis pertinentes ad irascibilem, & con-

cupiſcibilem: ergo diſtinguendæ ſunt in eo facultates, ſeu inclinationes iraſcibilis, & concupiſcibilis. Patet conſequentia: quia omnis actus ſupponit potentiam, ſeu facultatem, à qua procedat. Antecedens autem fatentur tàm Scotiſtæ, quàm Thomiſtæ, (& conſtabit ex dicendis *num.* 11. dum aliquos actus harum facultatum numeremus) qui conſpiramus in hac concluſione; quamvìs diſconveniamus in aſsignando obiecta harum facultatum.

7 Pro quo noto, quòd Thomiſtæ dicunt, obiectum iraſcibilis eſſe bonum arduum; concupiſcibilis autem bonum delectabile. Scotiſtæ autem cum Scoto *in* 3. *diſtinct.* 34. § *Notandum à verſ. Quarum diſtinctio* dicimus, obiectum concupiſcibilis eſſe primò appetibile, & primò fugibile: obiectum autem iraſcibilis eſt ſecundariò appetibile, & ſecundariò fugibile. Vocant autem primò appetibile, & primò fugibile *illud, quod ex ſe natum eſt, eſſe conveniens, vel diſconveniens, ita quod, nullo alio poſito circa ipſum, niſi ſola apprehenſione facta, natus eſt ſequi actus delectandi, vel triſtandi, ſive proſequendi, vel fugiendi, quantum eſt ex parte eius.* Famelico v. g. cibus eſt primò appetibilis: quia eſt, quod primò appetit famelicus, &, quod ex ſe, natum eſt eſſe ſibi conveniens. Carentia verò cibi eſt famelico primò fugibile; quia eſt, quod primò refugit famelicus, &, quod ex ſe, eſt natum eſſe diſconveniens ſibi. Et vtrumque hoc pertinet ad concupiſcibilem famelici.

8 Vocant autem ſecundò, aut ſecundariò appetibile illud, quod non appetitur ratione ſui, ſed propter primò appetibile, ſeu quod eſt conveniens alteri ratione primò appetibilis. Secundò, aut ſecundariò fugibile vocant illud, quod non refugitur ratione ſui, ſed propter primò appetibile. Illud v.g quod famelico impedit conſequutionem, aut fruitionem cibi, eſt fugibile non primò, ſed ſecundò, aut ſecundariò: quia non eſt diſconveniens famelico ſecundùm ſe, ſed quatenus impedit conſequutionem, aut fruitionem cibi. Carentia verò, ſeu ablatio impedimenti eſt ſecundariò, ſeu non primariò appetibilis: quia appetitur à famelico, aut eſt ſibi conveniens nõ propter ſe, ſed propter primò appetibile. Et vtrumque hoc pertinet ad irraſcibilem.

9 Ex quibus conſtat, quòd tàm in iraſcibili, quàm in concupiſcibili ſunt actus, qui verſantur circa bonum, & qui verſantur circa malum. Vt patet in exemplo famelici: cuius actus appetens cibum eſt actus concupiſcibilis verſans circa bonũ. Actus autem eiuſdem concupiſ-

piſcibilis verſans circa malum eſt actus, quo reſpicit, ſeu fugit carentiam cibi. Actus iraſcibilis verſans circa bonum eſt actus, quo vult amoveri impedimentum conſequutionis cibi. Actus verò eiuſdem iraſcibilis verſans circa malum eſt actus, quo reſpuit, ſeu fugit illum, qui impedit conſequutionem, ſeu fruitionem cibi. ¶ Nota tamen, quòd iraſcibilis non vult præcisè ablationem impedimenti, ſed etiam vltra hoc vult ſe vindicare, ſeu punire impediens. Eſt enim *iraſci* (*ſecundùm Philoſophum 2. Rhetoricorum*) *appetere vindictam ſecundùm rationem apparentem propter apparentem parvipenſionem*: inquit Scotus ibi.

10 Hæc de iraſcibili, & concupiſcibili in communi dicta facilè poſſunt applicari Angelo: cuius actus voluntatis, qui verſantur circa primò appetibile, & circa primò fugibile, ſpectant ad eius concupiſcibilem: actus verò, qui verſantur circa ſecundò appetibile, & circa ſecundò fugibile, ſpectant ad iraſcibilem illius.

11 Ad rem ergo: cùm in omnium ſententia ſint multi actus tàm in iraſcibili, quàm in concupiſcibili humanæ voluntatis: etiam multi ponendi ſunt in Angelica voluntate: immo omnes illi, qui ob aliquam ſpecialem rationem non ſunt Angelo denegandi. Quare in Angelo eſt amor Dei, ſui ipſius, & proximorum. Item eſt deſiderium noſtræ ſalutis. Vtrùm autem hoc deſiderium ſit propria ſpes? pertinet ad tractatum de ſpe. Item eſt in Angelo malo deſperatio de propia beatitudine; & in bono Angelo eſt deſperatio de beatitudine mali. Eſt etiam in bono odium peccati, & in malo odium Dei. Eſt quoque in bono timor filialis; & in malo timor de malo futuro. Inſuper audacia reperitur in Angelo, quatenus (ſaltem dùm erat viator) eggreſſus eſt bonus Angelus pericula ardua ad evitādum peccatum. Ira etiam reperitur in malis: iraſcuntur enim de malo ſibi illato. Immo etiam reperitur in bonis: etenim ad iram ſolùm requiritur apperitus vindicandi iniuriam illatam. Neq; adhoc requiritur triſtitia, aut dolor: (vt exiſtimat Vazquez) neque commotio, & perturbatio corporalis: (vt alij volunt) ſed omnia iſta materialiter ſe habent ad rationem iræ. De quo in tractatu de voluntate Dei.

12 Notat Scotus ibi *verſ. De vi*, facultates iraſcibilem, & concupiſcibilem diſtingui ſolùm *ex parte obiectorum, in quæ tendunt. Sicut ſi diceremus, intellectum diſtingui in principia, & concluſiones, in quantum tendit in cōcluſiones per principia. Sed propter talem diſtinctionem principiorum, & cōcluſionū nullus diſtinguit in-*

intellectum nec in potentias, neque in vires: (inquit Scotus) ergo neque in voluntate distinguenda est (adhuc formaliter) facultas cōcupiscibilis ab irascibili. Sed dicendum est, quòd eadem potentia, seu facultas dividitur in cōcupiscibilem, & in irascibilem: per diversas comparationes, seu quatenus comparatur ad diversa obiecta.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad actus voluntatis Angelorum: necnon, & ad modum liberè procedendi ab illorum voluntate.

1 SVppono, pręter substantiam Angeli, & prater eius voluntatem, aut potentiā volitivam, egere Angelum actuali volitione, vt actualiter vellit aliquod obiectum; aut actuali nolitione, vt aliquod obiectum actualiter nolit, seu respuat. Quia per suam substantiam solùm dicitur esse Angelus; & per potentiam volitivam, aut per voluntatem solùm dicitur esse potens ad volendum, & nolendum: per volitionem autem, aut nolitionem praedicta potentia reducitur ad actum, seu ad exercitium; diciturque actualiter velle, aut nolle.

2 Suppono secundò, praedictam volitionem, aut nolitionem esse quemdam actum ab ipsa voluntate (regulariter) productum, spectareque ad praedicamentum qualitatis. Est enim de illo philosophandum; sicut de creata intellectione. Hanc autem esse qualitatem, suppono ex dictis *cap. 4. diff. 2. à num. 2.*

3 Suppono tertiò, actum voluntatis creatae realiter distingui tàm ab illius substantia, quā ab eius potentia volitiva. Quia saepe existunt substantia, & voluntas Angeli sine hac, vel illa volitione, aut nolitione, immo sine omni, vt patet in dormientibus. Recolantur dicta *capit. 4. diff. 2. à num. 4.* dicta enim quoàd hoc de intellectione creata applicanda sunt ad volitionem.

4 Propter quam rationem suppono quartò *ex ibidē dictis à n. 6.* Angelum non posse eodem actu voluntatis velle, aut nolle omnia obiecta; sed in eo ponēdos esse tot actus volūtatis, quot sunt obiecta, quae actualiter attingit per voluntatem saltē quādo obiecta sunt omnino disparata.

DVBIVM. I.

5 PEtes primò, vtrùm actus voluntatis Angeli ab ipsa

ipsa liberè procedat? Respondetur affirmativè. Quia libertas, aut liberum arbitrium est vna ex magnis perfectionibus Angelicæ naturæ, divinæ, & humanæ. Quare certissima est hæc conclusio saltem loquendo de aliquo, vel de aliquibus actibus voluntatis Angeli. Pro maiori autem explicatione sit.

DVBIVM II.

6 PEtes secundò, an circa bonum in communi propositum liberè operetur Angelus? Respondetur affirmativè. Quia Angeli voluntas est libera: ergo pro exercitio suæ libertatis circa quodcumque obiectum propositum poterit suspendere actũ amoris, aut prosequutionis, quãtumcumque obiectum proponatur, vt bonũ: immo, & illud poterit actu positivo respuere. Poteritque obiectum vndequaque cognitum, vt malum, prosequi actu positivo. Conclusio ista est mihi probabilior non solũ propter rationem, sed etiam in principijs Scoti, quamvis de illius mente sit non parva inter Auctores altercatio. Pēdet enim ab illa satis controversa difficultate, vtrùm volũtas creata possit velle malum, vt malum; aut odisse bonum, vt bonum? Quã latè discussimus *in tractatu de Actibus humanis d sp.5.q.3.* vbi notavi, Scotum (secundùm multos) de hoc fuisse problematicum: & vbi partem affirmativam propugnavi cum nostro *Ocbar, Maiori, & Almaino: immo & cum Scoto in 1. d.1. q.4.§ Ad argumenta vers. Ad tertiũ, & §. Ad auctoritatem Augustini, & in 2. dist.6.q.2.§ Ad videndum vers. Sed hîc est, & dist.43.q.2.*

7 Igitur secundùm præfatam doctrinam dicimus in præsenti, Angeli voluntatē circa bonũ in cōmuni propositum manere liberam, tam ad suspendendũ actum, quàm ad eliciēdum amorem, vel fugam. Vnde infertur, nullũ obiectum particulare necessitare voluntatem Angeli: & consequenter etiam circa Deũ clarè visum posse suspendere actum amoris. (quod communiter defendimus Scotistæ) Adde posse, Deum clarè visum respuere, aut actu positivo fugere: vt probant aliqui Scotistæ, quibus subscribo. De quo in tractatu de Beatitudine, præsertim legatur noster Felix 1. *t. Tentativæ in tract. de Beatitud. c.4. diff. 1. à num. 15 & diff. 2. à num. 8.*

8 Obijcies: obiectum formale voluntatis est bonitas: ergo si non apparet ratio boni in obiecto, nequit prosequi illud voluntas: & nequit odisse illud, in quo non apparet ratio mali. Respondetur negando antecedens: obiectum enim voluntatis creatæ est totum ens, tàm in actibus amicitiæ, quàm concupiscentiæ: vt expresse docet

Scotus *in 2. dist. 6. quæst. 1. §. & versiculo Quia tamen.* Sed quia doctrina hæc multoties erit necessaria, verba Scoti transcribere placuit. Sic ergo loquitur. *Angelus potuit appetere æqualitatem Dei. Quod persuadetur primò sic: quia voluntas habet duplicem actum amandi, scilicet amore amicitiæ, & actum concupiscendi aliquid amato: & secundùm vtrumque actum habet totum ens pro obiecto, ita quòd sicut quodcumque ens potest ipsa amare amore amicitiæ, ita quodcumque ens potest concupiscere ipsi amato. Igitur cùm Angelus potuerit se amare amore amicitiæ, potuit sibi concupiscere omne bonum concupiscibile. Et ita cùm æqualitas Dei sit bonũ quoddam concupiscibile secundùm se, sibi potuit bonum illud concupiscere.*

9 Vnde apertè constat, obiectum voluntatis, tàm in affectu amicitiæ, quàm concupiscentiæ esse quodcũque ens: circa quodcumque enim potest exercere actum amicitiæ, & concupiscẽtiæ. Et cùm militet eadem ratio de voluntate respectu nolitionis: respectu tàm volitionis, quàm nolitionis obiectum adæquatum volũtatis erit ens in tota sua latitudine, seu circa quodcumque ens poterit voluntas creata elicere actus amoris, & odij, seu prosequutionis, & fugæ. Quòd autem militet eadem ratio, constat. Sicut enim possum amare obiectum non solùm secundùm se, sed etiam in ordine ad aliud; ita possum odisse, nolle, seu respuere obiectum in se, seu secundùm se, & in ordine ad aliud. Et omnium ratio est, quam libavimus *num.* 6. nẽpè, quòd voluntas est potentia libera; & ad exercendum suam libertatem solùm eget ostensione, seu propositione obiecti. Sed ab intellectu potest apprehendi, seu potest intellectus ostendere voluntati quodcumque ens: ergo potest voluntas circa illud exercere suam libertatem ipsum prosequendo, aut fugiendo, aut suspendendo actum circa illud.

10 Dices: ens est obiectum materiale omnium potentiarũ, omnium scientiarum, & facultatum, contrahìturque ad esse huius potentiæ, & facultatis addendo ei aliquam specialem rationem *sub qua*: v. g. ens sub ratione coloris est obiectum potentiæ visivæ, sub ratione saporis est obiectum gustus, &c. Et eodem contrahitur ad esse obiectum huius, aut illius scientiæ, vel facultatis: quamvis enim omnes scientiæ tractent de ente; physica tamen de ente mobili, seu naturali; medicina de ente sanabili, &c. Ergo vt ens descendat ad esse obiectum determinatæ potentiæ aliquam rationem ipsum determinantem debet habere: non ergo potest esse obiectum voluntatis, nisi ei addatur aliqua ratio: & cùm alia, præter bonitatem, reperiri non possit,

sit, ens sub ratione boni erit obiectum formale voluntatis.

11 Respondetur, intellectum, & voluntatem esse potentias vniversalissimas: & ideo habere pro obiecto ens vniversalissime sumptum. Et ratio est, quòd experimur, intellectum intelligere quodcumque ens, etiam abstractum à suis passionibus, immo, & quamcumque passionem præcisam ab alijs passionibus, & à subiecto. Vnde convincitur, eius obiectum esse ens in tota sua latitudine, vt extēditur ad ens *quid*, & ad ens *quale*. Cùm autem voluntas possit prosequi, aut fugere omne id, quod sibi per intellectum fuerit ostensum; (non est sermo de voluntate divina, cuius infinitæ rectitudini repugnat velle peccatum) convincitur etiam, obiectum adæquatum voluntatis esse ens in eadem latitudine. Oppositum autem experimur in alijs potentijs, nempè quòd potentia visiva non tangit omne ens, sed ens contractum per colorem; auditiva ens contractum per sonum, &c. Et ideo statuimus pro obiecto aliarum potentiarum ens determinatum per aliquam rationem, *sub qua*. ¶ Per quod etiam patet ad instantiam scientiarum, seu facultatum, quarum obiectum est ens contractum ad esse sanabilis, mobilis, &c. Quod verum est de alijs scientijs, & facultatibus à metaphysica: istius enim adæquatum obiectum est ens sub ratione entitatis, seu in tota sua latitudine.

DVBIVM III.

12 PEtes tertiò, an voluntas Angeli possit cessare ab omni actu? Respondetur affirmativè. Quia voluntas Angeli est libera: ergo pro exercitio suæ libertatis potest cessare ab omni actu. Hæc conclusio colligitur ex Scoto *in 2. dist. 39. quæst. 2. §. Ad primum versic. Ad aliud* quatenus affirmat, voluntatem creatam nullum actum elicere necessariò neque secundùm affectionem commodi, neque secundùm affectionem iustitiæ. Ex qua doctrina infertur, creatam voluntatem omnem actum elicere contingenter, seu liberè libertate contingentiæ; & consequenter ab omni posse cessare.

13 Sed Suarez *lib. 3. capit. 3. numero 3. secutus Ferraram*, *&* *Bañez* oppositum defendit: & obijcit, quòd Angelum habere actum perfectius est, quàm illo carere: ergo Angelus semper habet actum. Respondetur ita esse de facto. Si autem argumentū procedat de possibili, dicendum est, verum esse, quod

actus comparatus cum carentia ipsius est perfectior illa: at verò si comparatio fiat cum voluntate, perfectius est, posse carere actu: quia est libertas quoàd exercitium, quæ est perfectio voluntatis. ¶ Contra: in carentia actus non reperitur ratio boni: ergo nequit appeti à voluntate. Respondetur negando antecedens; reperitur enim plenum dominium volũtatis respectu suorum actuum: quod est maxima voluntatis perfectio. Instabis: Angelus Beatus nequit cessare à fruitione Dei: ergo posse cessare ab omni actu non est maxima illius voluntatis perfectio: alioqui non destrueretur in Beatitudine. Respondetur negando antecedens: quamvis enim omnino sit certũ, nullũ Beatum cessaturum à fruitione Dei; sed in illa permãsurũ per perpetuas æternitates; tamen habet potentiam ad cessandum, nempè voluntatẽ ex se indifferentẽ ad actum, & ad carentiam illius: immo & ad actus oppositos cum statu beatitudinis. De quo agemus in tractatu de Incarnatione, dum de impeccabilitate Christi Domini sit sermo. Interim legatur *Felix tract. de Beatitud. c. 4. diff. 3.*

14 Obijcit secundò: Angelus diligit se necessario: ergo nequit cessare ab omni actu voluntatis. Respondetur negando antecedens: licèt enim naturali inclinatione Angelus propendat in sui amorem; nulla tamen est causa ad illum necessitans. ¶ Obijcit tertiò: Angelus necessariò quoàd exercitium diligit Deum: ergo non potest cessare ab omni actu. Respondetur negando antecedens: sicut ad præcedens. Immo hoc constat clariùs in dœmone, qui odit Deum, in cuius amorẽ naturaliter propendet,

DVBIVM IIII.

15 PEtes quartò, vtrùm Angelus amore naturali (hoc est elicito viribus naturæ) plus diligat Deum, quàm se ipsum? Respondetur affirmativè. Quia ratio naturalis dictat, quòd perfectius obiectum perfectiori amore diligatur. Sed Deus est perfectior Angelo: ergo perfectiori dilectione est diligendus. Ita Scotus *in 3. dist. 27. § istis vers. Quantum*, quatenus affirmat, *quòd ex puris naturalibus potest quæcumque voluntas, saltem in statu naturæ institutæ, diligere Deum super omnia*. Vnde planè infertur, Angelum super se ipsum diligere Deũ, seu plus diligere Deum, quàm se ipsum. Prędictam Scoti doctrinã secuntur omnes Scotistæ, (vno excepto Pitigiano) vt testatur Cavellus in illo Scholio.

16 Dices, sequi ex ratione huius conclusionis, quòd Angelus perfectiùs amabit perfectiores Angelos, quàm non ita perfectos,

ctos. Respond. distinguendo: appretiativè: concedo: intensivè, nego: quia nostra conclusio nō procedit de amore maiori intensivè, sed solùm appretiativè. Verum est, quòd Angelus bonus, cùm ordinatè prorumpat in amorem, amat Deum plus, quàm se ipsum non solùm appretiativè, sed etiam intensivè: quia tantam intensionem dat actui, quã tam exigit obiectum: & cùm Deus iure exigat à voluntate creata (non exigentia præcepti, sed naturalis congruentiæ) intẽsiorem amorem, quem potest elicere; immo si posset ponere summum, aut infinitum, hunc peteret prædicta exigentia: fit, vt Angelus erga Deum eliciat intensiorẽ amorem, quàm erga se ipsum.

17 Instabis: ergo appretiativè, & intensivè magis diliget bonus Angelus alium perfectiorem se, quàm se ipsum: & consequenter si necessarium foret, vnum ex duobus odiisse, se ipsum potiùs quam alium perfectiorem odio prosequeretur. Respondetur ita mihi videri philosophandum: quia secundùm rectam rationem magis est amãdus ille qui maiorem æstimabilitatem habet; seu qui perfectior est in natura. Huc spectat, quod Scotus *in 3. d. 27. §. Istis rationibus versic. Præterea* expendit, nempè quod 9. *Ethic. vult Philosophus, quòd fortis politicus secundùm rectam rationem debet se morti exponere pro bono reipublicæ*: eò scilicet quòd bonũ reipublicæ æstimabilius est, quã proprium esse. Et probat Scotus ibi, quòd Aristoteles non cognovit, aut saltem dubitavit de immortalitate animæ: & consequenter, quòd prædictam doctrinam tradidit, non attendẽdo ad aliud præmium futurũ. Et ideo sic concludit Scotus: *ergo circũscripto omni præmio futuro, hoc est consonum rationi, vt fortis politicus velit se non esse, ne pereat bonum reipublicæ.*

18 Duobus numeris præcedentibus vidimus illa, quæ contra rationem, seu fundamẽtum nostræ conclusionis obstare videbantur: videamus iam, quæ contra ipsam cõclusionem obiici possunt. Igitur obijcies primò: *ex 9. Ethic. cap. 4. amicabilia ad alterum mensurantur ex his, quæ sunt ad ipsum.* Sed in nullo genere mensuram excedit mẽsuratum: ergo amicitia ad alterum nequit excedere amicitiam ad se: & consequenter amor Angeli erga Deum nequit excedere amorẽ sui erga se ipsum. Respondetur, maiorem esse intelligendam de amicitia quoàd innotescentiam: innotescit enim amicitia ad alterum ex amicitia ad se ipsum per accessum, & recessum. Quãdo enim appeto alteri similia his quæ appeto mihi, per accessum ad meam amicitiam cognoscitur, quanta sit amicitia, quam ha-

beo

beo erga alterum: ficut per recessum à mea amicitia cognoscitur, quòd minor est amicitia, quam erga alterum habeo, quã do ei appeto multò minora, quã mihi appeto. De quo legatur Scotus *in 3. dist. 27. §. Ad primum versic. Ad secundum.* Non autem est intelligenda maior de amicitia quoàd essentialem dependẽtiam, aut quoàd maioritatem: nulla enim est repugnãtia in hoc quòd creata voluntas se ipsam odio prosequatur: etenim etsi naturali inclinatione propendat in amorem sui; libere tamen se diligit; vt *n.* 14. libavimus. Legatur Scotus *in 4. d. 50. q. 2. §. & versic. Ad secundum:* vbi affirmat, quẽ libet Angelũ posse se ipsum positivè odisse contra naturalem propensionem: malus quippè Angelus ad vitandam pœnam potest appetere proprium non esse, & odisse esse. In quo casu non est repugnãtia in hoc, quòd Deum, aut aliud obiectum diligat. Item supposito, quòd Angelus diligat se liberè, non est repugnantia in hoc, quòd intensivè magis amet Deum, immo & aliquod aliud obiectum, quã se ipsum: cùm enim liberè se diligat, potest erga se ipsam adhibere amorem, vt quatuor v.g. & erga Deum, aut aliud obiectũ amorem, vt sex.

19 Obijcies secundò: suppositum nostræ conclusionis non tenet: ergo neque conclusio est sustinẽda. Antecedens probatur: Angelus nequit viribus naturæ, seu amore naturali diligere Deũ super omnia: ergo neque super se, aut plus quã se ipsum. Quòd autem non possit naturaliter diligere Deum super omnia, probatur ab inconvenienti; ex opposito enim sequeretur, poni superfluè habitum supernaturalis charitatis. Secundò sequeretur, ex actibus naturalibus diligẽdi Deũ super omnia frequentatis acquiri habitum similem diligendi Deum super omnia naturalem: ac per consequens habitus charitatis infusæ nõ posset inesse habenti talem habitum acquisitũ: quia duo habitus eiusdem rationis simul inesse non possunt: vnus enim illorum esset superfluus.

20 Respondetur cum Scoto *in 3. d. 27. §. Ad primum versic. Ad secundum*, quòd naturaliter, seu ex naturalibus & non solũ ex charitate infusa, potest Deus diligi saltem in statu naturæ institutæ. Et ideo tenet suppositum nostræ conclusionis. Ad primum incõveniens dico, charitatis infusæ habitum poni ad operandũ meritoriè, & sicut oportet, vt consequamur vitam æternam; nõ autem ad diligendum naturaliter Deum. Ad secundum inconveniens dico, ex frequentatis actibus illis acquiri charitatis naturalis habitum; seu facilitatem inclinantẽ ad similes actus. Nec

prop-

propterea relegandus est habitus charitatis infusus: quia illi duo habitus sunt longè alterius naturæ: vnus enim est principium actuum infusorum, hoc est supernaturalium, per quos de condigno meremur vitam æternã: alius autem solùm inclinat, seu est principium actuum naturalium, qui ad merendum vitam æternam sunt improportionati.

DVBIVM V.

21 PEres quintò, an Angelus ita sit liber, vt possit peccare contra præcepta naturalia? Respondetur affirmativè. Quia, si Deus Angelum non elevasset ad esse supernaturale, sed illum reliquisset in pura natura, non amitteret voluntatem indifferentem: (vt suppono) ergo posset transgredi præceptum naturale non mentiendi, non occidendi hominẽ, non odiendi proximum, aut Deum, &c. Confirmatur: quia de facto dœmones sæpè peccant cõtra legem naturæ: ergo etiam possent in pura natura. Antecedens cõstat, cùm mentiuntur, excitant ad odium, ad occisionem, &c. Hanc cõclusionem defendunt *Ochamus, Gabriel, Paludanus, & alij, quos citat & sequitur Suar. lib. 3. c. 7. n. 6.* eamque ferè expressè defendit Scotus *in 2. d. 23.*

22 Sed Angelum ita esse rectũ in suis naturalibus operationib⁹, vt peccare non possit contra præcepta naturalia, defendũt communiter *Thom. præcipuè Caiet. Capreolus, Ferr. & Durand. dicentes, esse sententiam D. Th. 1. p. q. 63. art. 1.* Pro qua sententia obijcitur: corpora cœlestia non possunt cessare à suis operationibus: ergo neque Angeli ab operatione bona. Resp. negando antecedens: quia à principio intrinseco non haberet moveri; aliàs nõ indigeret intelligentia movente. Resp. secundò negando cõsequẽtiã: quia Angel⁹ operatur liberè.

23 Obijcitur secundò: nulla voluntas potest peccare, nisi supposito aliquo defectu in intellectu: (qui defectus est error, aut ignorantia, aut inconsideratio) sed Angelus non potest habere huiusmodi defectum circa naturalia: ergo nequit peccare cõtra precepta naturalia. Maior probatur ex illo *Proverb. 14. n. 22 Errant, qui operantur malũ.* Vnde apud Theologos exivit in proverbiũ: *Omnis peccans est ignorãs.* Minor constat: quia Angelus habet certam, & evidentem cognitionem rerũ naturalium, iuxta dicta *c. 4. diff. 2. à n. 2.* Respondetur negando maiorem. Ad probationem dico; ibi ly *errant* summendum esse, non pro errore intellectus, sed pro errore practico, hoc est, pro ipso opere peccaminoso: quia omnis, qui peccat, per tale peccatũ errat, seu deviat à debito

fine,

fine, seu à fine vltimo, à quo in suis operationibus debeat, non deviare.

24 Respondetur secundò illas, & similes auctoritates solùm declarare id, quod ex communi modo operandi contingit peccatori; qui communiter peccat *concupiscentia abstractus, & illectus:* (vt dicit *Iacobus cap. 1.*) concupiscentia autem obcæcat rationem: cùm illam perturbet. Aliter verò est philosophandum de eo, quod potest convenire volūtati, attenta eius libertate, & pleno dominio suorum actuū. Vt sic enim, nullo defectu præcedente in intellectu, potest peccare: cùm etiam tunc perfecta gaudeat libertate, & pleno suorum actuum dominio. Et ideo Schola Parisiensis hunc articulum inter alios habet. *Dicere, quòd, existente scientia in intellectu tàm in vniversali, quàm in particulari, non possit esse peccatum in voluntate, error apertus est.*

25 Obijcitur tertiò, quòd potest Deus condere naturam impeccabilem: ergo Angelus est impeccabilis, saltem contra præcepta naturalia. Patet consequentia: quia Angelus est perfectissima natura creata, & fortè creabilis. Respondetur negando antecedens cum Scoto *in 2. dist. 23. §. Dico igitur, D. Th. 1. p. q. 63. art. 1. Alensi, D. Bonav. Suar. lib. 7. de auxilijs cap. 3. & Vazq. 1. p. disp. 231.* Itaque omnis volūtas creata potest deficere à bono, & se convertere ad malum, eo quòd est libera in operando, aut non necessariò coniungitur cum obiecto infinitè recto. Ad quod suadendum sunt multæ Patrum auctoritates: sufficiat D. Hieronymus *in Epistolam ad Gal. cap. 6.* affirmans; *excepta Trinitate, omnem creaturam, licet non peccet, tamē peccare posse.* Sufficiebant quidē ista pro solutione istius argumenti: quia tamen contra hanc doctrinam aliquæ auctoritates, & rationes solent adduci, ut commodiùs illas expendamus, & solvamus, quæro incidenter.

DVBIVM INCIDENS.

26 Petes obiter, an possit dari aliqua creatura libera aliàs impeccabilis per naturam? Respondetur, esse implicationem concedere talem creaturam. Quia simul esset defectibilis à bono: eo quòd esset creatura libera; & indefectibilis à bono: quia esset impeccabilis. Hanc conclusionem tenent Authores numero præcedenti citati: & huc possunt vocari multa ex his, quę docet noster Felix *tom. 2. Tentativæ tractatu de visione capit. 1. difficult. 3.*

27 Sed Gabriel *in 2. d. 23. art. 1. & aliqui alij* oppositum defendunt, & obijciunt D. August. *lib. 11. de Genesi ad literam cap. 7.* dicentem: *talem potuit Deus hominem*

nem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet. Respondetur, loqui (non istis verbis formalibus, sed similibus) de impotentia ad peccandum per gratiam, & gloriam, nō autem per naturā. Posteà enim dicit, talem naturam esse in Angelis: hi autem sine controversia non sunt impeccabiles per naturam, (multi enim peccaverunt de facto) sed per beatitudinem.

28 Obijciunt secundò Anselmum adductum à Scoto *in 2. d. 23. in principio* dicentem, quòd *posse peccare nec est libertas, nec pars libertatis*: poterit ergo dari creatura libera, quæ aliàs peccare non posit. Respondetur cum Scoto *ibi §. ad primum versic. Ad aliud* negando consequentiam. Anselmus enim loquitur *de posse* in peccatum pro formali, quod est carentia, vel privatio: non autem *de posse* in peccatum pro materiali: quia *posse in actum, cui annexa est deformitas, est benè pars libertatis, non simpliciter, sed creatæ*: concludit Scotus ibi. Et meritò: spectat enim ad libertatem creatam, & ad plenum eius dominium, quod habet respectu suorum actuum, posse elicere actum non solùm materialiter bonum, necnon & indifferentem; sed etiam materialiter malum, seu cui annexa sit malitia.

29 Obijcitur tertiò: potest Deus facere creaturam impeccabilem per gratiam: ergo & per naturam. Respondetur ex Scoto *ibi versic. Ad aliud, an Angeli* omitendo antecedens: Beati enim, in quibus instantur, solùm potentia consequenti sunt impeccabiles, hoc est numquam peccabunt: habent tamen potentiam antecedentem ad peccandum, hoc est, habent voluntatē physicè potentem peccare; quia Beatis nihil ponitur physicè incomponibile cum peccato, aut cum potentia ad peccandum. Propter hæc ergo omitto antecedens, & nego consequētiam. Dato enim, quòd Beati physicè redderentur impeccabiles vi visionis, aut cuiuscumque alteri⁹ secundùm diversos modos philosophandi Thomistarum; negādum tamen est, posse aliquā creaturam liberam, natura sua, & secluso aliquo dono ei superaddito, esse impeccabilē: eo enim quòd habet libertatem creatā, est defectibilis à bono ex natura sua, seu ex vi suæ innatæ libertatis.

30 Contra; poterit creari creatura, cui sit connaturalis gratia supernaturalis, & visio beata, atque fruitio: ergo semel admisso, quòd per gratiam potest aliqua creatura reddi impeccabilis, negari nō potest, quòd posit dari creatura aliqua natura sua impeccabilis. Resp. negando antecedens: gratiæ enim repugnat, quòd sit debita: & consequenter non potest dimanare ab ali-

qua

33 Minor etiam constat: in isto enim instanti creationis Angeli primum instans naturæ, seu prima prioritas naturæ fuit, pro qua habuit totum suum esse naturale completum; secunda, pro qua habuit perfectam cognitionem sui creatoris, suæ naturæ, &c. Tertia, pro qua se determinavit ad bonum, & potuit se determinare ad malum; vel saltem potuit pro illa prioritate se ad vtrumque determinare. Quarta, pro qua fuit sub actu bono, & potuit esse sub malo, si ad malũ se determinasset. Multæque aliæ prioritates, & posterioritates naturæ in illo primo instanti temporis creationis Angeli possunt distingui: sicut distinguuntur in quocũq; alio instante temporis & in quocumque alio agente creato. in primo enim instante creationis solis v. g. prioritate naturæ præcessit sol secundùm suũ esse substantiale, in alia, illuminavit: immo inter ipsas partes illuminatas, priùs natura illuminavit sibi propinquiorem, quoàdusque cunctas existentes intra sphæram suæ actiuitatis illuminavit.

34 Hanc nostram conclusionem defendunt Scotus *in 2. dist. 5. q. 2. §. [illegible] sic. Teneo igitur, & in 3. dist. 18. [illegible] reg. Bassolis, Maior, Gabriel & [illegible] communiter citati, præsertim à Vazquez disput. 236. cap. 2. num. 9* quibus ipse tacitus subscribit; siquidem *cap. 3.* rationes oppositæ sententiæ singillatim solvit, & contra multas illarum mussitat. Sed, quidquid sit de mente Vazquez, nostram conclusionem defendunt Becanus *1. p. tract. 3. cap. 4. quæst. 10. numer. 2. & multi alij recentiores Thomistæ*: estque sententia omnium Scotistarum, præcipuè *Fabro disp. 28. cap. 2. à num. 9. Rada 2. p. cont. 11. art. 3. conclus. 2. & Pilosi disp. 15. art. 9. n. 3.*

35 Sed D. Th. *1. p. q. 63. art. 5. & de Malo q. 16. art. 4. D. Bonaventura, Alensis, Ricard. Durandus, Argentina, Henr. Holcot, Albertus Magnus, Caiet. & Hugo Victorinus* citati ab eodem Vazquez docent, Angelum in primo instante suæ creationis non potuisse peccare. Pro qua sententia obijcitur primo. Si Angelus peccare potuisset in primo instanti sui esse, sequeretur, quòd peccatum, quod tunc committeret, tribueretur Deo: ergo non potuit pro tunc peccare. Antecedens probatur ex eo. quòd omne coævum effectui alicuius causæ est ab illiùs causa; vel (vt alij dicunt) omnis operatio, quæ simul incipit cum ipsa re, cuius est operatio, tribuitur illi, à quo res ipsa producitur. Hoc pacto motus gravium, & leuium tribuitur generanti; vt docet Arist.

36 Hæc ratio est omnium, quæ contra nostram sententiam afferri

afferri solent, efficacissima: vt inter alios notat Vazquez *disp.* 236. *cap.* 3. *num.* 17. ipsaque vtuntur communiter auctores oppositæ sententiæ, præcipuè *Henricus, Varro, & D. Th.* vt observat Fabro numero illo 9. Tamen, ipsis Thomistis consentientibus, non paucas patitur difficultates, apud citatos auctores videndas. In forma: ergo Respondetur negando antecedens, seu sequelã, nec non & eius probationem: nã illuminatio solis incipit cum sole; & tamen non tribuitur Deo, qui produxit solem, sed ipsimet soli. Non enim dicimus, Deum, sed solem illuminare àërẽ. Quare, si tribuatur Deo, tribuetur, tamquã causæ primæ, & vniversali; quo pacto omnis actio creaturarum tribuitur illi propter immediatum concursum, quo concurrit cum sole ad illuminãdum: aut saltem, quia soli tribuit virtutem illuminandi, & illam conservat: vt responderet Durandus negans immediatum concursum Dei cum causa secũda. Numquam tamen tribuitur Deo illuminatio solis, vt causæ propriæ, & particulari. Nec verũ est, quod affertur de motu gravium, & levium: quia motus ille re vera proficiscitur ab activa virtute elementorum prædominantium in gravi, vt inclinetur ad deorsum, & in levi, vt inclinetur ad sursum. Sicut illuminatio proficiscitur à virtute activa solis; calefectio à virtute activa ignis, &c. Nec in alio sensu motus gravium, & levium potest tribui generanti; nisi quia generans dat illis virtutem activam, qua se moveãt: vt notat Becanus citatus, & multi alij. Et in hoc sensu est interpretandus Aristoteles.

37 Adde, quòd etsi concederemus, motum gravium, & levium tribuendum esse generanti; illuminationem solis Deo; &c. adhuc negandum esset peccatum Angeli in primo instanti sui esse patratum (si tunc peccasset) fore tribuendum Deo. Quia ipsemet Aristoteles, qui docuit gravia, & levia moveri à generãte; etiam docuit, viventia moveri à se ipsis: vt notat prędictus Becanus: & ideo meritò concludit, quòd ex Aristotele nihil potest afferri contra nos; quia nos agimus de vitali operatione Angelorum, non autem de motu gravium, & levium.

38 Addo vlteriùs, quòd, etsi concederemus, motum graviũ & levium tribuendum esse generanti; illuminationem solis Deo, &c. adhuc negandum esset, prædictum peccatũ in Angeli tribuẽdum esse Deo. Quia gravia, & levia, sol, ignis, &c. sunt agentia naturalia, quorum operatio ab eis necessariò procedit; atque adeo illorum operatio posset aliquo modo tribui suo producẽti: Angelorum verò prima operatio

ratio minimè potest attribui suo creatori; sicuti neque secunda, aut alia: quia non minùs fuisset libera plenè, & perfectè, quā quæcumque alia.

39 Obijciunt secundò: Angelus in primo instante sui esse non fuit liber ad peccandum: ergo non potuit pro tūc peccare. Probatur antecedēs ex eo, quòd omnis causa, dum causat, necessario causat: ergo pro illo primo instante Angelus causaret necessariò. Respondetur ex Scoto *in 2 l. 5. q. 2. §. Respōdeo à versic. Sed hoc* negando antecedens: ad probationem dico, quòd illa propositio solùm est vera de necessitate se tenente ex parte existentiæ effectus; non autem ex parte modi causandi causæ. Verum est enim, quòd, quando causa causat, eius effectus habeat actualem existentiam: in quo sensu dictitamus, quòd *res, quando est, necessariò est*. Falsum tamen est, quòd, quando causa libera causat, causat necessitata: alioquin destrueretur libertas, non solùm pro primo instanti creationis Angeli, sed absolutè, & pro quocumq; alio: vt instat Scotus ibi *versicul. Item*. Illa enim propositio (*Omnis causa, dum causat, necessario causat*) non distinguit de primo instante, aut de quocumque alio. Quare sicut in secundo instante, aut in quocumque alio, dum operatur Angelus, est verum, quòd causat necessariò necessitate se tenente ex parte existentiæ effectus, non tamen ex parte modi causandi, quem habet causa: ita etiam in primo instante.

40 Obijciunt tertiò: intellectus Angeli non potuit in primo instante suæ creationis multa distinctè intelligere: sed hoc requiritur ad deliberandum; & consequenter ad exercitium libertatis: ergo non potuit pro tunc peccare. Respondetur ex Scoto ibi *versic. Arguitur* (omissa maiori) negando minorem: ad hoc enim, vt volūtas liberrimè se exerceat circa obiectū, illud volendo, aut nolendo non solū per omissionem, sed etiam per actum positivum fugæ, seu respuentiæ, sufficit, vt per vnicam cognitionem proponatur. Et tunc in talis obiecti volitione, aut nolitione poterit reperiri meritum, aut demeritum, bonitas, aut obliquitas: v. g. si proponatur, *bonum, & obligatorium esse hîc, & nunc facere elemosynam*, illam facere, erit bonum, & meritorium; obliquum autem, & malū erit illam non facere vel per meram omissionem voluntatis, vel per positivam nolitionem. Item si proponatur, *malum, & obliquū esse hîc & nunc occidere Petrum*, bonum & meritorium erit voluntati velle abstinere ab occisione: malum autem & obliquū, mortem exequi.

41 Omisi autem maiorem;

S quia

quia ad solvendum hoc argumentum illam examinare non est necessarium: & quòd sit falsa, constat *ex cap. 4. diff. 4. à num. 223.* Nec audiendus est Fabro *in 2. disp. 28. c. 1. num. 4.* vbi notat, secundùm Scotum non posse Angelum simul, & in eodem instāti multa intelligere. Quomodo enim Scotus sit intellegendus, diximus loco citato.

42 Obijciunt quartò: natura Angeli à Deo creata est rectissima: ergo in primo actu peccare non potuit. Respond. ex Scoto *ibi versic. Nec illa ratio* negando cōsequentiam: quia in primo, sicut & in quocumque alio, fuit liber: & consequenter in eius actu libero potuit esse obliquitas in primo instanti; sicut & in quocumque alio. Et instat Scotus: natura enim Angeli semper manet recta tàm in primo instanti, quā in alijs quia *secundùm Dionysium naturalia in damnatis Angelis manent splendidissima*: (ait Scotus) & tamen videmus, quòd actus liber Angelorum damnatorum fuerunt mali in alijs instantibus: ergo rectitudo naturæ non obstabat, quòd etiam in primo peccarent.

43 Obijciunt quintò: Primus actus voluntatis non est liber, sed naturalis: sed actus naturalis non est malus: ergo Angelus in primo instante nō potuit peccare. Probatur: actus enim naturalis commensuratur cum rectitudine naturæ: quæ cùm à Deo creata sit, non potest nō esse recta. Respondetur negando maiorem: voluntas enim nullum actum habet elicitum naturalē; etsi aliàs habeat inclinationem, propensionem, seu appetitum naturalem rectum, qui est propria passio dimanans ab ipsa natura, & cum illa realiter identificata. Igitur quicumque actus à voluntate elicitus, sive in primo instante, sive in sequentibus, est liber, & in potestate, & dominio voluntatis, nisi aliàs adsit inadvertentia.

44 Respondetur secundò, omissa maiori, & concessa minori, negando consequentiam, aut eius suppositum: supponit enim quòd in primo instāti (aut in quocumque alio) Angelus solùm potuit elicere vnum actum voluntatis: quod est falsum: potest enim in quocumque instante multos elicere; sicut potest in eodem instanti elicere multas cognitiones, quibus diversa & disparata obiecta simul cognoscat intellectus iuxta dicta *cap. 4. diff. 4. n. 223.* Et ideo dato, quòd prior actus à voluntate elicitus deberet esse non liber sed naturalis, & secūdùm rectitudinem naturæ, poterat voluntas Angeli in illo primo instanti temporis, pro alia posterioritate naturæ elicere actum peccaminosum.

45 Contra: ergo in illo eodē instante volūtas Angeli haberet actum

actum bonum, & malum: & cōsequenter gratiam sanctificantē (ad quam actus bonus bonitate supernaturali disponit) & peccatum mortale. (supponamus illum actum peccaminosum esse peccatū mortale) Quod etsi de possibili concedamus Scotistę; de facto tamen, seu de potentia ordinaria, non cōcedemus. Respondetur, actū illum primū voluntatis, quem gratis concedemus esse naturalem & conformē rectitudini naturæ, futurum quidem esse rectum rectitudine naturali; actum autem peccaminosum, quem in illo instante dicimus potuisse Angelum elicere, affirmamus futurum esse malū malitia morali. Et ideo nullum est inconveniens, esse simul, & in eodem instante in voluntate: nō enim sunt actus contrarij: neque actus ille bonus disponit ad receptionem gratiæ; quia ad istam non disponit act⁹ physicè bon⁹, sed moraliter bonus, & supernaturalis.

46 Obiciunt sextò: nullus potest peccare, nisi sit debitor iustitiæ. Sed in primo instanti Angel⁹ non fuit debitor iustitiæ: ergo tunc non potuit peccare. Maior probatur: quia iustitia, & peccatum sunt sicut habitus, & privatio. Sicut ergo nemo potest amittere habitum, nisi qui habet habitū; ita nemo potest peccare, & amittere iustitiam, nisi qui habet habitū iustitiæ. Minor autem est Anselmi *de Casu diaboli c.12. & 24.* Resp. ex Scoto *ibi versic. Ad illud* negando maiorem tàm de iustitia infusa, seu de gratia iustificāte, quam de acquisita. De infusa (inquam) quia amittitur per vnicum peccatum mortale: & consequenter, qui illam amisit iam nō posset amplius peccare, quia, dum illam non habet, non est debitor iustitiæ. Neque Sarracen⁹, qui numquā habuit iustitiam infusam potuisset peccare. Si autē dicas, hominem elevatum semper debere acquirere, aut conservare iustitiam infusam, & consequenter de novo peccare quoties per novum peccatum, quātum est in se, destruit, seu non conservat iustitiam infusam. Omitto examen huius doctrinæ: illa tamē admissa, restauro argumentū, seu instantiā Scoti loquēdo de homine creato à Deo in statu naturæ puræ, & quē nō elevasset ad statū supernaturalē: hic enim, cū non esset debitor acquirendi, aut conservandi iustitiam infusam, peccare non posset.

47 Itē negatur maior illa de iustitia adquisita: ille enim, qui nūquā fuit iustus moraliter, non posset peccare: quia nūquā habuit iustitiā, quæ secūdū illud argumētū per peccatū foret amittēda. Quare cōcludit Scot. ibi *v. Dico igitur*, quòd iustitia ista, vi cuius homo vel Angel⁹ dicitur debitor iustitię, est libertas volūtatis, vi cui⁹ potest moderari inclinatio-

nē naturalē, quæ est contra iustitiam infundendam, necnon & contra rectitudinem naturalē, quam homo debet ponere in suis actibus.

48 Ex his patet, quòd aliquo modo potest distingui maior: & ideo gradum faciendo ad minorem, quæ est doctrina Anselmi, illam negat Scotus de iustitia infusa. Si autem aliud velit Anselmus, dicit Scotus, D. Augustinum 11. *super Genesim* asserere, Angelos nō habuisse gratiam sanctificantem, seu iustitiā infusam in primo instanti suæ creationis. Et quamvis res illa tā inter Patres, quàm inter Auctores sit dubia; (vt videbimus *cap. 11. diff. 1. à num. 2.*) tamen ex hoc loco habetur, Scotum sentire, illos non habuisse gratiam in primo instante.

49 Obijciunt septimò: Angelus debet priùs supponi creatus, quàm peccaret: ergo in illo primo instanti suæ creationis non potuit peccare. Quod argumentum ab alijs sic conficitur: terminus *à quo* peccati, seu actionis peccaminosæ Angeli, debet incipere à termino *ad quem* creationis Angeli: ergo illæ duæ mutationes non possunt fieri in eodē instanti. Resp. ex Scoto *ibi versic. Ad id*, sufficere, quod creatio Angeli prioritate naturæ præcedat ad suam actionem peccaminosam: & consequenter in primo instanti, in quo accepit esse, potuit peccare. Sicut luna in eodem instanti temporis in quo accepit lumen à sole, diffudit ipsum in alias partes medij; supposita tantum in anterioritate naturæ receptione luminis à sole.

50 Obijciunt octavò: actio creaturæ non potest esse in instanti: ergo Angelus non potuit peccare in primo instanti. Antecedens probatur *ex 6. Phys. c. tex. 29. & 60.* vbi Aristoteles sic arguit: si aliqua virtus potest movere in instanti: ergo maior virtus potest movere in minori mēsura quā in instāti: quod est impossibile. Sed omni virtute creata potest dari alia maior, nēpè increata: ergo illa posset movere in minori mensura, quā in instanti. Ne ergo deveniatur in hoc incommodum, dicendum est, Angelum, aut aliam creaturam non posse operari in instanti. Respondetur ex Scoto *ibi versic. Dico*, negando antecedens: ad probationem dicit Scotus, quòd ratio Aristotelis valet in mensura divisibili, vt est tempus; non autem in indivisibili, vt est instans: quia cùm sit minima mensura excogitabilis, alia minor dari non potest. Et patet in ipso motu, seu movere, quod Aristoteles adducit, & quod nō potest fieri in instanti; sed necessariò consumit tempus.

51 Denique obijcies, cōtra nostrā sentētiam stare D. Anselmū

de

de Casu diaboli cap. 13. vbi sic arguit: si Angelus habet primum velle à se, vel illud habet nolens vel volens: si volens, ergo habuit velle aliquod ante illud; & sic non fuit primùm velle. Si etiã nolens, idem sequitur; quia ante illud nolle habuit velle; nolle enim non potest esse primus actus voluntatis. Cùm ergo statuat Anselmus, primum actum voluntatis Angeli non posse esse ab ipso Angelo, sed à suo creatore: apertè infertur, quòd ille primus actus Angeli non potuit esse peccatum: & consequenter, quòd in primo instanti peccare non potuit. Respondetur ex Scoto *ibi à versic. Dico ad istud*, quòd Angelus habuit à se primum velle, hoc est, ipse illum primum actum elicuit, & hoc liberè volendo, non per aliũ primum actum, (aliàs daretur processus in infinitum; nam de illo interrogarem, an volens? aut nolens illum elicuerit?) sed per liberam applicationem voluntatis ad obiectum propositum.

52 Igitur fatemur, D. Anselmum existimasse Angelum non potuisse habere à se primum velle, & consequenter neque potuisse per illud velle, aut actum peccare. Negamus tamen, Anselmũ militare contra nos. Vt enim obseruavit Scotus *ibi versic. Ad Anselmum & cum eo multi alij, præcipue Fab. in 2. dist. 28. c. 1. n. 2. Pilosus dis. 15. art. 9. num.* 4. Anselmus non loquitur de Angelo eo modo, quo de facto creatus est; sed fingendo, aut considerando, quòd crearetur vnus Angelus, qui esset essentia nuda sine voluntate, & actu primo volendi. De hoc enim verissimum est quòd non potuit habere voluntatem, seu actum primum; & consequẽter non posset habere actum secundum: iste enim necessariò supponit actum primũ, à quo progreditur. Potuit insuper Anselmus considerare Angelũ nõ solũ cum essentia, aut natura, sed etiam cum voluntate, fingendo tamẽ, quòd erat sine inclinatione, seu appetitu commodi, vel incommodi, iusti, vel iniusti. In quo etiam casu ille Angelus non posset habere actum volendi à se; sed à Deo: quia illa voluntas priuata illa inclinatione, seu appetitu numquàm exiret in actum: voluntas quippè, cùm sit indifferens ad operandum ex inclinatione, qua propendet in propriũ commodum, necnon & ex inclinatione, qua propẽdet in propriam libertatem, antequàm prorumpat in actum, debet determinari ab vna ex his inclinationibus; per quarum quamlibet completur, seu constituitur proximè potens ad operandum, aut circa commodum, aut circa iustum, postposito commodo, & vtendo innata inclinatione, qua propendet in vsum libertatis.

53 Ex quibus omnibus firma-

manet nostra conclusio *num.*22. posita, quòd Angelus in primo instanti suæ creationis potuit peccare. Sed restat examinare, an potuit mereri pro illo instanti? & quid tàm circa meritum, quā circa peccatum dicendum sit de facto?

DVBIVM VII.

54 PEtes septimò, an Angelus potuerit mereri in primo suæ creationis instante? Respondetur affirmativè. Quia non fuit minùs liber in illo instante, quàm in alijs sequentibus. Quod defendunt *Scotus & omnes alij num.*24. *citati. Quibus adde D. Th. q.* 63. *art.* 5. *ad tertium, Ferraram, Caiet. & Durādum* qui negantes, Angelum tunc potuisse peccare, concedunt potuisse mereri: quibus expressè subscribūt Vazq. *disp.*236.*c.*4.*n.* 22. *& multi alij cum communi sententia.*

55 Sed oppositum defendunt *Hugo de sancto Victore, noster Alensis, Holcot, Capreolus, & aliqui alij ex num.*25. citatis pro sententia, quæ dicebat, Angelum non potuisse peccare in primo instante. Nihil tamen obijciunt, quod ex dictis dubio precedenti non sit solutum.

DVBIVM VIII.

55 PEtes octavò, an Angelus de facto meruerit, aut peccaverit in primo instante suę creationis? Respondetur sub distinctione. Loquendo enim de merito, huius decisio pendet ab illa quæstione, an Angelus creatus fuerit in gratia, seu vtrùm in primo instante suæ creationis receperit gratiam sanctificantem? Qui enim dicunt, tunc non recepisse gratiam; dicent consequenter, illum non meruisse: quia respectu gloriæ, & augmenti gratiæ sanctificātis, & fortè aliorum huiusmodi, quæ Angel⁹ meruit, eius opera naturalia, seu viribus liberi arbitrij facta non habent proportionem. Qui autem dicunt, Angelum tunc recepisse gratiam sanctificantem; dicent consequenter, per opera procedentia à gratia, seu charitate tunc Angelum meruisse. Quia sine fundamento negaretur Angelo tale meritum, supposita infusione gratiæ, seu charitatis; qua, & dignificabatur Angelus; & constituebatur in actu primo potens ad supernaturaliter operandum, etiam pro illo instanti; sicut pro sequentibus.

56 Loquendo autem de peccato; certū debet esse, Angelos non peccasse mortaliter in sententia, quæ affirmat, illos in gratia sanctificante fuisse conditos: aliàs pro illo primo suæ creationis instanti, gratia, & peccatum mortale fuissent simul. Ex his autem, qui affirmant, Angelos non fuisse creatos in gratia Augusti-

gustinus Eugubinus *lib. 8. de peren. ni philophia cap.* 38. dixit, malos Angelos ab initio suæ creationis peccasse. Pro qua sententia citat Theodorum quendam Theologum Latinum. Quam sententiam, vt probabilem defenderat Alensis 2. *part. quæst.* 98. *memb.* 11. & in ea videtur fuisse D. August. citandus *n. 49. & 50.*

57 Nobis tamen dicendum est, nullum Angelum peccasse in primo instanti sui esse. Et omissis aliquibus testimonijs ad hoc probandum minùs efficacibus, vt notat Vazquez *disp.* 236. *cap.* 1. *â num.* 4. probatur ex illo epistolæ Iudæ: *Angelos verô, qui nõ servaverunt suum principatum; sed reliquerunt suum domicilium.* Si enim Angeli numquam boni fuissent, sed semper mali, non dicerentur reliquisse domicilium, nempè innocentiæ. Probatur secundò ex concilio Bracharensi 1. *can.* 7. *qui est 6. canon epistolæ Leonis Magni contra Priscillanistas.* In quo concilio prędicta epistola cum omnibus suis decretis recitata fuit, & totius cōcilij consensu recepta, & sub anathematis maledictione confirmata. In eo igitur canone sic definitur. *Siquis dicit, diabolum non fuisse priùs Angelum bonum â Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam eius; sed dicit eum ex tenebris emersisse, neque aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium, atque substantiam mali: sicut Manichæus, & Priscillianus dixerũt, anathema sit.*

58 Propter hæc nostra conclusio adeo vera est, vt D. Bonav. & Thomas Argentina referant, oppositā sententiam damnatam fuisse ab Episcopo Parisiensi cum omnibus Theologis illius vniversitatis. Immo D. Th. illam erroris insimulat: & D. Bonaventura dicit, ad hæresim proximè accedere. De quo præcipuè videatur Vazquez *disp.* 236. *cap.* 1. *num.* 3. & 7. vbi concludit, sententiam Eugubini non levi nota esse dignam.

59 Sed pro Eugubino, & contra nostram conclusionem obijcies illud *Ioan.* 8. *num.* 44. *ille homicida erat ab initio.* Item illud 1. *Ioan.* 3. *num.* 8. *ab initio diabolus peccat*: ergo diabolus peccavit in primo instanti sui esse. Respondetur negando consequentiam: quia ibi est sermo de initio mundi. Tunc enim diabolus induxit hominem ad peccandũ: ex quo peccato mors animę & corporis secuta est. Et ideo diabolus vocatur homicida. Obicies secũdo D. Augustinum *lib.* 11. *de Genesi ad literam c.* 13. dicentem, *diabolũ cecidisse, nõ ab eo, quod acceperat, sed ex eo, quod acciperet, si subdi voluisset*: ergo nũquā accepit gratiam sanctificantē, nō alia ratione nisi quia in primo instāti sui esse peccavit. Resp. negādo consequentiā: ibi enim Aug. solũ denotat, diabolũ cecidisse â statu beatitudinis, ad quē pervenisset, si Deo subdi voluisset.

60 Obijciunt item eumdem Augustinum *lib.11.de Civitate Dei c.13.* dicentē, eū, qui existimat, Angelos ab initio suæ creationis voluntate propria peccasse, non sentire cū Manichæo, quia Manichæ° docuit, Angelos nō propria voluntate, sed etiam natura malos esse: iste autem solùm assereret, Angelos ab initio suæ creationis propria voluntate solùm esse malos, & cecidisse: sentit ergo Augustinus oppositam sententiam non esse dignam censura Manichæismi. Respondetur, ita esse: ob id tamen ab omni alia censura non esset liber, qui oppositam sententiam defenderet, præsertim post concilij Bracharensis, & Magni Leonis definitionem; vt notat Vazq. *ibi n.8.*

DVBIVM IX.

61 Petes nonò, an in Angelo viatore admittendi sint actus indeliberati? Resp. negativè. Quia spectat ad perfectionem naturæ Angelicæ operari ex plena, & perfecta cognitione; cū qua non stant motus subreptitij, seu indeliberati: isti enim sunt actus imperfecti voluntatis quos regulat ratio imperfecta: quæ rationis imperfectio aliquādo oritur ex passione insurgente, & perturbante rationem: aliquando autem ex ignorantia, seu propriùs ex inadvertentia, per quam non omnino attenditur obiecti malitia. Hęc conclusio satis colligitur ex Scoto *in 2.dist.6.q.1.§. Ad argumenta; & eam expressè tradit Pilos. disput. 15. art.8.n.2.*

62 Sed contra conclusionē obijcies primò: in Angelo non fuit motus indeliberatus? ergo non potuit peccare venialiter. Respondetur distinguendo consequens: ex imperfectione act°, concedo consequentiam: ex levitate materię, nego consequentiā, Potuit quippe Angel° ex plena, & perfecta cognitione iocosè, vel officiosè mentiri, alium leviter decipere, & alia huiusmodi committere, in quib° est peccatum veniale secundùm omnes.

63 Obijcies secundò: Angel° potuit dubitare, & opinari de futuris contingentib°, &c. ergo circa illa elicere potest actus indeliberatos. Resp. negando cōsequētiā: quia, etsi quando dubitat Angel°, aut opinatur de existentia alicuius futuri, non cognoscat perfectè eius existētiā determinatè; illā tamē cognoscit perfectè, vt dubitabilem, seu vt opinabilē: & vt sic circa illā ex plena, & perfecta deliberatione, seu ex pleno, & perfecto dominio voluntatis elicit actus ipsa voluntas. Itaque futurū aliquod, de cuius existentia dubitat, aut opinatur Angelus, nō est aliter cognoscibile ab ipso sub rationib°, quib° ipsi Angelo proponitur, quā dubitativè, aut opinativè. Et ideo ab Angelo

lo dubitāte, aut opinante perfectè cognoscitur: & consequenter actus voluntatis, qui nititur illi cognitioni, nequit esse subreptitius, aut indeliberatus.

DVBIVM X.

65 PEtes decimò: an Angelus habeat liberum arbitrium natura sua inflexibile? Respondetur negativè. Itaque Angelus naturaliter potest, postquam se determinavit circa aliquod obiectum, ab illa determinatione cessare, immo, & oppositum elicere. Quia *omne creatum arbitrium est mutabile*: *& ipse Angelus perpetuò mobilis est*, *& sententia ratione mutabilis*; inquit Damasc. 2. *de fide cap.3*. Idem fatetur Aug. *de fide ad Petrum c.3*. expressissimis verbis communiter relatis præcipuè à Scoto *in 2. dist.7. §. & versiculo, Contra conclusionem*. Et ratio est, quòd Angelus, etiam postquam se determinavit circa aliquod obiectum, manet liber ad continuandum actum, & ad cessandum ab illo; necnon, & ad eliciendum oppositum: nihil enim potest assignari, à quo necessitetur ad persistendum in illo actu. Hanc conclusionem defendunt Scotus *nuper citatus, & præter Scotistas*, Gabriel, *Ochamus, Marsilius, Durandus, Valentia, Molina: & alij, quos communiter citant, & quos communiter secuntur recentiores, præcipuè Suar. lib.3.cap.10. num.5. Vazq. disp.239. cap.4. &* Becanus *1. p. tract.3. c.4. q.12. num.3.*

65 Oppositum defendunt D. Thom. *1. p. quæst. 64. art. 2. Alensis, Henricus, Ferrara*, Caietanus, *Capreolus, & ferè omnes antiqui* Thomistæ *communiter citati*: & obijciunt primò: Angelus est immobilis in intelligendo, & iudicando: ergo & in volendo. Respondetur (omisso antecedenti) negando cōsequentiam: quia æquè liber manet postquàm se determinavit circa aliquod obiectum, ac erat antequàm se determinasset: & ideo sicut cum illa cognitione, antequam se determinasset, potuit suspendere actum, & oppositum elicere: sic etiam potest post determinationem.

66 Omisi autem antecedēs: quia ad solvendum argumentū non est necessarium illud examinare. Si autem foret examinandum, deprehenderetur, illud esse quidem verum loquendo de rebus, quas Angelus cognoscit evidenter: non autem de rebus quas per fidem, aut revelationem cognoscit: vt sunt secreta cordium, & futura contingētia. Circa ista enim Angeli cognitio non est immutabilis, seu immobilis: quia cum illa cognoscat, non evidènter, sed aut per fidem, aut per probabiles cōiecturas; contingere potest, vt Angelus iudicet, aliquid esse appetendum, quod tamen iudicaret non esse appetendum, si adver-

verteret ad omnes circumstantias. Hoc pacto dæmon appetijt mortem Christi Domini. Ideo enim misit in cor Iudæ, vt traderet illum Iudæis: vt constat *ex Ioann. 13.* Posteà tamen, re meliùs considerata, eiusdem Domini mortem voluit impedire: Propterea quippè Pilato pro tribunali sedenti eius vxor scripsit: *Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodiè per visum propter eum: Matth. 27. num. 19.* nempè quia dæmon eam ad hanc petitionem faciendam excitarat, vt sic mortem Domini impediret.

67 Obijciunt secundò: Angelus immobiliter adhæret fini vltimo:(quem sibi destinavit, sive verè, sive apparenter) ergo etiam immobiliter adhæret omnibus, quæ ad finem prædictum ordinantur. Respondetur (omisso antecedente) negando consequentiam: quia finis vltimus verus est summum bonum: & consequenter intuitivè cognitus necessitat voluntatem secundùm Thomistas: (quibus nunc consentimus) media verò non sunt summum bonum: & ideo Angelus eis non adhæret immobiliter. Omisi autem antecedens quia argumentum, ipso inexaminato, potest solvi. Est tamen fa sum: quia secundũ Scotum circa nullum obiectũ necessitatur voluntas. Præsertim legatur ipse Scotus *in 4. dist. 49. q. 6 §. Hic duo, & noster Fel. 1. p. Tentativæ tract. de Beatitud. cap. 3. diff. 1.*

68 Obijciunt tertiò, sequi ex nostra sententia Angelum esse capacem pœnitentiæ. Resp. ita esse. ¶ Dices, quod Damasc. videtur oppositũ insinuare. Respond. solùm velle, quòd Dœmõ iam obstinatus in malo non sit capax, seu non habeat potentiã componendi pœnitentiam cum obstinatione. Potuit tamen in statu viatoris dimittere culpam, & agere pœnitentiam: quia pro tunc habebat non solùm voluntatem liberam, & mutabilem de malo ad bonum, sed etiam auxilia sufficientia ad pœnitendũ.

CAPVT VIII.

De potentia motiva, seu executiva Angeli.

CVm Angelus id, quod vult tàm circa se ipsum, quàm circa aliud exequi, exequatur; indubitatum esse debet, in Angelo dari potentiam executivam. A qua potentia provenit, quòd localiter se ipsum, necnon & alia moveat. Et cùm frequentiùs exequatur Angelus motum localem per potẽtiam executivã: fit, quòd prædicta potentia executiva Angeli frequenter vocetur potẽtia loco motiva; quãvis ad

ad plures motus se extendat: per potentiam enim executivã potest excitare phantasiam, seu species in illa existentes, & multa alia; vt ex dicendis in hoc capite constabit. Quare aptiùs vocaretur potentia motrix.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad potentiam executivam Angeli quantum ad eius existentiam; distinctionem ab alijs potentijs, & quantum ad ea, quæ potest producere.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an detur in Angelo potentia executiva? Respondetur affirmativè. Quia vt nuper dicebamus, Angelus movetur localiter: iuxta illud *missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatè Galilææ. Lucæ 1. num. 27.* & alibi sæpe dicitur mitti Angelos, & se localiter movere, & iussa Dei facere. Qua ratione vnus Angelus tot Ægiptiorum parvulos interfecit: vt dicitur *Exodi 11. num. 4. & cap. 12. num. 29.* Est ergo in Angelo potentia executiva, per quam executioni mandat, quæ vult.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, an potentia executiva Angeli distinguatur ab eius intellectu, & voluntate? Et quomodo? Respondetur distingui, non realiter, sed formaliter: vt latè probavimus *cap. 2. diff. 7. à numero 3.* Quamvìs enim ibi præcipuè loquuti fuerimus de potentia, quam habet Angelus ad movendum alia à se; idem omnino, & propter easdem rationes dicendum est de potentia, quam habet ad movendum se ipsum. Quare omnia ibi dicta hìc sunt applicanda.

DVBIVM III.

3 PEtes tertiò, an Angelus per potentiam executivam possit causare aliquam substantiam, aut accidens absolutum? Respondetur sub distinctionè. Non enim potest causare loquendo de vera causatione physica: benè tamen de causatione morali. Vocant causationem physicam (principalem: de qua est sermo) actionem physicè causativam, seu per quam causa physicè potens causare aliquem effectum, illum physicè producit. Moralem autem causationem vocant actionem per quam effectus recipit quis

60 Obijciunt item eumdem Augustinum *lib.11.de Civitate Dei c.13.* dicentē, eū, qui existimat, Angelos ab initio suæ creationis voluntate propria peccasse, non sentire cū Manichæo, quia Manichæ⁹ docuit, Angelos nō propria voluntate, sed etiam natura malos esse: iste autem solùm assereret, Angelos ab initio suæ creationis propria voluntate solùm esse malos, & cecidisse: sentit ergo Augustinus oppositam sententiam non esse dignam censura Manichæismi. Respondetur, ita esse: ob id tamen ab omni alia censura non esset liber, qui oppositam sententiam defenderet, præsertim post concilij Bracharensis, & Magni Leonis definitionem; vt notat Vazq. *ibi n.8.*

DVBIVM IX.

61 PEtes nonò, an in Angelo viatore admittendi sint actus indeliberati? Resp. negativè. Quia spectat ad perfectionem naturæ Angelicæ operari ex plena, & perfecta cognitione; cū qua non stant motus subreptitij, seu indeliberati: isti enim sunt actus imperfecti voluntatis quos regulat ratio imperfecta: quæ rationis imperfectio aliquā do oritur ex passione insurgente, & perturbante rationem: aliquando autem ex ignorantia, seu propriùs ex inadvertentia, per quam non omnino attenditur obiecti malitia. Hęc conclusio satis colligitur ex Scoto *in 2.dist.6.q.1.§. Ad argumenta; & eam expressè tradit Pilos. disput. 15. art.8.n.2.*

62 Sed contra conclusionē obijcies primò: in Angelo non fuit motus indeliberatus? ergo non potuit peccare venialiter. Respondetur distinguendo consequens: ex imperfectione act⁹, concedo consequentiam: ex levitate materię, nego consequentiā, Potuit quippe Angel⁹ ex plena, & perfecta cognitione iocose, vel officiosè mentiri, alium leviter decipere, & alia huiusmodi committere, in quib⁹ est peccatum veniale secundùm omnes.

63 Obijcies secundò: Angel⁹ potuit dubitare, & opinari de futuris contingentib⁹, &c. ergo circa illa elicere potest actus indeliberatos. Resp. negando cōsequētiā: quia, etsi quando dubitat Angel⁹, aut opinatur de existentia alicuius futuri, non cognoscat perfectè eius existētiā determinatè; illā tamē cognoscit perfectè, vt dubitabilem, seu vt opinabilē: & vt sic circa illā ex plena, & perfecta deliberatione, seu ex pleno, & perfecto dominio voluntatis elicit actus ipsa voluntas. Itaque futurū aliquod, de cuius existentia dubitat, aut opinatur Angelus, nō est aliter cognoscibile ab ipso sub rationib⁹, quib⁹ ipsi Angelo proponitur, quā dubitativè, aut oponativè. Et ideo ab Angelo

lo dubitāte, aut opinante perfectè cognoscitur: & consequenter actus voluntatis, qui nititur illi cognitioni, nequit esse subreptitius, aut indeliberatus.

DVBIVM X.

65 PEtes decimò: an Angelus habeat liberum arbitrium natura sua inflexibile? Respondetur negativè. Itaque Angelus naturaliter potest, postquam se determinavit circa aliquod obiectum, ab illa determinatione cessare, immo, & oppositum elicere. Quia *omne creatum arbitrium est mutabile: & ipse Angelus perpetuò mobilis est, & sententia ratione mutabilis*; inquit Damasc. 2. *de fide cap.3*. Idem fatetur Aug. *de fide ad Petrum c.3*. expressissimis verbis communiter relatis præcipuè à Scoto *in 2. dist.7. §. & versiculo. Contra conclusionem*. Et ratio est, quòd Angelus, etiam postquam se determinavit circa aliquod obiectum, manet liber ad continuandum actum, & ad cessandum ab illo; necnon, & ad eliciendum oppositum: nihil enim potest assignari, à quo necessitetur ad persistendum in illo actu. Hanc conclusionem defendunt Scotus *nuper citatus, & præter Scotistas, Gabriel, Ochamus, Marsilius, Durandus, Valentia, Molina, & alij, quos communiter citant, & quos communiter secuntur recentiores, præcipuè Suar. lib.3.cap.10. num.5. Vazq.disp.239.cap.4. & Becanus 1. p. tract.3.c.4.q.12.num.3.*

65 Oppositum defendunt D. Thom. 1. *p. quæst.64. art.2. Alensis, Henricus, Ferrara, Caietanus, Capreolus, & ferè omnes antiqui Thomistæ communiter citati*: & obijciunt primò: Angelus est immobilis in intelligendo, & iudicando: ergò & in volendo. Respondetur (omisso antecedenti) negando cōsequentiam: quia æquè liber manet postquàm se determinavit circa aliquod obiectum, ac erat antequàm se determinasset: & ideo sicut cum illa cognitione, antequam se determinasset, potuit suspendere actum, & oppositum elicere: sic etiam potest post determinationem.

66 Omisi autem antecedēs; quia ad solvendum argumentū non est necessarium illud examinare. Si autem foret examinandum, deprehenderetur, illud esse quidem verum loquendo de rebus, quas Angelus cognoscit evidenter: non autem de rebus quas per fidem, aut revelationem cognoscit: vt sunt secreta cordium, & futura contingētia. Circa ista enim Angeli cognitio non est immutabilis, seu immobilis: quia cum illa cognoscat, non evidènter, sed aut per fidem, aut per probabiles cōiecturas; contingere potest, vt Angelus iudicet, aliquid esse appetendum, quod tamen iudicaret non esse appetendum, si adver-

verteret ad omnes circumstantias. Hoc pacto dæmon appetijt mortem Christi Domini. Ideo enim misit in cor Iudæ, vt traderet illum Iudæis: vt constat *ex Ioann.* 13. Posteà tamen, re meliùs considerata, eiusdem Domini mortem voluit impedire: Propterea quippè Pilato pro tribunali sedenti eius vxor scripsit: *Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodiè per visum propter eum*: *Matth.* 27. *num.* 19. nempè quia dæmon eam ad hanc petitionem faciendam excitarat, vt sic mortem Domini impediret.

67 Obijciunt secundò: Angelus immobiliter adhæret fini vltimo: (quem sibi destinavit, sive verè, sive apparenter) ergo etiam immobiliter adhæret omnibus, quæ ad finem prædictum ordinantur. Respondetur (omisso antecedente) negando consequentiam: quia finis vltimus verus est summum bonum: & consequenter intuitivè cognitus necessitat voluntatem secundùm Thomistas: (quibus nunc consentimus) media verò non sunt summum bonum: & ideo Angelus eis non adhæret immobiliter. Omisi autem antecedens quia argumentum, ipso inexaminato, potest solvi. Est tamen fa sum: quia secundũ Scotum circa nullum obiectũ necessitatur voluntas. Præsertim legatur ipse Scotus *in* 4. *dist.* 49. *q.* 6 §. *Hic duo, & noster Fel*, 1. *p*, *Tentativæ tract. de Beatitud. cap.* 3. *diff.* 1.

68 Obijciunt tertiò, sequi ex nostra sententia Angelum esse capacem pœnitentiæ. Resp. ita esse. ¶ Dices, quod Damasc. videtur oppositũ insinuare. Respond. solùm velle, quòd Dœmõ iam obstinatus in malo non sit capax, seu non habeat potentiã componendi pœnitentiam cum obstinatione. Potuit tamen in statu viatoris dimittere culpam, & agere pœnitentiam: quia pro tunc habebat non solùm voluntatem liberam, & mutabilem de malo ad bonum, sed etiam auxilia sufficientia ad pœnitendũ.

CAPVT VIII.

De potentia motiva, seu executiva Angeli.

CVm Angelus id, quod vult tàm circa se ipsum, quàm circa aliud exequi, exequatur; indubitatum esse debet, in Angelo dari potentiam executivam. A qua potentia provenit, quòd localiter se ipsum, necnon & alia moveat. Et cùm frequentiùs exequatur Angelus motum localem per potẽtiam executivã: fit, quòd prædicta potentia executiva Angeli frequenter vocetur potẽtia loco motiva; quãvis ad

ad plures motus se extendat: per potentiam enim executivā potest excitare phantasiam, seu species in illa existentes, & multa alia; vt ex dicendis in hoc capite constabit. Quare aptiùs vocaretur potentia motrix.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad potentiam executivam Angeli quantum ad eius existentiam; distinctionem ab alijs potentijs, & quantum ad ea, quæ potest producere.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an detur in Angelo potentia executiva? Respondetur affirmativè. Quia vt nuper dicebamus, Angelus movetur localiter: iuxta illud *missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatè Galileæ. Lucæ 1. num. 27.* & alibi sæpe dicitur mitti Angelos, & se localiter movere, & iussa Dei facere. Qua ratione vnus Angelus tot Ægiptiorum parvulos interfecit: vt dicitur *Exod: 11. num. 4. & cap. 12. num. 29.* Est ergo in Angelo potentia executiva, per quam executioni mandat, quæ vult.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, an potentia executiva Angeli distinguatur ab eius intellectu, & voluntate? Et quomodo? Respondetur distingui, non realiter, sed formaliter: vt latè probavimus *cap. 2. diff. 7. à numero 3.* Quamvîs enim ibi præcipuè loquuti fuerimus de potentia, quam habet Angelus ad movendum alia à se; idem omnino, & propter easdem rationes dicendum est de potentia, quam habet ad movendum se ipsum. Quare omnia ibi dicta hîc sunt applicanda.

DVBIVM III.

3 PEtes tertiò, an Angelus per potentiam executivam possit causare aliquam substantiam; aut accidens absolutum? Respondetur sub distinctionè. Non enim potest causare loquendo de vera causatione physica: benè tamen de causatione morali. Vocant causationem physicam (principalem: de qua est sermo) actionem physicè causativam, seu per quam causa physicè potens causare aliquem effectum, illum physicè producit. Moralem autem causationem vocant actionem per quam effectus recipit

qui-

quidem esse, non tamen ab illa causa, sed ab alia, quam illa applicat, movet, vel allicit ad ponendum talem effectum. Hac ratione, qui applicat ignem ad cremandum, dicitur cremare; qui imperat, vel consulit occisionē, dicitur occidere, &c.

4 Quo supposito, probo, quòd Angelus non potest physicè causare substantiam materialem: non enim adhoc habet virtutem, seu talem substantiam non continet virtualiter: ergo illam causare non potest. Antecedens probatur: in rebus finitis, & limitatis virtus agendi commensuratur naturæ rei. Sed virtus causandi substantiam materialem non commensuratur, cum natura Angeli: ergo non habet virtutem ad producendū substantiam materialem. Maior constat inductione: ideo enim in substantia materiali, non ponimus virtutem ad causandum aliquid spirituale, quia talis virtus non cōmensuratur cum illa natura: in igne non admittimus virtutem ad frigefaciendum; quia illa virtus non commensuratur cum natura ignis, &c. Probatur minor: Angelus est purè spiritualis: ergo virtus producēdi substantiam materialem nullo modo commensuratur cum illius natura.

5 Si autem petas, in quo consistat prædicta commensuratio? Respondetur, consistere in hoc, quòd causa & effectus assimilentur in aliquo gradu saltem generico. Propter quod Angelus producit intellectiones, & volitiones: quæ etsi sint dissimilia, seu non commensurentur naturæ Angeli, quatenus illa est substantia; illæ verò accidentia; sunt tamen similia in spiritualitate. Itaque quando aliqua duo in nullo gradu adhuc generico cōveniunt, vnum illorum nequit poni causa, aut effectus alterius. ¶ Dices, omnia creata convenire in gradu entis creati: ergo propter hanc convenientiam dicere possumus, vnum ens creatum esse causam, aut effectum alteriùs. Respondetur negando consequentiam: communissima enim illa ratio entis non potest cogere, vt aliquam specialem rationem causæ, aut effectus alicui attribuamus. Alioqui quodlibet posset poni causa cuiuslibet, & consequenter musca posset poni causa Angeli.

6 Ex dictis constat etiam ratio, quare Angelus non possit producere quantitatem molis, aut aliquod aliud accidens absolutum: cùm enim eius natura non commensuretur cum accidenti corporeo, non potest ei attribui virtus ad causandum tale accidens.

7 Quòd autem Angelus habeat virtutem ad causandum moraliter substantiam materialem, necnon, & materialia acciden-

dentia, probo ex eo, quòd habet virtutem ad movendum localiter elementa, & alia corpora: ex quorum motibus applicando activa passivis resultant sæpè generationes substantiales: vt docet Scotus *in 2. distinct.* 18. §. *Dico igitur à vers. Qualiter ergo.*

8 Dices: Angelus habet virtutem directè producendi, & de facto causat motum localem: ergo similiter poterit physicè causare substantias materiales. Patet consequentia: quia, cùm motus localis, quo Angelus movet corpus aliquod, sit corporalis, nequit commensurari cum essentia Angeli: propter hanc enim solum improportionem, seu incommensurationem dicimus non posse Angelum causare substantiam materialem: vt constat ex dictis *à num.* 4. & tamen ad causandum motum localem non obstat illa non commensuratio: ergo neque ad causandum substantiam materialē. Respondetur negando consequentiam: ad probationem dico, in Angelo ponendam esse potentiam, seu virtutem movēdi localiter se, & alia; (sive virtus movendi alia sit distincta à virtute movendi se; sive eadem formaliter cum diversis respicientijs ad diversos terminos) non autem est in illo admittenda virtus causandi substantiam materialem, aut aliquod accidens corporeum: quia virtus movendi alia non est determinatè corporea; cum per ipsam possit movere non solùm corpora quanta; sed etiam alium Angelum, & animam separatā. Virtus verò producendi substātiam materialem, aut materiale accidens est determinatè corporea: & ideo non potest commensurari cum essentia Angeli, qui est purè spiritus.

9 Dices secundò: agens materiale inferius Angelo causat substantiam materialem: ergo etiam Angelus potest illam causare. Patet consequentia: quia quod est perfectio simpliciter in inferiori agente, cōcedendū est superiori. Respondetur negando consequentiam: ad probationem dico, verum esse quòd est concedendum superiori, quod est perfectio simpliciter in inferiori; nego tamen, quòd in agente materiali producere substantiam educendo formam de potentia materiæ, sit perfectio simpliciter: aliàs in quacumque forma substantiali materiali reperiretur posse causare substantiam materialem: quod tamen nō est ita: lapis enim, aurum &c. Sunt substantiæ materiales perfectiores, quàm elementa; & tamen formæ elementorum sunt productivæ substantiarum materialium, non autem formæ lapidis, auri, argenti, &c. vt expendit Scotus *in 1. dist. 7. §. Ad argumenta vers. Similiter.*

DV-

DUBIUM IIII.

10 PEtes quartò, an Angelus per potentiam executivam possit localiter movere se, & alia? Respondetur affirmativè. Quia constat ex Scriptura, Angelos se, & alia localiter movere: ergo per potentiam executivam: non enim apparet, per quam aliam. Antecedens autem constat ex *Genes.* 19. *num.* 1. vbi dicitur, *venerunt duo Angeli Sodoma n vesperè*: & alibi sæpè: vnde constat se movere localiter Angelos. Quòd autem moveāt alia corpora constat *ex Dan.* 14. *num.* 35. *& apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portavit eum capillo capitis sui*; & alibi sæpe.

DIFFICULTAS II.

De loco Angelorum.

EX nuper dictis constat, Angelos tàm se, quàm alia posse, & de facto movere. Quia tamen omnia, quæ de motu Angelorum examinantur, supponunt Angelum esse in loco: hoc suppositum priùs discutimus; necnon & modum, quo Angelus dicitur esse in loco, declarabimus.

DUBIUM I.

1 PEtes primò, an Angelus sit in loco propriè, & non abusivè? Respondetur affirmativè. Quia per suam substantiam est præsens alicubi: ergo propriè est in loco. Antecedens constat ex D. Gregor. *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *& homil.* 34. *in Evangelia* dicente, *Angelos esse loco circumscriptos, & ad nos frequenter mitti.* Similia docent *Athanas. Nazianzenus, & Damascenus citati communiter præcipuè à Vazquez disput.* 187. *cap.* 2. *num.* 2. Et apertè colligitur ex illis locis, in quibus dicitur, Angelos localiter moveri: quia non possent localiter moveri, si non essent propriè in loco.

2 Sed Angelum esse in loco, non propriè, sed abusivè, dixerunt aliqui apud præcitatum Vazquez: cuius sententiæ fuisse aliquos suo tempore refert *Mirandulanus Apologia* 1. *de Descensu animæ Christi ad inferos*: & *Durandus in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 1. *num.* 22. refert opinionem asserentium, Angelum esse tantùm in loco eo modo, quo causa dicitur esse in effectu. Quam sententiam secutum esse *Hervæum in tractatu de motu Angeli quæst.* 1. *art.* 1. testatur præcitatus Vazquez: vbi addit, nonnullos Thomistas affirmare Angelos non esse in cœlo Empyreo, vt in loco secundùm propin-

pinquitatem substantiæ suæ,

3 Igitur omnes hi modi philosophandi conspirant in hoc, quòd Angeli non sunt in loco propriè, sed abusivè. Pro quibus obijcies nobis aliquos Patres dicentes, Angelum non esse in loco. Sufficiant verba ista Boetij communiter allata: *communis animi conceptio est incorporalia non esse in loco*. Respondetur, loqui de loco circumscriptivo: quomodo dicitur esse in loco res, quæ est tota in toto loco, & pars rei in parte loci: quo modo Angelus nequit esse in loco, cùm Angelus non habeat partes. Est tamen in loco definitivè: cùm verè, & realiter sit secundùm suam substantiam in hoc determinato loco; in quo est totus in toto, & totus in qualibet eius parte.

4 Contra, quòd D. Greg. *n. 1. citatus, Damasc. Athanasius, & Theodoretus apud Vazq. ibi num. 5.* dicunt, Angelum esse in loco circumscriptivè. Respondetur, solùm velle esse in loco determinato; non autem pluribus in locis, seu vbique: sicut est Deus, qui per attributum immensitatis est in omnibus rebus, & in toto vniverso, non autē in aliquo determinato loco tantùm; sicut est Angelus, & quæcumque alia creatura spiritualis, aut corporalis: nulla enim est, quæ verè, & realiter per suam substantiam non sit realiter præsens alicui superficiei, & quasi nitēs in illa tātùm.

DVBIVM II.

5 PEtes secundò, an Angelus sit in loco per aliquod vbi intrinsecum? Respondetur affirmativè. Itaque Angelus dicitur esse in loco, non per denominationem extrinsecam; qualiter paries dicitur visus; columna dextera, &c. sed per formā realem sibi inhærētem: sicut paries dicitur albus per albedinem sibi inhærentem. Et ratio est, quòd impossibile est, dari verum motum sine vero termino, & realē motum sine reali termino. Sed quando Angelus movetur immotis corporibus, est verus, & realis motus localis: ergo debet dari verus, & realis terminus huius motus: ergo verū, & reale *vbi*: quia solùm *vbi* est terminus localis. Hanc conclusionem tuetur Scotus *in 2. dist. 2. q. 6. §. Ad quæstionem, & §. Ad propositum*, vt communiter citant, etiā Scotistæ: quamvis (vt verum fatear) non multū expressè hoc ibi asserat. Idē iudiciū fero de D. Th. cōmuniter citato *1. p. q. 52. art. 1.* ibi tamē solū quærit, & resolvit, Angelū verè esse in loco. Communissima verò sententia defendit nostram conclusionem.

6 Vazq. autē *disp. 188. c. 7. à n. 27.* & alibi affirmat, Angelos (idē est de anima separata) non esse in loco per aliquod *vbi* intrinsecè existens in eis, & per se terminans motum localem; sed per

per extrinsecam denominatio-nem desumptam ab *vbi*, quod est in corporibus, quibus pro suo libito vnitur substantia Angeli. Itaque vnio cum corpore est cōditio prævia ad hoc, vt ab *vbi* istius corporis potiùs quàm alterius dicatur substantia Angeli esse in loco. Quam sententiam secuti sunt pauci aliqui recentiores. Et obijcitur cōtra nostram: *vbi* verum, & reale est præsentia ad locum, quam per se secuntur longinquitas, vel propinquitas: sed longinquitas, & propinquitas solùm reperiuntur in extremis quantitativis quātitate molis: ergo solùm in extremis quātitativis reperitur verum, & reale *vbi*: & consequenter non est in Angelo; (aut anima separata) sed in eo solùm potest esse denominatio extrinseca desumpta ab *vbi*, quod verè, & realiter est in corpore, cui vnitur, per quam denominationem Angelus dicitur esse vbiquatus, seu esse in loco: sicut columna dicitur dextera à dexteritate, quæ vere, & realiter existit in animali, & sicut paries dicitur visus à visione existente in oculo, & ad ipsum parietem terminata. Respondetur negando minorem: si enim Deus poneret duos Angelos separatos in vacuo, seu in spatio imaginario, vnus distaret ab alio: si autem inibi illos poneret coniūnctos, essent indistantes.

7 Obijcitur secundò: Angelus est in loco: sed locus habet situm, & figuram: ergo & Angelus habet situm, & figuram. Respondetur distinguendo minorem: solùm enim est vera de loco circumscriptivo, seu continente locatum quantum: non autem de loco definitivo: iste enim abstrahit à situ, & figura; sicut abstrahit locatum in ipso existens. Et ratio est, quòd locus non habet aliquam figuram intrinsecam, sed talem habet, qualem habet locatum in ipso existens. Et ideo si corpus est rotundum, locus habet formam rotundam; si est piramidale, locus habet formam piramidalē, &c. Vnde planè infertur, quòd si locatum nullam formam, aut figuram habeat, nulla erit in loco. Et tunc locus non est ei cūscriptivus, sed definitivus; hoc est, cùm locatum non habeat partes quantitativas, locus non ambit locatum, seu non circūscribit illud per partes: determinatè tamen illud continet taliter vt sit præsens huic loco, & non alibi: (attenta eius naturali exigentia, vel nisi Deus potentia absoluta vtatur) Hinc negatur consequentia illa: *ergo Angelus habet situm, vel figuram*: sicut omnes negant istam: anima est in corpore: corpus habet situm, & figuram: ergo anima rationalis habet situm, & figuram.

8 Obijciunt tertiò: Angelus est in loco per verum *vbi*:

er-

Ergo potest simul moveri, & quiscere; in casu v.g. quòd corpus, cui Angelus est vnitus, partim moveretur, & partim non moveretur. Respondetur, nullũ esse inconveniens, quòd moveatur, & non moveatur secundũ diversas partes corporis, cui vnitur; sicut non est inconveniẽs, vt corpus ipsum, cui vnitur secundùm diversas sui partes moveatur, & non moveatur.

9 Nota, argumentum istud procedere in casu, quòd Angelus se vnivit prędicto corpori eo decreto seu pacto, quòd semper, vel pro tanto tempore erit in loco, in quo fuerit illud corpus. Item procedit in casu, quo se vnivit illi corpori secundùm omnes illius partes. Nam, si se vnivit tantùm parti quæ movetur, vel parti, quæ non movetur, tunc non simul moveretur, & non moveretur. Insuper si nõ decrevit esse semper in loco, vbi fuerit illud corpus, vel non decrevit esse semper vnitus illi corpori poterit Angelus se movere, immoto illo corpore; necnõ & poterit, illo corpore moto immobilis permanere. Et ratio est, quòd ille motus, quo movetur Angelus ad motum corporis, cui vnitus fuit, fit ab ipsomet Angelo ita physicè independenter à motu corporis, vt adhuc per accidens non proveniat ab illo, qui movet corpus, cui Angelus est vnitus; sed sicut Angelus per suam voluntatem se alligavit prædicto corpori, per suã voluntatem se movet ad motũ illius. Angelus enim, cũ sit merè spiritus, est extra sphæram agẽtis corporei, & ideo motor corporeus, adhuc per accidens, nõ movet Angelum: vt docet Scot. *in 4. dist. 10. q. 6. § Ad intellectum à versic. Etsi quæras.*

10 Addo, quòd etiam si Angelus esset intrà sphæram motoris, movens corpus, cui Angelus est vnitus, adhuc per accidens, non moveret Angelum, eoquòd vnio illa est partim moralis, videlicet pendens in fieri, & in cõservari ab Angeli voluntate. Huius aliqualiter habemus exẽplũ in illo, qui decrevit esse comes alterius in via seu simul cũ alio deambulare: iste enim ad motũ alteri⁹ movetur, & ad quietẽ alterius quiescit; motus tamen, & quies illius ab alio physicè nullo modo provenit; sed ab ipsomet, qui alium comitare decrevit.

11 Obijcitur quartò: verè diceretur Angelus esse in loco, si Deus destrueret illud *vbi* superadditũ: ergo quia tale *vbi* non datur. Resp. negando antecedens: quia solùm maneret in loco fundamentaliter. Sicut Pater solùm fundamẽtaliter diceretur pater, si Deus eius formalem relationem destrueret.

12 Obijcitur quintò: vt aliquod sit in tempore, non requiritur aliquid superadditũ: ergo

neque ad hoc, vt sit in loco. Respondetur negando antecedens: eget enim relatione extrinsecùs adveniente de prædicamẽto *quando*: sicut adhoc, vt sit in loco eget relatione extrinsecùs adveniente, quæ dicitur præsentia, & est de prædicamento *vbi*.

DVBIVM III.

13 PEtes tertiò, quodnam sit fundamentum præsentiæ, seu *vbi*, per quod Angelus est præsens loco? Respondetur, esse ipsammet substantiam Angeli. Itaque de Angelo (& anima rationali separata) non est philosophandum; sicut de substantijs corporeis affectis quantitate molis: istarum enim *vbi* circumscriptivũ fundatur in quantitate, seu convenit eis ratione quantitatis: *vbi* autem Angeli, (& animæ separatæ) fundatur in sola substantia Angeli, non autem in aliquo ei superaddito. Et ratio est, quod rebus, seu substantijs materialibus quantitas, non est ratio essendi in loco absolutè, sed solùm circumscriptivè: ergo, si separemus modum essendi in loco circumscriptivè, per suam substantiam erunt in loco, seu suamet substantia erit fundamentum *vbi*, seu præsentiæ localis ergo Angelus, qui caret quantitate molis, per suã substãtiã immediatè erit in loco definitivè, seu in sua substantia immediatè fundabitur relatio præsentiæ, seu *vbi*. Antecedens probatur ab inconveniente: ex opposito enim sequeretur, quòd, si Deus à substantijs materialibus separaret quantitatem, illæ non manerent in loco: quod est falsum: Angelus quippè videret aquam existentem in vase, etiã si ab illa separaretur quantitas. Hanc nostram conclusionem defendunt Scotus *in 2. distinct. 2. quæst. 6. §. Ad quæstionem, & §. Ad propositum, & præter Scotistas D. Bonavent. Hugo de Sancto Victore,* Ricardus, *Henricus, Pesantius, Daniel, Malonius,* Gabriel, *Gregorius, Marsilius, Valencia, Torres,* Molina, *Granados, & Arrubal*, quorum aliquot citat, & sequitur Suarez *lib. 4. cap. 7. num. 1.* aliquot citat Vazquez *disput. 188. capit. 6. num. 23.*

14 D. Thom. 1. *p. q.* 52. *art.* 1. *& alibi, Alensis,* Gotfredus, *Argentinas, & alij* affirmant, *vbi* Angelicum fundari in aliquo superaddito substantiæ Angeli. Sed discriminantur. Alensis enim affirmat, hoc superadditũ esse qualitatem à Deo communicatã. Alij verò dicunt, esse Angeli operationem transeuntem. Aliqui demum existimãt, esse applicationem suæ virtutis. Sed, quid quid sit de discrimine horum authorum, omnes hi conspirant contra nostram conclusionẽ in hoc, quod Angeli substantia nuda, seu nullo superaddito, nõ potest esse fun-

fundamentũ *vbi*, seu præsentiæ, per quã dicitur esse præsens loco

15 Et obijciunt, quòd in nostra sententia præsentia Angeli, seu eius *vbi* est relatio: sed, manente eodem fundamento, & termino, non potest variari relatio: ergo numquam potest variari *vbi*, seu præsentia Angeli: & consequenter Raphael v.g. semper erit in eodem loco. Probatur consequentia: quia substantia Angeli manet semper eadẽ; necnon, & idem manet hic loc⁹ Madritum v.g. ergo Angelus, qui semel fuit Madriti, semper, & necessariò erit inibi. Cùm autem hoc sit omnino falsum, dicendũ est, substantiæ Angeli aliquid addendum esse, quod sit fundamẽtum prædictæ relationis præsentiæ, seu *vbi*, seu in quo relatio *vbi*, seu præsentiæ Angeli ad locum fundetur Resp. distinguendo maiorem: *vbi* enim est quidem relatio; non tamen intrinsecùs, sed extrinsecùs adveniens. Distinguenda etiam est minor: solùm enim est vera de relatione intrinsecùs adveniente. Cũ autem *vbi*, seu præsentia sit relatio extrinsecùs adveniens, ad quam datur per se motus, nõ requiritur, quòd per se mutetur fundamentum, (hoc est, substãtia Angeli) aut terminus; (nẽpe, locus) sed sufficit, quòd ponatur motus acquisitivus illius *vbi*, seu præsentiæ Vnde negatur consequentia: quamvis enim maneãt invariata, & substantia Angeli, & locus illius in quo modò existit, (Madritũ v.g.) variatur tamen eius præsentia, seu *vbi*, quòties ponitur novus motus localis ab ipso Angelo: quia per talẽ motum acquiritur novum *vbi*, seu præsentia ad novum locum.

16 Doctrina huius solutionis supponit divisionem relationis in relationem intrinsecùs advenientem; & in relationem extrinsecùs advenientem; quam tradit Scotus *in 4. dist. 13. q. 1. § Ad huius autem à vers. si ergo, & alibi sæpe*, quẽ vnanimiter sequimur Scotistæ. Vocamus relationem intrinsec⁹ advenientem illam, quæ, positis extremis, statim necessariò resultãt sine aliqua nova actione. Vt patet in patre, simili, &c. posita quippè à patre actione generatiua, per quam entitas filij ponitur in rerũ natura; datur in entitate absoluta patris resultantia relationis paternitatis; & in entitate absoluta filij resultantia relationis filiationis. Idem contingit in simili, &c. Vocamus autẽ relationem extrinsecùs advenientẽ illam, quæ, positis extremis, quæ per ipsam immediatè, & formaliter referũtur, non statim resultat, sed expectãda est nova actio productiva talis relationis; (vt cõmuniter dicunt Scotistæ) vel saltẽ, qua posita, in vtroq; extremo resultent relationes. Quonã enim horũ modorũ sit à Scotistis philosophandũ, nõ est mihi

fundamentũ *vbi*, seu præsentiæ, per quã dicitur esse præsens loco

15 Et obijciunt, quòd in nostra sententia præsentia Angeli, seu eius *vbi* est relatio: sed, manente eodem fundamento, & termino, non potest variari relatio: ergo numquam potest variari *vbi*, seu præsentia Angeli: & consequenter Raphael v.g. semper erit in eodem loco. Probatur consequentia: quia substantia Angeli manet semper eadẽ; necnon, & idem manet hic loc⁹ Madritum v.g. ergo Angelus, qui semel fuit Madriti, semper, & necessariò erit inibi. Cùm autem hoc sit omnino falsum, dicendũ est, substantiæ Angeli aliquid addendum esse, quod sit fundamẽtum prædictæ relationis præsentiæ, seu *vbi*, seu in quo relatio *vbi*, seu præsentiæ Angeli ad locum fundetur Resp. distinguendo maiorem: *vbi* enim est quidem relatio; non tamen intrinsecùs, sed extrinsecùs adveniens. Distinguenda etiam est minor: solùm enim est vera de relatione intrinsecùs adveniente. Cũ autem *vbi*, seu præsentia sit relatio extrinsecùs adveniens, ad quam datur per se motus, nõ requiritur, quòd per se mutetur fundamentum, (hoc est, substãtia Angeli) aut terminus; (nẽpe, locus) sed sufficit, quòd ponatur motus acquisitivus illius *vbi*, seu præsentiæ Vnde negatur consequentia: quamvis enim maneãt invariata, & substantia Angeli, & locus illius in quo modò existit, (Madritũ v.g.) variatur tamen eius præsentia, seu *vbi*, quòties ponitur novus motus localis ab ipso Angelo: quia per talẽ motum acquiritur novum *vbi*, seu præsentia ad novum locum.

16 Doctrina huius solutionis supponit divisionem relationis in relationem intrinsecùs advenientem; & in relationem extrinsecùs advenientem; quam tradit Scotus *in 4. dist. 13. q. 1. § Ad huius autem à vers. si ergo, & alibi sæpe*, quẽ vnanimiter sequimur Scotistæ. Vocamus relationem intrinsec⁹ advenientem illam, quæ, positis extremis, statim necessariò resultat sine aliqua nova actione. Vt patet in patre, simili, &c. posita quippè à patre actione generativa, per quam entitas filij ponitur in rerũ natura; datur in entitate absoluta patris resultantia relationis paternitatis, & in entitate absoluta filij resultantia relationis filiationis. Idem contingit in simili, &c. Vocamus autẽ relationem extrinsecùs advenientẽ illam, quæ, positis extremis, quæ per ipsam immediatè, & formaliter referũtur, non statim resultat, sed expectãda est nova actio productiva talis relationis; (vt cõmuniter dicunt Scotistæ) vel saltẽ, qua posita, in vtroq; extremo resultent relationes. Quonã enim horũ modorũ sit à Scotistis philosophandũ, nõ est mihi

omnino certum. De quo (Deo dante) fusè agam in tractatu de Incarnatione loquēdo de vnione hypostatica. Interim statuo, solùm esse apud Scotum certū, relationes extrinsecùs advenientes non resultare statim ex positione extremorum, sed egere alia nova actione, vt ponantur in rerum natura: in quo differūt à relatione intrinsecùs adveniēte; cuius resultantia non requirit aliam actionem ab illa, vel illis, quibus extrema ponuntur in rerum natura. Solvere autem, quæ contra divisionem relationis in relationem intrinsecùs, & extrinsecùs advenientem obijci solent, spectat ad Philosophiam. Præ cæteris videatur noster Merinero *in Logica Categoriarum ca.9. & 10.quæst.1.*

17 Ex dictis refutatæ manent omnes sententiæ, quæ affirmant, aliquid addendum esse substantiæ Angeli, vt verè dicatur esse fundamentum *vbi*, seu præsentiæ localis, seu vt verè dicatur esse in loco. Breviter tamen examinemus singulas sententias, quæ de hoc circumferūtur, vt, si aliquid speciale nobis obijciāt solvamus. Igitur dixerunt aliqui, operationem transeuntem Angeli esse fundamentalē rationem essendi in loco. Quæ sentētia dupliciter potest intelligi. Primò ita vt substantia Angeli nullo modo sit in loco, in quo operatur, seu non sit necessariū, vt Angelus dicatur esse in aliquo loco, quod sit substantialiter præsens ibi. Ita *Hervæus, & nonnulli alij*, teste Suarez *lib.4.capit.4. numero 3.* Quem modum, philosophandi erroneum iudicat ipse propter diversas Scripturæ, & Patrum auctoritates, in quibus dicitur, Angelos verè, & realiter esse in corporibus, in quæ ingredi, & in quib⁹ habitare, & ex quibus egredi dicuntur. Verba enim Scripturæ, & Patrum verè, & propriè sunt intelligenda, si nullum appareat inconveniens: & consequenter, quando Scriptura dicit, Angelos alicubi adesse, de vera, & reali præsentia intelligenda venit. Et ratione refutatur prædictus modus philosophandi: si enim fingamus, Angelum substantialiter esse Matriti, & ibi nihil transeunter, immo neque immanenter operari, sed dormire, aut mortuum esse: tamen vere, & propriè diceretur esse Matriti: sicut corpus Christi Domini mortuum verè, & realiter fuit in sepulchro. Et sicut si fingamus, Deum dormire, aut mortuum esse, non ideo desineret esse immensus: ergo operatio non est ratio essendi in loco, seu non est fundamentum *vbi* Angeli, seu præsentiæ localis illius.

18 Secundus sensus prædictæ sententiæ est aliorum, qui affirmant, Angelum dici esse in loco per actionē transeuntē, nō quia

actio

actio sufficiat sine reali præsentia substantiæ Angeli, vt alicubi esse dicatur; neque etiam quia Angelus non possit habere realem præsentiam, vbi operatur: sed quia vel realis præsentia Angeli esse non potest sine actuali eius operatione: vel quia, si esse potest, non sufficit illa præsentia ad constituendum Angelum in loco sine actuali operatione. Sententiam tamen istam sic intellectam refutat Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 6. § Alij autem* multa contra illam obijciendo, & præcipuè *à vers. Præterea* eam refutat ex eo quòd Angeli in cęlo Empyrio assistunt, & tamen frequẽter ibi nihil transeunter operantur. Secundo, quia quando Angelus descendit è cœlo ad terram, nihil transeunter operatur in medio; & tamen cuicumque parti totius medij, quando per illam transit, dicitur esse præsens. Tertiò refutatur ratione numero præcedenti facta. Quartò refutatur ex eo, quod sententia, quæ affirmat, Angelum per operationem esse in loco damnata fuit ab Episcopo Parisiensi, & Doctoribus illius vniversitatis: vt testatur Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 6. § & versiculo* Contra hoc & alij. Et quamvis de hac damnatione parum curet Vazquez *disp. 228. cap. 2. num. 4.* tamen nõ parum auctoritatis accrescit nostræ sententiæ, ex eo quòd opposita solemniter est damnata ab illa tam insigni Parisiensium Schola.

19 Sed pro hac sententia cõtra nostram obijcies Damasc. 1. *de fide cap. 27.* dicentem, quòd Angelus *in loco esse dicitur; quia intellectuali modo adest, atque vt ipsius naturæ consentaneum est, operatur: nec alibi est, verum intellectualem in modum illic circumscribitur, vbi operatur.* Respondetur ex Scoto ibi *à versiculo Præterea Damascenus,* quòd Damascenus in hac, & alijs eius auctoritatibus, quæ cõtra nos solent adduci, semper adiungit operari ad esse in loco: & consequenter sentit, quòd non sunt idem: si enim operari, & esse in loco idem omnino essent, sanè posito vno superfluè poneretur aliud. Adde cum Vazq. *disput. 288. cap. 2. num. 12.* ipsum Damasc. *cap. illo* 17. planè fateri, ideo Angelos in loco operari; quia in loco sunt. Sic enim loquitur: *Nam Angelus ob naturæ pernicitatem, & quia promptè, ac celeriter transit, in diversis locis operatur.*

20 Refutatur etiam sententia Alensis 2. *p. quæst. 32. membro. 1.* asserentis rationem, & fundamentum *vbi*, seu præsentiæ, qua Angelus est in loco, esse qualitatem, vel proprietatem quamdam ei divinitus cõmunicatam. Hæc (inquam) sententia refutatur; quia sine fundamento ponit talem qualitatem: cùm adhoc, vt Angelus

sit in loco fundamentaliter sufficiat eius substantia.

21 Refutatur etiam sententia, quæ affirmat, Angelum esse in loco, non per operationem formalem, sed per applicationem suæ virtutis ad locum. Pro qua sententia refertur *Henric. quodlib. 8. quæst. 13. D. Thom. 1. p. quæst. 52. art. 1. Capreolus, Caietan. &c.* Refutatur tamen à Scoto *ibi* §. *Alij autem* ex eo quòd, si per applicationem istam intelligant, ipsam substantiã Angeli esse fundamentũ præsentiæ, coincidunt in nostram sententiam. Si autem intelligant, operationem esse prædictum fundamentum, coincidũt cum sententia à *numero* 17. refutata. Si demum intelligant propinquitatem ad locum; cùm ista solùm sit conditio ad *vbi*, seu præsentiam, immeritò illam vocant fundamentum *vbi*, seu præsentiæ localis.

22 Demum refutatus manet Vazquez *disp. 128. cap. 7. à numero* 27. affirmans, fundamentum *vbi*, seu præsentiæ Angeli ad locum esse quemdam modum absolutum additum substantiæ Angeli ex voluntate illius omnino dependentem, tanquam ex principio efficiente. Refutatur tamen ex eo, quòd sine necessitate recurritur ad illum modum; cùm nuda substantia Angeli sit sufficiens fundamentum *vbi*, seu præsentiæ Angeli ad locum. Sicut Deus per suam substantiã sine aliquo modo superaddito est præsens vbique. Et sicut qualitates sensibilium (albedo v g.) dicuntur esse præsentes alicui loco sine aliquo modo sibi superaddito. Præterea admisso, aliquo modo, super quem immediatè fundetur *vbi* Angelicum; non apparet, quomodo prædictus modus sit omnino dependens à voluntate Angeli. Quamvìs enim verum sit, liberum esse, & omnino dependens ab Angeli voluntate esse in hoc loco potiùs, quàm in illo, & se vnire huic corpori potiùs quàm illi: si tamen est præsens huic loco, vel corpori, prædictus modus, (quem gratìs admittimus) est independens ab eius voluntate, dum vult conservare illam præsentiã. Sicut liberũ est mihi esse hìc, vel alibi, dum tamen volo esse in hoc loco, necessariò circumscribor ab illo.

DVBIVM IIII.

23 PEtes quartò, an Angelus possit esse in loco indeterminatò? Respondetur negativè. Itaque nequit naturaliter esse vbique seu in omni loco. Quia hoc est proprium Dei. Ita Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 6. §. vers. De isto, & communissima sententia* cõtra Durandum *in 1. dist. 37. p. 2. quæst. 1. num. 26.* dicentem, Angelũ naturaliter esse vbique. Et obijcit,

Ange-

Angel⁹ potest naturaliter quodlibet corpus movere, seu circa quodlibet operari: ergo localiter est præsens cuilibet loco. Probatur consequentia quia omne agens finitum debet præsupponi præsens passo, circa quod operatur. Respond. negando antecedens: Angelus enim habet limitatam virtutem: & ideo nequit simul omnia corpora movere: imo quāvis successivè possit movere quodlibet corpus; corpus tamen motū debet supponi intra sphæram virtutis Angelicæ: forte enim potest creari corpus adeo magnum, vt ab illo non possit moveri. Resp. secundò (omisso antecedenti) negando cōsequentiam: quia sufficit, quòd sit præsens passo, circa quod operatur, non per suam substantiam, sed per suā virtutē. Qua ratione sol, & alia astra sūt præsentia his inferioribus, in quę tot effectus operantur. Et qua etiam ratione Angelus est in toto cœlo à se moto; non tamen est præsens per suam substantiam in toto illo cœlo: vt docet Scotus ibi §. *Alij autem vers. Prætereà tertiò.*

DVBIVM. V.

24 PEtes quintò, an Angelus naturali sua virtute exigat determinatū locū? Resp. negativè. Quia ex opposito sequeretur, Angelum in aliquo loco esse violenter. Secundò sequeretur, aliquod corpus habere naturalem aptitudinē ad conservandum Angelū in loco; & aliquod corpus habere aptitudinem ad illum corrumpendū. Ita Scotus *in 2. dist. 2. q. 6. §. Ad propositum versic. De sexto, & communis sententia.* Vnde infert Scotus *vers. Ex isto quòd illa potentia passiva, quæ est in Angelo ad esse in loco, non est naturalis, nec violenta, sed neutra.* Quia Angelus ex se naturaliter non inclinatur ad istum, vel illum locum; *sed neutro modo se habet ad ista. Sicut superficies ad albedinem, & nigredinem indifferenter se habet.*

DVBIVM VI.

26 PEtes sextò, an Angelus naturaliter exigat aliquā certā, & determinatam extensionē, seu magnitudinē loci? Respōdetur affirmativè. Quia, si aliquid obstaret, maximè quòd Angelus entitativè est indivisibilis: vnde posset inferri, quòd pro loco adæquato exigat punctum seu indivisibile loci. Sed Angeli indivisibilitas nō obstat: ergo exigit aliquam determinatam magnitudinē loci. Probatur minor duplici instantia Nam De⁹ est supra Angelum, & maximè indivisibilis in entitate; & tamē est per suam entitatem intimè præsens toti mundo, exigitque naturaliter se entitativè extendere ad vniversas illiùs partes.

tes: Anima etiam rationalis, quæ inferior eſt Angelo, & indiviſibilis entitativè, non determinatur ad indiviſibile punctū, ſed per totum corpus, quod informat, diffuſa eſt tota in toto, & tota in ſingulis corporis partibus exiſtens: ergo hæc perfectio Dei, quæ aliqua ex parte communicatur animæ cum imperfectione informandi corpus, altiori modo potuit, & debito congruentiæ debuit communicari Angelo quoàd duo, nempè quoàd capacitatem huius præſentiæ in loco extenſo abſque informatione; & quoàd magnitudinem corporis, ſeu loci in quo eſſe poteſt. Ita Suar. *lib.4.cap.12.à num.2. eſtque communiſsima ſententia.*

26 Sed dices, ſequi ex hoc, poſſe dari Angelum, qui pro loco ſibi adæquato exigat totum mundum: & conſequenter qui ſit immenſus, ſicut Deus. Probatur ſequela: ad menſurā enim ſuæ naturalis perfectionis mēſurandus eſt locus illius: ergo adeò poteſt creſcere eius perfectio, vt pro loco exigat totum mundū. Reſpondetur, nobis non conſtare, qua proportione aſsignandus ſit maior locus maiori perfectioni naturali Angeli; licèt vt certū ſtatuamus, maiori perfectioni maiorem locum eſſe aſsignādū. Quare gratìs admiſſo, quòd totus mundus poſsit eſſe adæquatus locus alicuius Angeli creati, vel creabilis; negamus illum eſſe immenſum; ſicut Deus. Deus enim eſt ita immenſus, vt eius entitas ſe poſſet extendere, & diffundere ad infinitos mundos (ſi darentur) ille autem Angelus eſſet definitus ad certam, & determinatam quantitatem, etiam ſi illa eſſet magna, vel maxima.

DVBIVM VII.

27 PEtes ſeptimò, an Angelus poſsit exiſtere in minori loco, aut in quacumque parte loci, quem naturaliter exigit? Reſpondetur affirmativè. Quia nihil cogit Angelum, vt ſe extēdat ad omnes partes ſui loci adæquati. Et ideo ſicut Angelo eſt liberum exiſtere in hoc, vel illo loco determinato, erit ei liberū, vel ſe extendere ad omnes partes ſui loci adæquati, vel ad hāc, aut illas. *Ita D. Thom. Dionyſius, Ciſtercienſis, Richardus, Gregor. Gabriel, Ochamus, & Marſilius, quos citat, & ſequitur Suar. lib.4.c.11.n. 8.*

28 Scotus autem *in 2. di.2. q.6.§. Ad propoſitū* quæſtionē hanc dubiam reliquit, vt patet *ex verſ. Vtrùm autem*, etſi Piloſ. *diſp. 8. art. 5. num. 1.* conetur demonſtrare Scotum pro noſtra ſententia ſtare. Quod mihi non ſatis probatur. ¶ Dices, quòd *ibi verſ. De iſto* dicit, Angelum habere locum determinatum, ita vt maiorem, vel minorem non poſsit habere; ergo clàm cōcedit, quòd

ad

ad partes sui loci potest pro suo libito se extendere, vel coarctare. Respondetur, quòd, quid quid sit de consequentia, Scotus hoc ibi nec alibi non determinat.

29 Sed Hibernicus *in* 1. *d.* 8. *q.* 2. existimat, non esse in potestate Angeli esse in minori loco, ac naturaliter postulat, sed necessariò esse in toto illo spatio. idē sentit Valēt. 1. *tom. disp.* 4. *q.* 3. *puncto* 3. loquendo de existentia Angeli in loco per præsentiam; nam aliter opinatur de existentia in loco per operationem. Igitur obijciunt contra nostram cōclusionem: corpus nequit esse in minori loco, ac naturaliter postulat. Item Deus nequit non esse vbique: quia hoc natura sua exigit: ergo neque Angelus. Respondetur negando consequentiam. Disparitas corporis est, quòd substantia corporea extēditur, & occupat locum media quantitate; cuius partes nō possunt naturaliter penetrari, nec coarctari ad eumdem locum. Angelus autem non est in loco per extensionem partium; sed quasi per replicationem totius substātiæ in toto loco, & in singulis eius partibus. Et ideò liberum est Angelo, se quasi replicare ad plures, vel pauciores partes sui spatij adæquati: non autem est liberum quantitati, se coarctare ac minores partes sui loci adæquati. Discrimen etiam inter Deum, & Angelum est notum. Immensitas quippè Dei est ex numero illorum attributorūm, quorum vsus non liberè convenit Deo, sed omnino independenter ab eius libertate, sicut attributum scientiæ, &c. (alia sunt in Deo attributa, quorum vsus pendet ex libertate divina: talia sunt attributa misericordiæ, iustitiæ &c.) Angelo autem liberè convenit se extendere, ad omnes partes sui loci adæquati, aut ad aliquas illius se coarctare.

30 Obijcitur secundò: si Angelus posset esse in minori loco maximo, seu in aliqua parte totiūs loci, quem naturaliter postulat; non esset ibi definitivè; quia non ibi definiretur, quin posset esse in maiori loco: ergo dicendum est, non pendere ex eius voluntate esse in minori loco sed ita hoc exigere ex natura sua, vt aliter nequeat evenire. Respondetur quòd esset definitivè in illo loco sibi inadæquato: quia de facto ibi existit taliter, vt non sit alibi, seu extra illum locum, in quo est totus in toto, & totus in quavis parte.

31 Obijcitur tertiò: si Deus crearet Angelum, quin Angelus, aut Deus determinarent, quòd esset in spatio sibi adæquato, aut in inadæquato, naturaliter esset in adæquato: ergo quia hoc nō pendet ex eius voluntate. Respondetur negando antecedens:

vt

vt enim benè vidit *Suar. lib. 4. c. 11. n. 12.* procedit ex hypothesi impossibili: cùm enim determinare quantitatem spatij, seu loci pendeat ex voluntate Angeli, vel Dei, (si fingamus ab Angelo nō esse determinatū esse in loco adęquato, aut in inadæquato; vt si supponamus, Deū creasse Angelū mortuum, dormientem, aut fatuum) sicut non potest creari Angelus quin sit alicubi, ita nequit creari, quin determinetur à se, vel à Deo quātitas spatij, vel loci, in quo sit extiturus. Respōdetur secundò, admisso antecedenti, & negando consequentiam: quia cùm vi suæ naturalis perfectionis ei debeatur tantum spatij (vna leuca v.g.) per totum illud diffunderetur; quamvis aliàs sit verum, pendere ab eius volūtate coarctationem ad minorem locum, seu ad aliquam, vel aliquas partes illius loci, vel spacij.

DVBIVM VIII.

31 PEtes octavò, possit ne Angelus existere in quolibet indivisibili sui spatij, aut loci adæquati? Respondetur affirmativè. Quia, cùm Angelus sit indivisibilis, & non sit in loco extenso, nisi quasi per replicationem totius suæ substantiæ in toto spatio, & in singulis eius partibus, nihil est, quòd convincere possit, eum non posse esse in loco indivisibili. Ita Scotus (saltem problematicè) *in 2. dist. 2. quæst. 6. §. Ad propositum V. Nec forte, Cavellus ibi, Pilosus disput. 18. artic. 5. numero 5. & Scotistæ communiter. Quibus adde* D. *Thom. Capreolum, Caiet. Ferraram, Bannez, Zumel, Molinam, & Valentiam, quos citat, & sequitur Suarez lib. 4. capitulo 11. num. 23.*

33 Sed Angelum non posse se constituere in puncto, tamquam in proprio loco, defendunt *Ægidius, Gabriel, Gregorius Ochamus, Marsilius, Malonius.* Immo & supponendo ex philosophia, dari puncta in continuo, (quod in præsenti non est probandum, sed supponendum) negant, Angelum posse esse in puncto *nostri D. Bonaventura, Alensis, & Ioannes Bassolius citati à Suarez ibi num. 21.* Vazquez autem *disp. 192. cap. 2.* censet, nihil in hac re compertum esse: citatque per se Scotum ibi; necnon, & solvit rationes vtriusque sententiæ.

34 Igitur obijcitur contra nostram conclusionem, quòd in continuo non sunt indivisibilia: ergo ex falsa suppositione dicimus, Angelum posse existere in indivisibili. (sic arguunt *Gabriel, Gregorius, & Ochamus*) Respondetur, nostram quęstionem supponere ex physica dari indivisibilia; aut saltem ex prædicta suppositione nos loqui.

35 Obijciunt secundò *cum Alensi, & D. Bonaventura*: de ratio-

tione loci est, quòd contineat, seu ambiat locatum: sed indivisibile nequit habere partes ambientes Angelum: ergo neque esse locus illius. Respondetur negando maiorem: vt enim notant citati *Vazquez num.* 11. & *Suarez num.* 21. illa maior supponit, quod probandum erat; nempè de ratione loci esse, quòd sit divisibilis: quamvìs enim hoc verum sit loquendo de existenti in loco ambiente: est tamen falsum loquendo de existente alicubi per simplicem præsentiam: qualiter Angelus existere potest in indivisibili. Et qualiter quando in vltima superficie corporis locati sunt puncta; illis correspondent in superficie ambiēte proportionata indivisibilia: quæ suo modo tamquam locus, & locatum comparantur.

36 Obijciunt tertiò *cum Ægidio*; quòd Angelus est in loco per operationem. Sed in puncto nihil potest Angelus operari: ergo neque esse in puncto, vtì in loco. Respondetur negando maiorem iuxta dicta *à num.* 17. Respondetur secundò, admissa maiori, negando minorem: quia etsi supponamus, punctum non posse in se recipere aliquam Angeli operationem, affirmaremus, Angelum existentem in pūcto posse circa aliqua alia operari; vt si alteri Angelo loquatur; si moveat aliquod corpus, &c.

37 Obijciunt quartò: Angelus nequit esse in parte proportionali sui spatij adæquati: ergo à fortiori esse non potest in indivisibili. Patet cōsequentia: indivisibile enim minus est parte proportionali. Respondetur negando antecedens ex dictis *à numero* 27. quæ intelligenda sunt non solùm de partibus aliquotis, sed etiam de proportionalibus: potest enim Angelus pro suo libito coarctari ad existendum in quacumque parte proportionali sui spatij adæquati.

38 Sed contra hanc solutionem videtur stare Scotum *in 2. dist. 2. quæst. 6. §. Ad propositum versic. De isto.* Insuper & contra hoc vrget argumentum ipsius Scoti *ibi versic. Præterea, si quantitas*; & est tale. Alicuius virtutis est constituere se in aliquo loco: ergo maiorem virtutē arguit posse se constituere in minori loco: ergo maiorē, & maiorem vsque in infinitum arguet posse, se in minori, & minori, vsque ad infinitum collocare. Sed hoc sequeretur ex hoc, quòd Angelus posset esse in parte proportionali, aut in indivisibili sui loci adæquati: ergo neq; in parte proportionali, neq; in indivisibili esse potest. Minor subsumpta cōstat ex eo, quòd in cōtinuo sunt infinitæ partes proportionales; necnon, & infinita indivisibilia, quibus tales partes copulantur. Respon-

pondetur, Scotum non esse contra nos; vt diximus *num.* 28. Ad argumentum respondetur negando primam consequentiā, & consequenter reliqua omnia, quæ in illa fundabātur. Vt enim Vazquez *disp.* 191. *cap.* 3. *num.* 8. respondet cum Caietano, posse se in minori loco applicare, aut constituere nō provenit ex maiori virtute Angeli; sed ex libera illius voluntate: ex qua sicut pēdet, quòd sit in hoc, vel illo loco, ita pendet, quòd sit in toto loco suo adæquato, vel in quavis parte, aut indivisibili illius. Et sicut ad liberam voluntatem Angeli, & non ad eius infinitam virtutem referretur, quòd posset se collocare in quocumque loco ex infinitis: (in hypothesi, quòd infinita loca adæquata Angeli darentur) ita in eius liberam voluntatem, & non in aliquam eius virtutem infinitam est referendum, quòd Angelus posśit se collocare in quacumque parte proportionali, aut in indivisibili quocumque ex infinitis, quæ in quocumque loco suo adæquato clauduntur.

DVBIVM IX.

39 PEtes nonò, an Angelus posśit se extendere ad maiorem locum suo spatio adæquato? Respondetur negativè. Quia ex opposito sequeretur, Angelum posse esse simul vbiq; seu in omni loco cœli, & terræ: & consequenter habere quoddam immensitatis genus. Recolantur dicta *num.* 23. Hanc conconclusionem defendit Scotus *in* 2. *d.* 2. *q.* 6. §. *Ad propositum verf. De tertio, & versic. De isto. D. Bonaventura Gabriel, Gregorius Ochamus, Maior, Marsilius, Ægidius, Ricardus, & Caiet. quos citant, præsertim Vazquez disp.* 191. *cap.* 1. *num.* 2. *& quos ipse ibi num.* 3. *Suarez. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 3. *& communiter sequuntur recentiores.*

40 Sed obijcies *Nazianzenum oratione* 34. *circa finem, & Hieronymum Epistola* 54. *contra Vigilantium, in illud Apocalipsis* 14. *& sequuntur agnum quocumque ierit.* affirmantes, Angelos, & dæmones esse vbique terrarum: ergo posśunt esse, & de facto sunt in maiori loco, quā est suum spatium. Patet consequentia: quia non est credendū, totum terrarum orbem esse suū locum adæquatum: vt contra Durandum dicebamus *num.* 23. Respondetur negando consequentiam: solùm enim intendūt illi Patres significare, Angelos, & dæmones non simul esse in omni loco, sed velocisśimo motu omnia peragrare. Quod ex ipsis Patribus satis apertè constat: dixit enim Hieronymus, summa celeritate vbique esse. Et Naziānzenus omnibus impigrè adesse, tùm ob ministerij promptitudinem; tùm ob naturæ levitatem. Quibus verbis velocitatem summam

mam motus Angelorum significare voluerunt. Quod & clarius docuit *Tertull. Apologia contra gent. cap.22.* dicens: *omnis spiritus ales est, hoc est Angeli, & dæmones: igitur momento vbique sunt.*

DVBIVM X.

41 PEtes decimò, an idem Angelus posit naturali virtute esse in pluribus locis adæquatis? Respondetur negatiuè. Quia locus adæquatus Angeli commensuratur cum eius virtute naturali: ergo ista attenta solùm in vno esse potest. Confirmatur à simili de loco adæquato corporis quanti: quia enim locus adæquatus huius corporis mensuratur cùm eius quantitate; ideo in alio loco simul esse non potest. Hanc conclusionem defendunt Scotus *in 2. d. 2. quæst. 7. §. & versic. In ista & communiter Scotistæ, & alij.* Qui etiam notant, Angelum de potentia absoluta posse esse in pluribus locis. Sicut est Christus Dominus in Eucharistia. Et ideò erravit *Gotfredus quodlib.* 12. vt refert Bassolius, cùm asseruit, Angelum neque de potentia absoluta posse esse in diversis locis.

DVBIVM XI.

42 PEtes vndecimò, an naturaliter possit Angelus esse simul in duobus locis inadęquatis? Respondetur affirmatiuè: itaque Angelus pôtest esse simul in duobus locis inadæquatis continuis, vel discontinuis contentis intra sphæram eiusdē loci adęquati Angeli: v. g. si locus adęquatus Michaelis sit vna leuca, poterit pro suo libito se constituere præsentem omnibus & singulis partibus, & indivisibilibus illius: necnon & poterit se cōstituere præsentem his partibus, non verò illis, siue istæ partes sint extremæ siue mediæ; siue sint continuæ, siue discontinuæ, vt si leuca illa partim per aquam, partim per terram, partim per aerem, partim per ignē mensuraretur. Et probatur conclusio, quia Angelus est in suo loco adæquato non per partes; sicut corpus quantum; sed totus in toto loco, & totus in singulis partib⁹; estque positū in naturali sua virtute se ampliare ad totū locū adæquatū; vel coangustare ad partes, partē, vel indivisibile illi⁹: ergo liberū est Angelo, se prę sentē facere his, & illis partibus, non verò omnibus. Patet consequentia: quia sicut liberum est Angelo, se coarctare ad vnam partem illius loci, vel ad indivisibile illius, & non se præsentem facere omnibus alijs: ita liberū erit, se coarctare ad aliquas partes illius loci, non se faciendo præsentem omnibus alijs videtur enim hîc vrgere argumentum quod *a fortiori* vocant. Sicut enim

enim qui habet naturales vires ad portandum grave pondus, à fortiori habet vires ad portandum leve. Ita quia Angelus habet facultatem naturalem ad se coarctandum ad quascumque, vel quamcumque partem sui loci adæquati, à fortiori habet facultatem ad se coarctandum nō ad vnam tantū, sed ad tres, quatuor, &c.

43 Dices, ex his ad summū sequi, posse Angelum se constituere, aut facere præsentem quibuscumque partibus loci adæquati, si aliàs nulla intermedia relinquatur, cui nō se faciat præsentem; secus autem si aliqua intermedia relinquatur: quare nō poterit se constituere, aut facere præsentem partibus extremis, intermedijs omissis, Et ratio est, quòd se constituit Angelus, aut facit præsentem loco quasi per diffusionem, suæ substantiæ: & ideo quodcumque *vbi*, seu præsentia totalis, aut partialis suppo nit substantiam Angeli inibi: sicut ergo ipse Angelus non potest discontinuare suam substantiam, non potest se constituere, aut facere præsentem locis extremis illius leucæ (quam supponimus esse locum adæquatū Angeli) quin se constituat, aut faciat præsentem partibus intermedijs. Confirmatur: quia Angelus non potest transire de extremo in extremum, non transeundo per medium: ergo neque poterit se constituère, aut facere præsenten locis extremis, quin se constituat, aut faciat præsentem locis intermedijs sui spatij adæquati.

44 Respondetur, hoc argumento (si aliquid concluderet) probari, neque de potentia absoluta posse Angelum constitui in locis extremis, quin constitueretur in locis intermedijs. Quia neque de potentia absoluta potest substantia Angeli scindi, aut discontinuari. Igitur cùm necessarium non sit, vt Angelus, aut corpus constituatur in diversis locis, quòd eius substantia scindatur, aut discontinuetur; dicēdum est, Angelum se constituere posse in locis extremis, medijs intermissis, multiplicando, seu replicādo præsentiam suam adæquatam extremis locis, quin illam multiplicet, aut replicet in locis intermedijs. Philosophandum est enim de præsentia Angeli quoàd totum eius locum adæquatum, & illius partes; sicut de præsentia Christi Domini in Eucharistia philosophamur. Quare sicut liberum est Sacerdoti cōsecrare extremas partes eiusdem hostiæ, non autem partes intermedias; liberum est Angelo, se facere præsentem partibus extremis sui loci adæquati, non autem partibus intermedijs.

45 Ad confirmationem. Respondetur cum Scoto *in* 2. *d.* 2. *q.* 12. §.

12. §. *Hic dicũt verſic. Si autẽ* Angelũ poſſe *pertrãſire ab extremo in extremũ immediatum nõ tranſeundo per mediũ, quod eſt aliquid vtriuſque extremi*; loquendo de motu, qui fit in inſtãti; id eſt, quo Angelus ſe facit præſentem partibus ſui ſpatij adæquati. Secus autem loquendo de motu, quo Angelus ſe facit præſentẽ alij ſpatio, aut partibus alterius ſpatij. Itaque doctrina cõfirmationis eſt vera de tranſitu vnius loci adæquati ad alium: non tamẽ de tranſitu partium eiuſdem ſpatij. Reſpondetur ſecundò admittendo gratîs, Angelum non poſſe tranſire de extremo ad extremum non trãſeundo per medium: & conſequẽter, quòd, ſi primò ſe faciat præſentem primo loco aut parti ſui ſpatij adæquati, non poterit ſe facere præſentem alteri parti diſtanti, quin tranſeat per partes medias, aut quin ſe faciat præſentem partibus intermedijs. Ex hoc autem non probatur, nõ poſſe eſſe ſimul in partibus extremis eiuſdem loci adæquati, quin ſit in intermedijs: ſed ſolũ ſequitur, neceſſariò fuiſſe etiam in partibus intermedijs, ſeu per illas tranſiiſſe. Sicut quando ego erã Madriti, & nunc ſum Compluti, neceſſario infertur, me per loca intermedia tranſiviſſe, non autem quòd in illis permaneo. Et ſicut ſi Deus, exiſtens Romæ aliquod corpus ſimul illud conſtitueret, aut faceret præſens Madriti, inferretur ſanè, veniſſe per loca intermedia; (ſecundùm opinantes hoc miraculum faciendum eſſe per actionem adductivam; non autem per reproductivam: quod mihi non nimis arridet) non autem in illis perſeverare. Et fortè de facto eſt philoſophandum hoc modo in Euchariſtia. Sicut ergo in his duobus caſibus corpus, & Angelus (& fortè Chriſtus Dominus in Euchariſtia) conſervat præſentiam in locis diſtantibus, quin conſervet præſentiam in locis intermedijs, ſeu per quę tranſivit de illo loco ad iſtum. Sic in præſenti Angelus, qui exiſtens in vna parte extremi ſui loci adęquati vult ſe facere præſentem alteri extremo debet quidem tranſire per partes intermedias, ſeu facere ſe pręſentem omnibus illis, non tamen eſt neceſſariũ, quòd in illis pręſens perſeveret; ſed poteſt conſervare extremas præſentias, quin cõſervet intermedias: & hoc tantùm vult concluſio. Nec eſt contra Scotum citatum concedere, quòd Angelus, qui de vno loco inadæquato extremo tranſit in alium extremum locum inadæquatum, neceſſariò debet per mediũ tranſire. Ibi enim ſolùm negat, eſſe neceſſariũ trãſire per media cõſumẽdo durationẽ in hoc trãſitu. Cõcedit tamẽ neceſſariò ordine naturæ priùs debere eſſe in *vbi* intermedio, quàm in *vbi* extremo vt con-

constat ex *versic*. *Et si obijcias*: & notat Lichetus ibi: quidquid renuat Pilosus *disp*. 19. *articulo vlt. n.* 12.

46 Dices, vt in corpore hoc contingat, est necessarium recurrere ad potentiam absolutã, nempè vt idem corpus sit in duobus locis: ergo hoc non poterit Angelus viribus naturæ. Respondetur negando consequentiam. Tùm, quia corpus haberet duo loca adęquata: in præsenti autem loquimur de duobus locis adæquatis Angeli. Vt enim idem Angelus sit in duobus locis adæquatis, etiam est recurrendum ad potentiam absolutam. Tùm quia in republica Angelica possunt fieri nonnulla de potentia ordinaria seu ab Angelis; quæ in humanis solùm possunt fieri de potentia absoluta. Hac ratione vnus loquitur alteri infundẽdo illi conceptum expressum, seu actualem cognitionem: quam in republica ista humana negant omnes posse produci de potentia ordinaria.

47 Instabis: ergo propter eãdem rationem possumus dicere, Angelum vi sua naturali posse esse in diversis locis adæquatis: cũ hoc posit fieri de potentia absoluta. Respondetur negando: cũ enim vi sua naturali solùm possit esse in vno loco adæquato, valebit quidem Angelus intra sphæram illius loci his, vel illis partibus se præsentem facere, aut per omnes & singulas se quasi diffundere; aut ad his, vel illas se coarctare; nullatenus tamen poterit ad vlteriorem locũ progredi, aut se quasi diffundere, quin priorem locum, aut partẽ eius derelinquat.

48 Hanc nostram conclusionem defendunt *Caietanus* 1. *p. q.* 52. *art.* 2. *& Ferrara: quibus consentire videntur Marsilius, & Bassolius citati à Vazq. disp.* 190. *cap.* 2. *num.* 2. Scotus autem *in* 2. *d.* 2. *q.* 7. §. *In ista quæstione versic. Sed vtrum, & Gabriel q.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. existimant, nec pro vna parte, nec pro altera posse aliquã rationẽ efficacem afferri. Tamquam certã tamen defendit nostram conclusionem Pilosus *disp.* 18. *art.* 6. *n.* 4.

49 Sed opponuntur nostræ conclusioni nostri *Alensis, Bonav. & Ricardus: quibus adde Ægidium & Thomam de Argentina, quos citat, & sequitur Vazquez disp.* 190. *cap.* 3. *num.* 4. *Idem tenet Molina q.* 52. *art.* 2. Et Obijciunt: anima rationalis non potest informare extremas partes corporis (caput & pedes) nisi simul informet intermedias: ergo neque Angelus poterit esse in partibus extremis suæ sphęrę, quin sit in intermedijs. Respõdetur negando consequentiam: quia anima naturaliter, necessariò, aut sine electione informat partes corporis: Angelus autem liberè est præsens his, vel illis partibus sui loci adæquati.

50 Obijciunt secundò: sol nõ potest illuminare partes àeris extre-

tremas, quin illuminet priores, seu medias: ergo neque Angelus poterit se facere præsentem partibus extremis, quin se faciat præsentem partibus intermedijs. Respondetur negando cõsequẽtiam: quia sol naturaliter, seu necessario diffundit lumen: Angelus autem liberè se constituit in hoc, vel illo loco inadæquato.

51 Obijciunt tertiò: nullum agens existens in extrema parte vnius leucæ v. g potest transire ad aliam extremã, quin trãseat per mediũ: ergo neque Angelus poterit se præsentem facere partibus extremis sui loci adęquati, quin se faciat præsentem partibus intermedijs. Respondetur distinguendo consequẽs: trãseunter cõcedo: permanẽter, nego, iuxta latè dicta *à num.* 45.

DVBIVM XII.

52 PEtes duodecimò, an plures Angeli possint esse simul in eodem loco? Resp. affirmativè. Quia Angeli sunt expertes quantitatis: ergo non apparet, vnde possint impediri. Confirmatur, quia ex *Luca* 8. constat, in eodẽ homine fuisse vnam integram dæmonum legionem. (Apud Romanos vna militũ legio includebat sexmillia sexcẽtos sexaginta, & sex.) Secundò quia ex opposito sequeretur, nõ posse vnum Angelum de cælo v. g. ad terram descendere per lineam rectam, si in eadem linea esset alter Angelus, nisi iste cederet loco. Tertiò, quia in obsessis Angelus & anima sunt in eodẽ corpore. Ita Scotus *in* 2. *d.* 2. *q.* 8. *§. In ista quæstione* (*saltem problematicè*) *Gabriel, Gregorius, Marsilius, Maior, Ocham, Pesantius, Malonius, & Molina, quos citant, & sequuntur Vazquez disp.* 193. *c.* 4. *num.* 10. *& Suar. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 4. *addens, quòd* Albertus *in* 1. *d.* 37. *art.* 25. dixit, posse plures Angelos esse simul quoàd substantiam, licèt non quoàd operationem.

53 Sed plures Angelos non posse esse in eodem loco, defendũt *D. Bonav. D. Th. Ricardus, Ægidius, Capreolus, & Bassolis citati à Vazq. ibi c.* 1. *n.* 3. *quibus c.* 3. *num.* 7. *addit Caiet. & Ferraram.* Et obijciunt. (& est ratio D. Bonav.) Angelus est quædam pars vniversi: ergo in toto debet habere aliquẽ ordinem: ergo vnusquisque Angelus habet suum determinatum situ, & locum: aliàs ordo vniversi perturbaretur: ergo plures Angeli in eodem loco esse non possunt naturaliter. Respondetur distinguendo antecedens: est enim verũ, Angelum esse partẽ vniversi quoàd determinatam entitatẽ, & perfectionẽ: non tamẽ quoàd situm, & locum. Hinc distinguẽdum est primum consequẽs: est quippè verum, Angelum debere in vniverso habere ordinem entitatis, & perfectionis: non vero

situs, & loci. Vnde negādæ sunt aliæ consequentiæ. Respondetur secundò, admisso toto argumento, negando vltimam consequentiam: ex hoc enim, quòd Angeli singuli habeant suum determinatum locùm, non infertur, quòd non possint pro sua voluntate aliquando esse in vno, & eodem. Neque ex hoc infertur, quòd tunc perturbaretur magis ordo vniversi, quàm perturbaretur, si Deus de potentia absoluta, plures Angelos, aut plura corpora in eodem loco collocaret.

54 Obijciunt secundò: (& est ratio Ricardi) quæ existunt in eodem loco, necessariò se penetrant: sed Angeli non possunt se penetrare: ergo neque possūt esse in eodem loco. Minor probatur ab inconveniente: si enim Angelus posset se cū altero Angelo (vel cum anima) penetrare, posset esse intra substantiam illius: quod *Augustinus, Beda, & Fulgentius* indicant impossibile: quibus subscribunt Magister *in 2. d. 2. D. Bonav. & communiter Scholastici citati à Vazq. disp. 193. cap. 2. n. 3.* Nobis autē sufficiant hęc Augustini verba *cap. 83. de Ecclesiasticis Dogmatibus.* (Sunt, qui hunc librum attribuunt Gennadio Episcopo Massiliensi: qui fuit Augustino posterior: cū Augustinus obierit *anno* 433. Gennadius autem floruit *ad annos* 490. teste Bellarmino *libro de scriptoribus Ecclesiasticis*) *Dæmones per energiacam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione, & oppressione vniri: illabi enim menti soli illi possibile est, qui creavit.* Respondetur cum Pilosio *ibi num.* 5. maiorem solùm esse veram de his quæ sunt in loco circumscriptivè. Quæ enim circumscriptivè sunt in loco, ratione quantitatis expellunt aliud quantum ab eodem loco: quod non faciunt illa, quæ carent quantitate.

55 Obijciunt tertiò: (& est argumentum Gotfredi) illa, quę habent eundem modum essendi *in* non possunt esse simul: sed Angeli habent eundem modum essendi in loco: ergo plures non possunt esse simul in eodem loco. Minor est certa: omnes quippè Angeli sunt diffinitivè in loco. Maior autem probatur instantia de duobus corporibus gloriosis, quæ nequeunt naturaliter penetrari, seu esse simul in eodem loco, quamvis aliàs corpus gloriosum possit penetrari, & esse simul cum alio corpore non glorioso. Instatur etiam in duobus Dijs, qui, si forent pares, non possent esse simul, secundùm Damasc. *cap.* 5. & tamen Deus potest esse simul cum creaturis propter alium modum essendi in loco. Tertia instantia est duarum formarum, quæ naturaliter nequeunt informare eandem materiam, seu esse in eadem materia; eo quod habent

bent eundem modum illam informandi.

56 Respondetur ex Scoto ibi §. *Et tunc versic. Ad secundum* negando maiorem: quia nullam habitudinem essentialem dicit illud, quod est in alio, ad illud aliud, in quo est: alioquin nō possent plura temporanea in eodē tempore existere. Et instat Scotus in esse *ab*: hoc enim dicit dependentiam essentialem illius, quod recipit esse ab alio: & tamen plura possunt esse ab eodē, & eodem modo. Cur ergo non possunt plura esse in eodem eodem modo essendi in illo: cùm respectus essendi in alio sit omnino accidentalis illi, qui est in illo alio? Propter hæc dixit Scotus, *quòd illa maior, quæ est famosa in multis materijs, non est rationalibilis* in omnibus. Quare si duo repugnent esse simul in aliquo, aliunde provenit repugnantia in illis, non autem ex hoc præcisè, quod est esse in alio: alioqui in quibuscumque esset talis repugnantia.

57 Hinc respondetur ad instantias. Ad primam nego, corpora gloriosa non posse naturaliter se penetrare. Dices: ergo corpora gloriosa de facto sunt penetrata. Respondetur negando: arguitur enim *ab amplo ad non amplum affirmative*; (vt dicunt Summulistæ) seu à potentia ad actū: qui modus argumentandi est evidenter falsus: ex eo quippè quòd habeo potentiam currendi v. g. falsò inferretur, quòd actualiter curro. Ratio autem, quare de facto vnum corpus gloriosum non penetratur cum alio est, quòd penetrare se cum alio denotat superioritatē; quam vnum corpus gloriosum habet respectu alterius non gloriosi; non tamen respectu gloriosi: vt notat Scot. *in 4. dist. 49. quæst. 16. in fine.*

58 Ad secundam instantiam dico, aliunde oriri repugnantiā in duobus Dijs, & non ex eo, quòd haberēt eūdē modū essendi in alio. Igitur tunc proveniret ex eo, quòd essent pares, seu æqualis potentiæ, & consequenter neuter haberet superioritatē respectu alterius: vnum autem ingredi in loco alterius denotat superioritatem respectu illius, quo invito, in eius locum ingreditur: vt de corporibus gloriosis nuper dicebamus.

59 Ad tertiam instantiam dico, verum esse duas formas non posse informare eamdem numero materiam: repugnātia autem illa non provenit præcisè ex eo: quòd vtraq; habet eundē modū essendi in alio; sed ex tali, nempè per essentialem informationem: informando enim quælibet illarum materiam constituit totum, (hominem v. g.) cuius partes essentiales sunt hæc materia, & hæc forma: & cùm materia vna numerò, nequeat simul esse de essentia plurium;

 fit,

fit, vt hæc numero materia taliter informatur, seu actuatur per hanc formam, vt eius potentialitas, seu indifferentia ad recipiendum plures formas maneat impedita ad essendum sub alia, dum sub ista perseverat.

60 Obijciũt quartò: (& est argumẽtũ D. Th.) plures causæ totales esse nõ possunt respectu eiusdẽ effect⁹: sed hoc sequeretur, si plures Angeli possẽt esse simul in eodem loco: ergo esse non possunt. Probatur minor, quia, cùm Angelus sit in loco per operationem, & cuiúscumque suæ operationis ipse sit causa totalis: fit, vt si plures essent in eodẽ loco, illa operatio penderet à singulis illorum. Resp. ex Scoto ibi §. *& versiculo Et tunc* negando minorem; & eius probationẽ: Angelus enim per suam substantiã, & non per operationem est in loco, iuxta dicta *à n. 13.*

61 Addit Scotus *ibi versic. Si etiam*, quòd, etiam si admittatur, quòd Angelus tantùm per operationem sit in loco, adhuc vnus Angelus posset operari circa idem corpus vna operatione, & alius alia: & sic vterque esset in eodem loco per operationem. Et si dicas, quòd non potest operari circa corpus, nisi corpus movendo: sed idem corpus nequit simul moveri à duobus moventibus totaliter: ergo nequeunt duo Angeli simul operari circa vnum, & idem corpus: & consequenter semel admisso, quòd Angelus est in loco per operationem, non potest sustineri, posse plures Angelos esse in eodem loco. Respondetur ex Scoto ibi negando consequentiam. Cùm enim Angeli non ad vltimum potentiæ suæ, sed liberè moveant corpus, poterunt plures Angeli cõcurrere ad talem motum efficiendum: (quamvis aliàs quilibet solus posset illum facere) & consequenter poterunt circa idem corpus simul operari: ac per consequens erunt simul in eodem loco, adhuc in suppositione, quòd Angelus dicatur, esse in loco per operationem.

62. Obijciũnt quintò: si plures Angeli essent in eodem loco, eadem habitudo, seu præsentia esset in illis ad eũdem locum: sed hoc est impossibile: ergo & quòd plures sint in eodem loco. Probatur minor, etsi enim possit virtute divina idẽ accidens absolutum (albedo v. g.) esse in pluribus subiectis: neutiquam tamẽ potest accidẽs respectivum, nẽpè relatio: eo quòd ista resurgit ex fundamẽto, & termino: quare impossibile est, quòd multiplicetur, non multiplicato fundamento. Respond. negãdo maiorem: vnusquisque enim Angelorũ existentium in eodem loco haberet suã ralationem præsentiæ, aut suum *vbi* terminatum

ad

ad eumdem locum. Sicut, quādo idem pater habet plures filios, in quovis filio est distincta relatio filiationis terminata ad eundem patrem.

DIFFICVLTAS III.

De motu locali Angelorum erga se ipsos.

IN hoc capite *diff.* 1. *num.* 10. statuimus, Angelos, & se ipsos, necnon & alia movere localiter. Agimus in hac difficultate de motu, quem erga se ipsos exercent, seu quo se ipsos movent, acturi difficultate sequenti de motu, quo movent alia.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Angelus propriè posit naturaliter se ipsum localiter moveri? Respondetur affirmativè. Quia *venerunt duo Angeli Sodomam vespere Genes.* 19. *num.* 1. *& alibi sæpè*, Secundò, quia hoc conceditur hominibus & alijs animalibus: ergo & Angelo, qui est perfectior. Ita cōmunissimè Auctores, præsertim omnes illi, qui *diff. præcedenti à num.* 1. dicunt, Angelos propriè, & non abusivè esse in loco: qui consequēter dicunt, Angelum propriè moveri localiter, saltem quando relinquit locum, in quo propriè erat, & acquirit alium, in quo realiter, & propriè nunc existit.

2 Durandus *in* 1. *d.* 37. *secunda p. distinctionis q.* 1. *n.* 26. affirmat, Angelum naturaliter esse vbiq; vnde consequenter affirmat, Angelum non posse se movere localiter. Pro quo obijcitur: Deus dicitur deambulare ad auram paradisi *Genes.* 3. *num.* 8. *cùm audissent vocem Dei deambulantis, &c.* & Verbum Dei dicitur missum: dixit enim Christus Dominus *Ioan.* 17. *num.* 23. *cognoscat mundus, quia tu me misisti.* & alibi. Sed istæ loquutiones non possunt propriè accipi de motu locali; quia Deus est vbique: ergo neque Angelus potest propriè moveri localiter. Patet consequentia, quia Angelus etiam est vbique. Respondetur negando consequentiam, & eius rationem; Angelus enim nō est vbique; sed in loco determinato: vt constat *ex diff. præcedenti à num.* 23.

3 Obijcitur secundò D. Aug. 8. *de Genesi ad litteram cap.* 20. dicēs, corporalia moveri secundum locum, & tempus; & per loca, & tempora; spiritualia vero non nisi per tempora. Respondetur, solū velle, non moveri Angelos per loca circumscriptivè, sed diffinitivè. *Moveri* autem per *tempus* idest in præsenti, (vt hoc obiter sciatur) ac velle, seu cognoscere Angelum, quod antea nec volebat, nec cognoscebat.

 4 Item

4 Item Obijcitur *D. Bernardus serm. 5. in cantica* docens, Angelos non discurrere, neque de loco ad locum transire, nisi per corpora: ergo si non sunt coniũcti corpori, non possunt moveri localiter. Respondetur negando cõsequentiam. Bernardus enim ibi non loquitur de omni motu locali, sed solùm de sensibili, quem exercent Angeli, quando hominibus apparent.

5. Ex dictis reijcio Capreolum *in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 1.* dicentem, Angelos non moveri per se à se ipsis, sed per accidens, nempè ad motum illius, quod ipsimet movent: qualiter qui remis movet navim, movetur ad motum navis, quem navis motum ipsemet facit: sic ergo Angelus movet per se corpus, cui est vnit⁹: ad motum autem prædicti corporis movetur Angelus, non per novum motum, quem ipse efficiat circa seipsum immediatè, sed per motum corporis, cui vnitur, & quod ipsemet Angelus per se movet. In hoc sensu intellectus Capreolus reijcitur: eoquòd motus Angeli semper fit ab ipsomet Angelo immediatè, & nullo modo adhuc per accidens, à movente corpus, cui Angelus est vnitus. (vt diximus *diff. 2. nu. 9.*) Et ideò etsi quando movetur corpus, cui Angelus est vnitus, & movetur ipsemet Angelus, idemmet Angelus sit motor vtriusq; illi tamen duo motus sunt omnino disparati; cùm posset Angelus movere corpus, cui ipse est vnitus, ipso tamen immoto persistente: & ideò quando ad motum corporis movetur, non movetur vi motus corporis, aut virtute illius, qui movet corpus; sed virtute propria, & vi cuiusdam novi motus, quem Angelus erga se ipsũ immediatè facit ne disrumpat vnionem, quam statuit habere cum illo corpore, quod movetur. Recolãtur, quæ ibi diximus.

6. Sed pro Capreolo obijcies: *ex 8. Physicorum* in illo, qui movetur, debent esse plures partes; quarum vna sit movens, & alia mota. Sed Angelus non habet partes: ergo nõ movet se ipsum. Respondetur *ex Scoto in 1. d. 3. q. 7. §. Ad argumenta pro secunda opinione, & in 2. dist. 2. q. 10. §. Respondeo, & §. Ad primum*, maiorem esse veram de potentijs organicis tantum, seu de agente, quod operatur medijs potentijs organicis: tale enim agens habet diversas partes, seu organa; & sic potest de illo verificari, quòd habet partes, quarum altera sit movẽs & alia mota. Non autem est vera prædicta maior de Angelo, aut quocumque agente indibilibili. Respondetur secundò, quòd potentia motrix Angeli distinguitur formaliter ab eius substãtia, quæ est mota.

7. Obijcies secundò: Angelus

se

se movet localiter? ergo est in actu & in potentia simul: in actu, inquam, quia actualiter afficitur motu: in potentia verò, quia illum recipit, & tamquam subiectum sustentat. Respondetur ex Scoto *locis numero praecedenti allegatis* concedendo totum. Sed contra: actus, & potentia sunt duo membra opposita dividentia ens in communi: ergo nihil potest esse simul in actu, & in potẽtia. Respondetur ex Scot. *in 2. d. 2. q. 10. §. & versic. Ad primum argumentum* concedendo de potẽtia obiectiva, & actu formali. Itaque est omnino impossibile, quòd aliquod ens simul sit in potentia obiectiva, (qualiter dicitur esse ens, quod nondum existit in rerum natura: tunc enim solùm habet esse obiectum potẽtiae intellectivae, & volitivae, praecipuè divinae, quae media omnipotentia potest illud ponere in rerum natura) & in actu formali, seu habens esse extra causas. Nulla autẽ est repugnãtia, quòd ens sit simul in potentia subiectiva, & in actu formali: immo hoc saepissimè contingit.

8 Obijcies tertiò: Angelus movet se ipsum? ergo dicit relationem moventis, & moti ad se ipsum: & consequenter relatio realis non requirit extrema realiter distincta. Respõdetur ex Scoto *in 4. d. 3. q. 7. §. Ad argumenta pro secunda opinione versic. Dico, quòd aliquae relationes* concedendo totũ. Sicut enim aliquae relationes cõpatibiles in eodem supposito, & natura: cuius generis sunt relationes moventis & moti; & in vniversum omnes relationes, quae inter extrema nõ supponunt depẽdentiã essentialẽ, sed solũ accidentalẽ, hoc est, quòd idẽ dependeat à se ipso, quantum ad aliquem actum accidentalẽ. Pro cuius ampliori intelligentia notat Scotus, aliquas esse relationes oppositas, atque incõpatibiles in eodẽ supposito, & natura: vt sunt relationes causae, & causati: istae enim non possunt esse simul in eadem natura, & supposito, quin sequatur, idẽ dependere essentialiter à se ipso. Aliae autem sun relationes oppositae, & incompossibiles in eodẽ supposito, sed nõ in eadẽ natura, vt sunt relationes producentis ad productũ, & producti ad producẽs, quae reperiũtur inter divinas personas: cùm enim eadẽ numero natura divina sit tàm in persona producẽte, quàm in producta, praedictae relationes solùm sunt oppositae in supposito nõ in natura. Demũ aliae sũt relationes oppositae (quoàd sonũ & grãmaticam) quae possunt cõpati in eadẽ natura, & supposito: quales sunt inter movens, & motum, &c.

DVBIVM II.

9 PEtes secundò, an motus sit aliquid reale inhaerens

rens Angelo? & consequenter illum intrinsecè denominans? Respondetur affirmativè. Quia terminus huius motus localis Angeli est quid reale: (nempe *vbi*, per quod verè & realiter est præsens huic loco) ergo motus, quo acquiritur, seu qui ad tale *vbi* terminatur, est quid reale. Patet consequentia: non enim potest dari aliquid reale de novo productum sine aliqua nova actione. Antecedens autem cõstat *ex diss. præcedenti á num. 5. Ita Scotus in 2. d. 2. q. 9. §. & versic. Ad argumenta, Pitosus disp. 19. art. 2. nu. 3. Lichetus, & alij Scotistæ: quibus adde D. Th. Gabrielem Malonium, & Pesantium; atque ex nostris D. Bonaventurã Alensem, Ricardum, & Othamum, quos citat & sequitur Suarez lib. 4. cap. 12. n. 8.*

6 Vazquez *disp. 195. c. 4.* docet, motum localem Angeli cõsistere in extrinseca quadam denominatione distantiæ à punctis fixis: & consequenter non esse aliquid reale intrinsecè inhærẽs, intrinsecèque denominans Angelum. Quod Gregorius *in 2. d. 6. q. 1. art. 2.* extendit ad motum corporis: itaque vniversaliter docet, motum localem tàm spiritus quam corporis esse extrinsecam denominationem. Pro qua sententia *Vazq. ibi c. 2. n. 3. & Suar. ibi n. 2. referunt Ægid. Fer. & Caiet. & addit Suar. Arboreum lib. 1. Theosophiæ cap. 7.* dicentem, quod licèt Angelus moveatur de loco ad locũ, non tamen per se propriè.

7 Igitur contra nostram cõclusionem obijcitur Aristoteles *8. Physi. c. 7. tex. 59.* dicẽs: *sola nãq; latione nihil in hisce, quæ insunt sibi, mutatur; vt cùm quippiam alteratur, &c.* sentit ergo hanc esse differẽtiam inter motus alterationis, & augmentationis ex vna parte, & motum localem ex alia; quòd per alterationis, & augmentationis motus aliquid producitur, nõ tamen per motum localem. Resp. negando consequentiam: vt enim benè vidit Suar. *lib. 4. c. 15. n. 1.* differentia ab Aristotele ibi posita inter motum localem, & alios motus est, quòd per motum localem acquiritur forma, quę non disponit mobile ad aliquam substantialem mutationem, aut illam de novo factam non supponit: forma autem, quã per alteratione acquirit mobile, ipsũ disponit (proximè, vel remotè iuxta naturam talis formæ per alteratione inductę) ad aliquã substantialẽ mutationẽ. Item forma (nẽpè quãtitas) quæ per augmentationẽ acquiriretur supponit in mobili substantialẽ mutationẽ, (saltẽ regulariter) videlicet partialẽ acquisitionem substãtiæ: vt patet in nutritione, ad quam sequitur augumẽtatio.

8 Obijcitur secũdo: per motũ localẽ nihil reale acquiritur: ergo ipse motus nõ est aliquid reale: patet cõsequẽtia: quia motus identificatur cum suo termino;

&

& ideo proportionatur cum illo. Antecedens probatur: quia per motum localē solùm acquiritur locus: sed locus est quid extrinsecum mobili, nempe vltima superficies corporis continentis: ergo per localem motū nihil reale intrinsecum mobili acquiritur. Confirmatur, quia negari nequit, quòd per motum localem acquiratur locus: ergo nihil aliud acquiritur. Respond. negando antecedens: ad probationem nego maiorem: quia per motum localem acquiritur realis præsentia locati ad locum: quæ est quædam realis entitas (quæ appellatur *vbi*) seu relatio extrinsecùs adveniens, quæ subiectatur in mobili, & terminatur ad locum. Recolantur dicta *difficultate præcedenti à num.* 15. Ad confirmationem dico, acquiri quidem locum per motum localem, non primariò, & directè; sed indirectè, & secundario. Quod enim primariò intendit movens est *vbi*, seu præsentia ad talem locum: cùm autem præsentia ista, seu *vbi* sit relatio extrinsecùs adveniens terminata ad locum; secundariò, & indirectè acquiritur locus.

9 Obijcitur tertiò à Ferrara: (qui affirmat, Angelum moveri per aliquid intrinsecum sibi inhærens, quando movetur per se; secùs autem, quando movetur per accidens. Per se verò moveri dicitur Angelus, quando solus mutat præsentiam, & locum, Per accidens autem quando movetur in corpore assumpto ad motum eius) corpora, quæ per accidens moventur, seu ad motum alterius, non recipiunt in se verum motum: ergo multo minùs illum recipient Angeli, quādo moventur per accidens, seu ad motum alterius. Antecedēs probatur; si enim in se reciperēt motum, dicerentur moveri per se. Respondetur negando antecedens: sicut enim habent novū & reale *vbi* seu præsentiam ad novum locum, habuerunt novum, & realem motum acquisitivum talis *vbi*, seu præsentiæ. Ad probationem dico, ad hoc, vt aliquid dicatur moveri per se, non sufficere habere in se realem motum; sed etiam requiri, quòd à motore per se intendatur ille motus. Quod cùm non habeant illa, quæ moventur ad motum alterius, non dicuntur moveri per se. Respondetur secundo, omisso antecedente, negando cōsequentiam: quia Angelus se ipsum movet, etiam quando movetur ad motum corporis, cui coniungitur: iuxta dicta *difficultate præcedenti num.* 9.

10 Obijcitur quartò: Deus dicitur realiter creator, nō creatione sibi intrinseca, sed denominatione extrinseca sumpta à creatione reali existente in creatura: ergo Angelus dicitur realiter moveri denominatione ex-

extrinseca sumpta à motu existente in corpore, cui Angelus vnitur, & quod ab ipso Angelo, vel ab alio agente movetur; vel sumpta à spatio, per quod movetur, quando movetur per se, & sine vnione ad aliquod corpus. Respondetur, disparitatem esse, quod Deus est incapax alicuius denominationis intrinsicæ, seu recipiendi aliquam novam entitatem, à qua intrinsicè denominetur: iuxta dicta *cap. 5. diff. 1. num. 21.* Angelus autem potest recipere novas entitates, quibus intrinsecè denominetur. Respondetur secundò, ad denominationem extrinsecam solùm tunc esse recurrendum, quando aliter fieri non potest: si enim attribui potest intrinseca denominatio, ad illam est recurrendum: quia perfectius est denominari intrinsecè, quàm extrinsecè; & natura id, quod perfectius est, intendit. Quare cùm non possimus tribuere Deo aliquam denominationem intrinsecam provenientem ab aliqua nova entitate sibi accrescente propter eius incapacitatem recipiendi aliquam novam entitatem; cùm tamen possimus, Angelo denominationem intrinsecã attribuere; fit, vt dicamus, Deum extrinseca denominatione dici creatorem; Angelum verò intrinseca dici moveri, & esse in loco.

DVBIVM III.

11 PEtes tertiò, quot modis potest Angelus localiter moveri? Respondetur, posse diversis modis. Potest namque se movere per motum acquisitivũ novi loci, & simul deperditivũ prioris: vt quando de loco adæquato transit ad novum locum. Item per motum deperditivum loci, non verò per acquisitivũ: vt si existens in aula v. g. tamquam in loco sibi adæquato, se coarctaret ad angulum illius. Et demum per motum acquisitivum novi loci, non tamen deperditivum prioris; vt si existẽs in aliqua parte sui loci adæquati, ista retenta, se extenderet ad reliquas partes illius loci. Ita Suarez *lib. 4. ca. 16. n. 2. & Pilosus disp. 19. art. 3. n. 4.*

12 Noster Ioannes Bassollus *in 2. dist. 2. q. 4. art. 1. in 2. argumento, Valentia, & Hybernicus citati diffic. 2. num. 29.* affirmant, Angelum in quocumque motu locali debere acquirere, & deperdere aliquem locum. Fundamentũ est, quòd existimant, solùm posse existere in loco adæquato. Vnde planè infertur, quòd, quoties movetur, si acquirit alium locum adæquatum, deperdit totum priorem: si autem acquirit partem alterius, partem prioris amittit. Confirmatur: quia *generatio vnius est corruptio alterius:* ergo

ergo, quoties Angelus acquirit novum locum, deperdit alium. Respondetur, fundamentū illud esse omnino falsum: vt constat *ex diff. 2. à num. 27.*

13 Ad confirmationem illā sumptam *ex 1. de Generatione tex. 17. & 20. & 2. Metaph. tex. 7.* Respondetur ex Scoto *in 2. dist. 1. q. 2. §. Ad primum argumentum vers. Ad illud primi*, solùm esse veram per accidens, nempè quia generans non potest, inducere vnam formam, nisi in materiam præexistentem; ista autem communiter est sub forma incompossibili; & ideò tunc corrumpitur præexistens per accidens, & præter intentionem generantis. Quando autem non præexistit forma incompossibilis in materia, (vt contigit in creatione rerum: tunc enim prima generatio substantialis cœlorum, elementorum, &c. facta fuit sine corruptione alterius: & de facto multæ generationes accidentales sic fiunt) ad generationem vnius non sequitur, adhuc per accidens, corruptio alterius. Et hoc contingit, quoties Angelus existens in parte sui loci adæquati, illa retento, se extendit ad aliam partem eiusdem loci.

* * *

DVBIVM IIII.

14 PEtes quartò, an motus Angeli sit continuus? Respondetur affirmativè. Quia Angelus transit de vno *vbi* ad aliud dissitum, seu distans transeundo omnia, & singula *vbi*, quæ mediant inter illa *vbi* dissita: ergo movetur motu continuo, continuitate se tenente ex parte spatij. Ita Scotus *in 2. d. 2. q. 9. § & vers. Ad quæstionem*, *& communissima sententia.*

15 Dices: id, quod movetur motu continuo, partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: *ex 6. Physic. cap. 4. & 10.* Sed Angelo id convenire non potest: quia non habet partes: ergo nequit moveri continuè. Respondetur ex Scoto *ibi §. Ad argumenta vers. Et istud*, maiorem esse veram de mobili habente partes physicas; non autem de indivisibili; qualis est Angelus. Potest tamen aliquo modo Angelus dici esse partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; quatenus eius locus adæquatus est divisibilis, & habens partes: cum ergo Angelus sit in illis potest dici partim esse in termino *a quo*, & partim in termino *ad quem* sumendo partes illas non ex parte mobilis, seu subiecti; sed ex parte spatij, in quo naturaliter est Angelus. Vnde infertur, tàm

tàm *vbi*, quàm motum Angeli esse indivisibilem ex parte subiecti; divisibilem autem ex parte spatij. (quidquid miretur Vazquez *disp. 188. cap. 7. num. 30.*) De qua indivisibilitate *vbi* Angelici ex parte subiecti; & divisibilitate ex parte loci videatur Suarez *lib. 4. c. 17. à num. 18.*

DVBIVM V.

16 **P**Etes quintò, an motus Angeli sit successivus, & consumens tempus? Respondetur affirmatiuè. Itaque nequit Angelus in instante transire de suo loco adequato ad alium, sed in hoc debet consumere aliquod tempus, cuius partibus cōmensurentur partes spatij, quas ipse pertransit. Quia ex opposito sequeretur, posse Angelum sua naturali virtute esse simul in duobus locis adæquatis; & consequenter vbique. Ita Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 11. § Dico ergo versic. Primo modo*, & communiter Scotistæ; quibus adde *D. Tho. D. Bonav. Ricardum, Ægidium, Caietan. Gabrielem, Capreolum, & Ferraram, quos citant, & secuntur Vazquez disput. 197. cap. 2. num. 2. & Suar. lib. 4. cap. 22. num. 5. & alij multi recentiores.*

17 Sed posse Angelum in vno instanti transire de extremo ad extremum per medium, docent *Albertus Magnus, Maior, Gregorius, Marsilius, & Henricus citati à recentioribus, præsertim à Vazquez ibi cap. 1. n. 1. & Suar. n. 4.* Et obijcitur: motus fit cum successione propter resistentiam medij: sed Angelo nihil resistit: ergo eius motus de extremo ad extremū fieri potest in instante. Respond. distinguendo, aut explicando maiorem: est enim vera in sensu absoluto, non autem in exclusiuo. Itaque verum est, resistentiā medij esse causam successionis in motu. Falsum tamen, quòd solùm propter resistentiam medij motus fit cum successione; ista enim potest provenire à gravitate mobilis, & à quantitate, seu divisibilitate spatij, cuius partes petunt, non simul sed cū successione transiri per motum localem. Addit benè Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 9. longissimo illo §. Ad argumenta à vers. Ad quartum litt. Z.* spatium divisibile esse veluti resistentiam respectu virtutis limitatæ: vt est virtus Angeli ad movendum se; quæ omnia *vbi*, quæ mediant inter terminos *à quo*, & *ad quem*, non potest simul ponere.

18 Sed contra hanc solutionem dices: luminosum in instante diffundit suā lucem; eo quod in aëre, seu medio non reperit resistentiam, seu formam contrariam, neque impeditur propter distantiam. Sed Angelus non habet aliquid sibi resistens nisi distantiam, seu divisibilitatem spatij: ergo ista non obstante potest

test in instanti transire de extremo ad extremum. Respondetur negando consequentiam. Ideò enim potest luminosum in instãte illuminare totum spatiũ suæ sphæræ; quia ad hoc non est necessarium, quòd ipsummet per suam substantiam se faciat præsens omnibus, & singulis partibus spatij illuminandi. Sicut requiritur, vt Angelus pertranseat de extremo ad extremum.

19 Dices secundò, Aristoteles 4. *Phisicor. cap. de Vacuo* dicit, grave in vacuo moveri, non in tempore, quia nullam habet resistentiam; & tamen in vacuo esset spatium divisibile, seu distantia: ergo ista non impedit, quòd Angelus moveatur in instante de extremo ad extremũ. Respondetur ex Scoto *num.* 17. *citato*, illud antecedens non esse Aristotelis, sed Averrois; nec verum, quia tunc successio proveniret ex distantia, vel divisibilitate spatij. Ex eo autem, quòd motus fieret in vacuo, solùm argueretur, fieri cum maiori celeritate cùm in medio nullum esset corpus resistens: esset tamen ille motus successivus propter distantiam, seu diversas partes spatij, quibus per suam substantiam deberet se præsentare.

20 Dices tertiò: Angelus potest in instanti, se diffundere per omnes partes sui spatij adæquati: (quod supponamus esse vnam leucam) sed tunc non obstat distantia, quæ est inter partes extremas huius spatij: ergo neque obstabit distantia reperta inter partes huius, & illius spatij adæquati. Respondetur negando consequentiam, seu paritatem: eo quòd, cùm omnes partes spatij adæquati Angeli sint intra sphæram illius virtutis activæ, seu cùm habeat virtutem ad se extendendum per omnes illas partes simul omnes, & singulas retinendo per suam præsentiam; potest simul, seu in eodem instanti applicare totam suam virtutem; & consequenter potest simul, seu in eodem instanti se diffundere, & facere præsentem omnibus illis. Cùm autem non habeat virtutem ad se diffundẽdum per plures partes, quàm habet suum spatium adæquatum, nisi relinquendo tot partes sui spatij adæquati, quot de novo acquirit; fit, vt non possit naturaliter simul, & in eodem instãti se extendere ad novas partes nisi cum successione reperta in ipsamet natura motus, qui fit per partes priores, & posteriores. Quod confirmant instantiæ. Prima est corporis, quod simul, & in eodem instanti se facit præsens omnibus, & singulis partibus loci ipsum circumdantibus; vt autem alijs novis partibus se extendat, aut faciat præsens, necessaria est motus successio. Secunda instantia est animæ rationalis, quæ simul; & in eodem instan

instanti informat omnes, & singulas partes corporis; (& simul & in eodem instanti omnes desinit informare) & tamen si trãsmigratura esset de hoc in aliud corpus, aut in partem illius, requireret successionem.

21 Notandum est, quòd quãvis citaverimus D. Thom. pro nostra conclusione; eo quòd affirmet, Angelum non posse mutare locum in instanti nostri tẽporis: cùm tamen existimet posse quidem in instanti temporis discreti; ipse Angelicus Doctor aliqualiter est nobis oppositus. Pro cuius intelligentia est advertendum ex Scoto *in 2. dist. 2. q. 4. §. & vers. Hic dicitur*, D. Thomã, Henricum, & alios existimasse, quòd operatio Angeli intrinseca (nempè cognitio, & volitio) mensuratur tempore discreto. Hoc autem tempus est (secundũ ipsos) quædam species quantitatis discretæ distincta ab oratione, & numero, per quam mensurantur Angelicæ intellectiones, & volitiones: cùm enim Angelus non sit perpetuò in vna intellectione, aut volitione, sed multas cum successione, seu vnam post aliam eliciat; fit, vt illarum mensura debeat esse tẽpus. Prætereà cùm illæ operationes non copulentur aliquo termino communi, aut indivisibili; illud tempus, quo mensurantur, debet esse discretum. Insuper cùm quælibet illarum habeat totum suum esse non per partes, sed simul; tempus, seu mensura illis correspondens debet componi, non ex partibus, (sicut nostrum tempus, seu motus primi mobilis) sed ex indivisibilibus. Hoc tempus discretũ non admittit Scotus ibi §. *Contra conclusionem* latè probans, operationes Angeli viæ, & patriæ mẽsurari ævo: quia habẽt vniformẽ modum permanentiæ cum ipsis Angelis.

22 Hoc de tempore discreto à Thomistis admisso; ab Aristotele ignorato; (quia posuit, Angelos, seu intelligentias esse parvos Deos; & sic non posuit specialem mensuram eorum operationibus: vt notat noster Cauellus *in 2. dist. 2. quæst. 4. in Scholio ad §. Hic dicitur*) & à Scoto reiecto. Hoc, inquam, de tempore discreto supposito. Ad rem accedentes, existimavit D. Thom. *1. p. quæst. 53. art. 3.* Angelum non posse mutare locum in instanti nostri temporis; benè tamen in instanti temporis discreti. Quod malè audiunt aliqui Scotistæ; immeritò tamen: hoc enim etiam fateretur Scotus, si semel admitteret tempus discretum: nam vnum *nunc*, seu instans temporis discreti correspondet, seu coexistit parti temporis nostri: vt explicando sententiam de tempore discreto concedit Scotus ibi §. *Hic dicitur vers. Si quæratur*. Et ideò idem erit dicere Angelum,

gelum posse moveri in instanti temporis discreti, ac dicere, non posse moveri in instanti temporis nostri, sed necessariò consumere aliquod tempus. Quid dicendum sit de tempore discreto constabit *ex cap.9.diff.2. à numero 19.*

23 Videamus tamen, si ea, quæ pro tempore discreto afferũt Thomistæ, aliquo modo nostræ conclusioni positæ *num.16.* opponuntur. Igitur obijciunt: quiescens in aliquo loco per aliquod tempus, necessariò quiescit in tali loco etiam pro vltimo instanti terminativo illius: ergo motus, qui immediatè sequitur, nequit fieri in instanti nostri tẽporis: nam duo instantia non dãtur simul, seu immediatè: ergo fieri debet in instanti temporis discreti. Probatur antecedens: nam quies desinit per vltimum sui esse: vt colligitur *ex 6.Physic. t.3.* Respondetur ex Scoto *ibi q. 11. §.Contra primam vers. Præterea, ratio sua* negando antecedens: nam ex illo sequeretur, quòd in vltimo instanti prolationis verborum formæ Eucharistiæ esset substantia panis, quæ toto tempore antecedente quiescebat, & simul esset corpus Christi Domini; quòd certissime est in prædicto instãti. Secũdò sequeretur, quòd, facta in instanti illuminatione aeris tenebrosi, aër maneret tenebrosus, quia toto tempore antecedenti erat sub tenebris. Respondetur secundò negando vltimam consequentiam: motus enim ille debet fieri in parte temporis, quæ est post vltimum instans quietis.

24 Obijcitur secundò: supponamus Angelum creari in instanti in cœlo Empyrio. Quo supposito, sic argumentor. Tunc potest moveri localiter statim, ac creatus est: quia non est impedimentum: sed ille motus non mensurabitur cum tempore nostro: ergo cum tempore discreto. Probatur minor: quia duo instantia nostri temporis non dantur simul, seu non sunt immediatè. Respondetur negando minorem, si intelligat, quòd initiativum illius motus non poneretur in illo instanti: eo enim quòd habet esse, potest elicere actionem instantaneam, & incipere successivam: concedendo tamen, si intelligat, motum, seu actionem successivam non posse poni in illo instanti, sicuti neque in quocumque alio: est enim per se notum, quòd inextensum (quale est instans) nequit amplecti extensum, qualis est quævis temporis pars.

DVBIVM VI.

25 PEtes sextò, an Angelus possit naturaliter moveri ab extremo in extremum non transeundo per medium? Respondetur negativè. (sermo est de transitu de extremo ad extremum locorum adæquatorum. Recolantur dicta *diff. 2. num. 45.*) Quia quod continuè movetur, prius pervenit in mediū, quàm in extremum: ergo Angelus necessariò prius pervenit in mediū, quàm in extremum. Patet consequentia: quia iste ordo est præfixus ab agente superiori: & consequenter necessarius est cuicūque agenti inferiori. Secundò, quia nulla creatura potest transire de tempore futuro ad præteritum sine transitu per tempus præsens, seu sine eo, quòd coexistat tempori præsenti: ergo neq; Angelus de loco extremo ad extremum sine transitu per locum medium. Ita Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 12. §. Hic dicunt vers. Videtur*, Pilosus *disput. 19. art. vltim. à numero. 4. & Scotistæ communiter.* Quibus adde nostros *Alensem, Bonavent. & Ricardum, ex alijs autem Albertum, Ægidium, & Henricum citatos à Vazquez disp. 196. cap. & n. 1.* Adde etiam *Suar. lib. 4. cap. 22. num. 5.* B *canum cap. 1. quæst. 6. numero 6. & non paucos recentiores.*

26 *D. Thom. quæst. 53. art. 2. Capreolus, Ferrara, & Hervæus, quos Vazquez disp. 196. c. 2. num. 5. citat, & sequitur* addens, sic sentire recentiores Thomistas, dicunt posse Angelum de loco ad locū moveri sine transitu per mediū. Et obijciunt: Angelus est in loco per operationem: sed potest operari in loco extremo, quin operetur in loco medio: ergo potest transire de extremo ad extremum sine transitu per medium. Respondetur negando maiorem. Angelus enim per suā substantiam est in loco: vt dixi *diff. 2. num. 13.*

27 Obijciunt secundò: corpus Christi Domini existens in cœlo, inde adducitur, & fit præsens hostiæ sine transitu per loca, quæ mediant inter cœlum, & hostiam: ergo & Angelus poterit moveri de loco extremo in extremum non transeundo per medium. Respondetur negando consequentiam: quia in primo casu intervenit potentia absoluta, seu infinita Dei: in præsenti autem solùm loquimur de eo quod potest Angelus potentia sua naturali. Ita Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 12. §. Ad primum vers. Ad secundum.*

28 Nota, Scotum resolvendo hanc difficultatem distinxisse medium communicans à medio non communicante; (Vocant medium communicans illud, quod non solùm mediat inter extrema, sed etiam est aliquid extremorum, v.g. pūctum inter

inter duas partes lineæ; aër medians inter duas partes extremas ipsius aeris. Medium autem nō communicans vocant illud, quod mediat quidem inter extrema; non tamen est aliquid illorum; v. g. ignis, aut aër medians inter cœlum, & terram.) & affirmavit, Angelum posse transire de extremo ad extremum sine transitu per medium; si medium sit communicans; secus autem si sit non communicans.

29 Contra quam Scoti resolutionem insurgit Vazq. *disp.* 196. *c.* 3. *à num.* 13. obijciens, nullam differentiam assignasse Scotum, quare Angelus potuerit transire de extremo ad extremū sine transitu per medium participans aliquid extremorum; nō autem quando medium nihil extremorum participat. Respōdetur, Scotum non negâsse absolutè Angelum transiturū per medium participans; sed solùm negasse in illo transitu consumpturum esse aliquod tempus: sicut consumit, quando transiret de extremo ad extremum per medium non communicans, aut non participans aliquid extremorum. Ita *Lichetus ibi*, & *Fabro disp.* 22. *cap.* 1. *n.* 6. Quæ solutio est sufficiens, quidquid obmurmuret Pilosus *disp.* 19. *art. vlt. à n.* 11.

30 Dices: ergo in vno instāti temporis poterit Angelus vi suæ activitatis naturalis transire de extremo ad extremum totius terræ, immo & totius cœli empyrij. Patet, quia omne, quod mediat inter extremas cœli partes, est medium participans. Respondetur negando consequentiā: cuius probatio vera est, sed non contra Scotū, aut nos: quia solùm est intelligenda prædicta doctrina de medio participante, necnon, & de extremo contento intra sphæram spatij, aut loci adæquati Angeli. Itaque vt Angelus de vno extremo sui spatij, aut loci adæquati transeat ad aliud extremum eiusdem spatij, necessariò debet transire per omnia, & singula loca intermedia. In hoc tamen transitu non consumet tempus, sed in eodem temporis instāte omnia loca interposita percurret. Sin verò trāsiturus sit ad extremum, aut partem alterius spatij, non solùm debet percurrere omnia loca media, sed etiam in hoc transitu debet consumere aliquod tempus plus, minusve iuxta distantiam mediantem inter locum, à quo exit, & ad quem est perventurus. Et ratio discriminis est, quòd in priori casu omnia illa loca tàm extrema, quàm intermedia continentur intra sphæram activitatis virtutis potentiæ executivæ Angeli, & sic potest Angelus simul applicare totam suam virtutem executivam ad simul se extendendum per omnia illa loca. In

posteriori verò casu illa loca, non continentur intra activitatem potentiæ motivæ Angeli: & consequenter ad se extendendum per omnia illa spatia, non potest applicare suam virtutem simul & in eodem instanti; sed successivè, & in diverso instanti, vel tempore. Quod apertè explicat exemplum virtutis Angeli ad movendum alia corpora. Supponamus enim, eius virtutem motivam solum se extendere ad movendum vnum corpus. (vnum cœlum v.g.) In quo casu certum debet esse quod ad movendum illud corpus potest simul, & in eodem instanti, vel tempore applicare suam virtutem, seu activitatem. Si tamen vellet, duo corpora movere, non posset simul, sed successive, & in diverso instante, vel tempore suam virtutem debebat applicare, & prædicta corpora movere.

31 Dices secundò: quòd iuxta præfatam explicationem Scotus non respondet ad propositum: erat enim interrogatio, Vtrùm Angelus possit moveri ab extremo in extremum, non transeundo per medium? Quorsum ergo responderet Scotus, si medium est participans, non consumet tempus in hoc transitu; secus autem si medium non sit participans? Respondetur, appræmè respondisse Scotum, sed aliquibus subintellectis, quæ haud difficilè poterant intelligi. Summa ergo responsionis Scoti hæc est. Dico, quòd Angelus sua naturali virtute nequit transire de extremo ad extremum, quin transeat per medium. Et, si me aliquis interroget, (finge Scotum loqui) an in tali transitu Angelus consumat tempus? Respondeo, attendendam esse naturam medij talis transitus; necnon, & an extremum, ad quod transit, contineatur intra sphæram sui loci adæquati. Si enim medium est participans, poterit Angelus transire de extremo ad extremum in eodem temporis instanti. Si autem medium non sit participans, consumet Angelus tempus in hoc transitu. Immo etsi sit participans, dummodo transeat extra sphæram sui spatij adæquati.

32 Hic nota præcipuè cum Lycheto *in 2. dist. 2. quæst. 12. §. Tertia conclusio vers. Dicit Doctor*, in quocumque transitu servãdum esse ordinem naturæ, quem inter se se servant partes illius spatij transeundi. Et ideò si transitus fit in instanti temporis; (vt fieret, si Angelus se coangustasset ad vnam partem sui spatij adæquati; & posteà se extenderet, & quasi diffunderet ad totum spatium) in aliquo priori naturæ transit partem spatij sibi propinquiorem, & in alijs poste-

posterioribus partes suo ordine remotiores. Quare etiam in isto transitu instantaneo est aliqualis successio: sicut, quando luminosum instantaneè illuminat omnes partes aëris contentas intra sphæram suæ activitatis; cum aliquali successione, & subordinatione vnius partis ad aliam per omnes illas diffundit lumen.

DVBIVM VII.

33 PEtes septimò, vtrùm Angelus de potentia absoluta posśit transire de extremo ad extremum, non transeundo per medium? Respondetur negativè. Quia non capitur, quòd Angelus transeat sine transitu per medium. Poterit quidem Deus Angelum existentem Romæ v. g. annihilare, & posteà eumdem numero reproducere Madriti: in quo casu existet Madriti, quin transierit per loca, quæ sunt inter Romam, & Matritum. Tamen conservando substantiam Angeli, & adducendo illum de vno loco ad alium, non capitur, quomodo posśit, non transire per loca intermedia.

34 Dices, quòd Scotus *in 2. distinct. 2. quæst. 12. §. Ad primum vers. Ad secundum* dicit, quòd potentia absoluta, seu infinita Dei virtus *quodcunque medium inter extrema potest habere pro non medio, & ordinem pro non ordine: quia est supra illum ordinem præfigens illum, & non habens illum pro præfixo*: ergo existimat, quòd, quamvìs creatura necessariò debeat servare istum ordinem, quem Deus præfixit, nempè quod nulla creatura transeat de extremo ad extremum nisi per medium; potest tamen Deus illum ordinem non servare: & consequenter adducere, seu transferre Angelum de vno loco ad alium, quin transeat per loca media. Respondetur negando consequentiam: ideò enim dicit, non teneri Deum servare prædictum ordinem, & posse habere medium pro non medio; quia potest Angelum existentem Romæ v. g. constituere Matriti, eum ibi annihilando, & posteà eumdē numero Matriti reproducendo, vel fortè alijs modis; tamen si per actionem adductivam Angelus de Roma transferendus sit ad Matritum. v. g. necessarium est, quòd omnia loca intermedia pertranseat.

35 Contra, quòd corpus Christi Domini existens in cœlo fit præsens hostiæ sine trāsitu per mediam distantiam, quæ est inter cœlum, & hostiā: ergo & Angelus poterit de potentia absoluta moveri de extremo in extremum non tran-

secundo per medium. Consequẽtia, aut paritas videtur aperta: antecedens autem supponunt communiter Authores; & non pauci illud expressè fatẽtur, prçcipuè Scotus numero praecedenti citatus. Respondetur negando antecedens: ad probationem omitto examinare, quid alij auctores de illo antecedente sentiant. Quae autem fuerit Scoti mens, explicui numero praecedenti. Ad hoc enim argumentum respondebat; quando dixit, quòd virtus infinita potest habere pro non medio quodcumque medium: nempè quia potest rem existentem in vno loco cõstituere in alio sine transitu per medium; vtendo v. g. actione propriè conversiva, transubstantiativa, aut reproductiva: si tamen Deus vti voluerit actione adductiva, vt corpus Christi Domini fiat praesens hostiae, necessariò transiturum est per omnia loca media inter coelum, vnde adducitur, & hostiam, vbi collocatur. Quod autem corpus Christi Domini fiat praesens hostiae per actionem adductivam, hoc est, qua de coelo adducitur ad species; saltem probabiliter docet Scotus *in 4. dist. 11. q. 3.* §. *Quantum ergo vers. Si dicas.*

36 Dices: ergo motus successivus fit in instanti. Patet: quia in vltimo instanti prolationis verborum consecrationis corpus Christi Domini è coelo adducitur ad hostiã: ergo in illo instanti temporis cum ordine prioritatis, & posterioritatis naturae, quem inter se habent omnia *vbi*, aut loca intermedia, illa pertransit. Respondetur distinguendo consequens: est enim verum de successione se tenente ex parte spatij: falsum tamẽ de successione se tenente ex parte temporis. Sicut quando sol illuminat totũ aërem contentum intra suam sphaeram, illum illuminat cum successione se tenente ex parte spatij; non tamen ex parte temporis: quamvis enim cum prioritate, & posterioritate naturae has, & illas partes illuminet; tamen omnes, & singulas illuminat in vnico temporis instanti.

37 Contra: ergo in eodem instanti simul sunt motus, & mutatum esse, seu fieri, & factũ esse alicuius rei. Respondetur, hoc in quocumque motu, aut (propriè loquendo) mutatione instantanea reperiri; in illa enim subiectum mutationis in prioritate naturae praecedit actuatum per motum; & in eodem instanti reali temporis solùm posterioritate naturae interveniente; actuatur per terminum motus, seu mutationis. Vt patet in illuminatione, quae fit in instanti.

38 Dices, hoc quidem posse contingere in illuminatione, aut alijs similibus, non autem in motu locali, quia *vbi* illa

illa intermedia deberent accipere esse, & illud deperdere in eodem temporis instanti: & cōsequenter de eodem simul verum esset, quòd erat, & non erat in eodem instanti. Respondetur quòd, quando in instanti mobile pertransit diversa *vbi*, omnia quidem recipiunt esse in illo instanti, nullum tamen illorum *vbi* perdit esse aut desinit in illo instanti, sed omnia simul perseverant vsque ad tempus immediatum, in quo desinunt, seu amittunt esse. Cuiꝰ ratio est, esse omnino impossibile, quòd in eodē instanti, in quo res accipit esse, illud amittat: aliàs simul esset, & non esset. Atque adeo de omnibus, & singulis *vbi* intermedijs erit per illo instanti verum dicere; nunc sunt, & tempore immediato non erunt.

39 Contra: de ratione successivi est habere partes fluentes, & non omnes simul; sed *vbi* aut locus acquiritur cum successione: ergo, quando adquiritur vnū *vbi* intermedium, deperditur aliud præexistens: ergo falsò diximus, omnia simul perseverare pro illo instanti. Probatur maior: quia in hoc differt successio, aut motus successivus à permanentia: cuius partes necessariò, & essentialiter exigūt esse simul: successio verò essentialiter petit habere partes fluentes, & nō omnes simul tempore. Et ideò omnino est impossibile, motū propriè sumptū (hoc est pro fluxu, aut successione) fieri in instanti: aliàs transiret ad esse permanentis. Minor autem illa, quod *vbi*, aut locus acquiritur cum successione, constat experientia. Consequentiæ demum videntur legitimæ.

40 Respondetur distinguendo minorē: est enim vera de facto; & falsa de possibili. Similiter distinguendum est primum cōsequens: est enim verum, quod de facto, quando acquiritur novū *vbi*, aut locus, deperditur præexistens: de possibili autem hoc non est necessarium. Vt patet in casu, quòd Deus idem corpus, aut spiritum collocet in pluribꝰ locis. Igitur verum est, de facto acquiri *vbi* cum successione: & ideò ad adventū novi *vbi* deperditur aliud *vbi* præexistens: tamē *vbi* ex natura sua est permanens: & ideò ablata successione, cum qua acquiritur, potest simul cū alio *vbi* perseverare. Vnde fit, vt multa *vbi* simul habeat idem corpus, aut spiritus de potētia absoluta; quāvis nullatenus fieri possit, vt partes successionis, aut motus simul perseverent in eodem tempore, aut instanti.

41 Dices, Scot. *in 2. dist. 2. q. 11.* §. *Dico ergo vers. Hoc ergo supposito*, affirmare, Angelum virtute sua naturali posse in instanti mutari localiter, hoc est, acquirere *vbi*, locū, aut terminum motus: ergo sentit ad hoc non esse recurrēdū

ad potentiam Dei absolutam. Resp. loqui de *vbi*, aut loco cōtento intra sphæram sui spatij, aut loci adæquati: nos autem de acquisitione loci, aut spatij existentis extra illam sphæram.

¶ Instabis, quòd Scotus videtur loqui absolutè de quocumque motu Angeli, sive per illum acquiratur locus aut *vbi* contentū intra suam sphærā loci adæquati, sive extra. Quod patet ex ipsius verbis: sic enim loquitur de motu instantaneo Angeli: *Non videtur inconveniens, quin posset mutari in instanti, quia, quòd terminus motus, non statim inducatur, hoc est ex imperfectione virtutis ipsius moventis: quæ imperfectio non est attribuenda Angelo, nisi aliqua necessitas appareret: quia dignificanda est natura, quantum apparentia permittunt.* Resp. persistēdū esse in dicta solutione, nēpè Scotum solùm loqui de motu, quo acquirit Angelus locum contētum intra sphæram sui spatij adæquati; non autē de motu, quo acquirit locum contentū extra illam sphæram. Et ratio est, quòd Angelus virtute sua naturali nequit esse in duobus locis adæquatis: vt cum Scoto, & communi sententia diximus *diss. 2. n. 41.* & ideò nequit Angelus virtutem, quam habet ad existendum in loco, applicare ad novū locū, nisi relinquendo priorem.

42 Dices, quòd potest relinquere priorē in aliqua prioritate naturæ, & in alia posteritate naturæ poterit acquirere novū: & cōsequenter in eodē instanti tēporis potest vtrumque facere. Resp. negando: ex hoc enim sequeretur, quòd in illo temporis instanti simul esset in duobus locis adæquatis. Quare quádo Angelus mutat locū adæquatū, potest quidē totum priorem relinquere, & per partes, & simul in eodē instanti; debet tamen in termino seu extremo illius loci subsistere, seu immorari saltem pro vnico temporis instanti, antequā incipiat, novum locum acquirere; non quia virtus Angeli fuerit diminuta, aut ipse fatigetur acquirendo novū locum; sed ne simul sit in duobus locis adæquatis. Postquā autem substiterit, aut fuerit immoratus in termino prioris loci, quē relinquit, poterit acquirere novum in tempore vel instāti; sicut sibi placuerit: dummodò semper attēdatur ne duo tēporis instantia sint immediata: quia tempus est quid continuum constans ex partibus copulatis per instantia.

DVBIVM VIII.

43 PEtes octavò, an Angelus possit moveri in instāti? Resp. affirmativè loquendo de motu, quo movetur ad acquirēdum *vbi* aut locum contentum intra sphæram sui loci adæquati. Quia habet virtutem acquirendi sibi locum: & aliàs esset im-

imperfectio tam excellentis naturæ, quòd illum non posset acquirere in instanti, seu statim, ac vult ponere terminum motus localis: vt *num.* 41. probabat Scotus. Sin verò loquamur de motu, quo movetur Angelus ad acquirendum locum, aut *vbi* côtentum extra sphæram sui loci adæquati, dicendum est, illud non posse acquirere in instanti. Quia sequeretur, in eodē instanti esse in duobus locis adæquatis; vt satis constat ex dictis dubio præcedenti, præcipuè *à num.* 41.

44 Iuxta hanc resolutionem intelligo Scotum *in 2. dist. 2. q.* 11. § *Dico ergo à vers. Hoc ergo* dicētem, *quòd potest intelligi duplex mutatio. Vna includens totam realitatem motus: alia præcisè includens realitatem termini motus.* Et resolvit Scotus, quòd non potest Angelus mutari in instanti motu, seu mutatione includente totam realitatem motus; hoc est, quòd non potest moveri motu successivo in instāti: benè tamen motu, seu mutatione includente realitatem termini motus, hoc est, quòd virtute naturali potest in instanti acquirere locum, seu *vbi*. Igitur quando concedit, Angelum in instanti posse acquirere locum, aut *vbi*, loquitur de contento intra sphæram sui loci adæquati. Quando autem hoc negat, loquitur de loco contento extra sphæram prædicti loci adæquati. Et ratio est, quòd habet virtutem naturalem Angelus ad acquirendum totum suum locū adæquatum in instanti; non autē ad acquirendum, aut existendū in duobus locis adæquatis. Et consequenter ad acquirendum novū locum adæquatum requiritur temporis successio, seu saltem quòd pro vnico instanti requiescat Angelus in vltimo termino sui loci adæquati, antequàm incipiat novum locum acquirere: vt *numero* 42. dicebamus. Quod ad acquirendum locum contentum intrà sphæram sui spatij adæquati non requiritur.

45 Iuxta hanc resolutionem intelligo etiam, quomodo sint accipiendi Authores omnino dissidentes circa hanc quæstionem, vtrùm Angelus possit localiter moveri in instanti? Affirmant enim *Albertus, Henricus, Gregorius, Maior, & Marsilius citati à Vazq. disp.* 197. *cap. & num.* 1. Negant tamen *D. Thom. D. Bona, Ricard. Ægid. Gabriel, Capreol. & Fer. quos citat, & sequitur Vazq. ibi cap.* 2. *citans etiam Scotum, & dicens, quòd ita docent Caietanus, & communiter recentiores.* Ego autem iuxta dicta prædictas sententias facilè concilio. Est enim vera sententia affirmativa, loquendo de motu, quo acquiritur locus, seu *vbi* contētum intra sphæram loci adæquati Angeli. Est etiam vera sententia negativa loquendo de motu, quo

acquiritur locus, seu *vbi* contentum extra locum adæquatum Angeli.

DIFFICVLTAS IIII.

De motu locali, quem Angelus potest exercere circa alia.

ANgelum movere localiter alia, constat ex Scriptura: dicitur enim *Daniel.* 14.*n.*35.*& apprehendit eum* (Habacuc) *Angelus Domini in vertice eius, & portavit eũ capillo capitis sui.* Immo hæc veritas à Philosophis receptissima fuit: & ideò dixerunt, intelligentias movere cœlos: vt constat ex Aristotele 12.*Metap. tex.*44. Et ratio est, quòd potentia ad movẽdum localiter alia nullam dicit imperfectionem (alias non poneretur in Deo) sed illã experimur in rebus corporalibus: ergo à fortiori cõcedenda est Angelo; qui corporalia excedit in perfectione. Quo supposito, aliqua restãt examinanda.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an virtus, seu potentia ad movendum localiter alia insit Angelo naturaliter? Respondetur affirmativè. Quia hæc potentia naturaliter inest rebus corporeis: ergo & Angelo; qui est excellentioris naturę. Vnde certum debet esse, hanc potestatem non esse annumerandam inter dona, quæ Deus gratuitò concessit Angelo. Quomodò autem hæc potentia distinguatur tàm à natura Angeli, quàm ab alijs passionibus, aut potentijs illius, constat ex dictis *cap.* 2.*diff.*7:*à num.*3.*& rursum cap.*8.*diff.*1.*num.*2. Pullulat enim hæc potentia à natura Angeli, tãquam vera, & propria illius passio. Et ideò comparanda est cum natura, & passionibus illius, sicut comparatur quæcumque alia potentia, seu passio.

2 Notat tamen Scotus *in* 4.*distinct.*10.*q.*8.9.*Ad argumenta v rs. Ad tertium* ex Magistro sententiarum *in* 2.*dist.*7. quòd multa possent ex natura sua mali Angeli, quæ non permittuntur eis. Immo, & idẽ de bonis est dicẽdũ: quia sunt eiusdẽ naturæ. Et ideò non tàm attendendum est ad naturalem illorum facultatẽ, quã ad divinam ordinationem. Propter quod, cùm ordo vniversi certis Dei legibus definitus sit, simpliciter ordinem vniversi invertere non possunt. Hinc constat, quod, quamvis attenta vi motiva naturali Angeli, possent animalia occidere, arbores eradicare, mõtes trãsferre, & multa alia quæ per violentum localẽ motum fieri possunt; illa tamen nec faciunt; nec pertimescendum est,

est, quòd faciant aliquando nisi ad nutum voluntatis divinæ: quia illorum naturalis potentia alligata est per voluntatem, & dispositionem divinã: de qua ipsis iam constat; & ideo non conantur suam naturalem potentiam, aut virtutem exercere circa generaliter ipsis non permissa, nisi quando præcognoscunt, sibi esse permittendum. De quo videatur Suarez *lib.4. cap. 27. num. 6.* Huc etiam spectat, quod diximus *cap.4. diff.4. à num. 30.* nempè posse Angelum naturaliter cognoscere secreta cordium. Cum quo tamen cohæret, quòd illa de facto non cognoscat: eo quòd Deus illa occultare disposuit propter bonum communitatis: vt expẽdebamus *ibidem n. 43.*

3 Sed contra conclusionem obijcies: Angelus nequit vi sua naturali causare substãtiam, aut accidens absolutum: ergo neq; motum localem. Patet consequentia: quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. Respõdetur negando consequentiam propter dicta *diff. 1. huius capitis à num. 1.* ¶ Obijcies secundò, quòd non potest causare motũ localem in corpore externo, nisi per impulsum impressum in illo: sed Angelus talem impulsum non potest imprimere: ergo neque motum in alio causare. Respondetur negãdo minorẽ propter dicenda *à num. 4.* ¶ Obijcies tertiò, si Angelus posset naturaliter movere corpora, sequeretur, posse naturaliter totum vniversi ordinem invertere; vt totam terram è loco suo movere; cælos velociùs, vel tardiùs circumferre; & multa alia. Respondetur negando sequelam propter dicta *num. 2.*

DVBIVM II.

4 Petes secundò, an quilibet Angelus possit quod libet corpus movere localiter? Respondetur negativè. Quia Angelus est limitatæ virtutis, & perfectionis: sed virtus motiva respectu corporum proportionatur in Angelo cum eius naturali perfectione, seu essentia, à qua dimanat, tamquam passio: ergo hæc virtus motrix est limitata. Rursus non omnes Angeli sunt æquales in naturali perfectione: ergo neque illorum potentia, aut virtus motrix erit in omnibus æqualis: & consequenter vnusquisque solùm poterit movere illud corpus, cum cuius magnitudine illius potentia, aut virtus motrix habet proportionem. Hanc cõclusionẽ clarè insinuat Scotus *in 2. d. 8. in fine*, quatenus affirmat, quòd per potentiã motivam *Angelus potest corpus movere de loco ad locum, quod non improportionabiliter excedit ipsius virtutem motivam.* Ipsam conclusionem tenet expressè Pilosus *disp. 6. art. 13. num. 4.*

DVBIVM III.

5 PEtes tertiò, an vnus Angelus possit alium Angelum localiter movere, vel detinere invitum? Respondetur affirmative. Quia in corporalibus agens maioris efficaciæ, & virtutis movet aliud localiter, velit, nolit, atque ipsum localiter detinet invitum: ergo à simili Angelus, qui habet efficaciorē virtutem motivam, poterit aliū invitè movere, & detinere localiter. Modò sic. Sed Angelus superior habet maiorem virtutem motivam, quàm habet inferior: poterit ergo inferiorem movere, & detinere localiter etiam invitum. Hanc conclusionem satis insinuat Scotus *in 4. dist. 44. q. 2. §. Ad quæstionem versic. Detinens autem* quatenus affirmat, quòd *contra voluntatem Angeli non habentis saltem Angelum superiorem non posset fieri sic detentio, nisi à Deo immediate*: sentit ergo, quòd Angelus habens Angelum superiorem ab illo potest localiter detineri invitus, & moveri: est enim eadem ratio de motione, ac detētione. Expræssè tenēt nostram conclusionem Pilosus *disp. 16. art. 4. n. 4. & 5. Maior, Cunel, & Pesantius, quos citat, & sequitur Suarez lib. 4. cap. 28 num. 3.* quod idem ante iam docuerat *in metaph. disp. 35. sect. 6. num. 28.*

6 Sed Vazquez *disp. 194. cap. 3. num. 11.* existimat, quòd, si vnus Angelus, quantumcumque excellens sit, alterum loco expellat, hoc non facit, nisi virtute, & imperio Dei: & idem dicet cōsequenter de detētione in loco. Et obijcit, quòd ex opposito sequeretur, bonum Angelum non posse dœmonem superioris speciei alligare, aut expellere ex aliquo loco: cum ab eo potiùs superaretur in virtute naturali motiva. Respondetur, quòd in nostra sentētia omnes Angeli sunt eiusdem speciei athomæ iuxta dicta *cap. 3. diff. 2. à num. 27.* Quia tamen idem argumentum fit de dœmone superioris perfectionis individualis; ideò illo de distinctione, aut indistinctione specifica omisso respondetur, quòd quando bonus Angelus ditineret in aliquo loco, aut inde expelleret dœmonem superioris perfectionis naturalis, hoc faceret per virtutem communicatā sibi à Deo ad hunc effectum. Qua ratione idem faciunt homines sancti: si tamen prædicta detentio, aut expulsio fiat ab Angelo superiori, fit vi, & efficacia naturali ipsius potentiæ, aut virtutis motricis.

7 Obijcit secundò, quod proprium est corporum moveri, aut detineri localiter ab extrinseco motore: ergo Angeli nequeunt sic moveri, aut detineri. Respōdetur cum Suarez *ibi num. 4.* negando antecedēs: absolutè enim est falsum; cum Angelus etiam

à

à Deo sic possit moveri. Sin verò intendat, proprium esse corporum, & non spirituum posse localiter moveri, & determinari ab aliqua creatura, petitur principium: nam hoc est quod investigamus, an sola corpora, vel etiã spiritus possint ab Angelo moveri.

8 Ex dictis infero, Angelum inferiorem posse localiter movere, & detinere Angelum superiorem, si aliàs superior non resistat. Quia tunc non appareret, quid obstaret tali motioni, aut detentioni.

9 Infero secundò, Angelum superiorem posse localiter movere, & detinere inferiorem nõ solùm quãdo non resistit. (quidquid dicat Cumel cum nonnullis aliis) Quia hoc experimur in agentibus corporeis: sive enim resistant, sive non, vincuntur à superioribus. Sed obijcit Cumel: potentia motiva Angeli est indistincta ab eius voluntate: ergo resistit Angelus inferior eliciẽdo volitionem. Sed voluntas nõ potest pati violentiam in actibus elicitis: ergo neque in motu. Respondetur negando antecedens propter dicta *cap. 2. diff. 7. à num. 4.* Respondetur secundò, omisso illo antecedenti, & concedendo primam consequentiã. Ad minorem subsumptam dico, esse omnino verum voluntatem non posse pati vim, aut violentiã recipiendo, aut eliciendo aliquẽ voluntatis actum: quia violentum debet esse ab extrinseco cõtra inclinationem subiecti: quòd nulli actui voluntatis potest cõvenire: quia, cum illos ipsa efficiat, non sunt ab extrinseco. Prçterà non possunt recipi contra eius naturalem inclinationẽ. Cũ quo tamen benè stat, quòd ipsamet voluntas eliciat actum, qui contradicat obiecto, vel materiæ volitæ ab ipsa voluntate per alium actum priorem. Insuper cum illa doctrina benè stat, quòd ipsa voluntas recipiat aliquem habitum, impulsum, aut aliam qualitatem, qua inclinetur ad faciendum contrarium illius, quod per aliquem actum iam voluerat. Quamvis enim tunc verum erit, quòd voluntas non patitur vim in recipiendo illum habitum, impulsum, aut qualitatem: quia etsi producatur ab aliquo extrinseco (vt suppono) tamen non potest esse contra eius innatam inclinationem; quia ipsa naturaliter est propensa ad recipiendum habitus & quantitates sibi proportionatas. Inclinabit tamen illam ad oppositum illius, quod ipsa vult, vel voluerat. Hac ratione homo invitus, & contra actum voluntatis raperetur ad supplicium.

DV-

DVBIVM IV.

10 PEtes quartò, quomodo Angelus moveat alia? Respondetur, illa movere imprimendo in eis quamdam qualitatem, quam vocant impulsum. Ità tenet probabiliter Becanus *cap. 1. quæst. 15. num. 8. citans Conimbricenses, & Molinam*: & partim consentit Suar. *lib. 4. cap. 11. à n. 5. & Vazquez ab ipso citatus*. Et ratio est, quòd sic benè percipitur, quomodo fiat iste motus ab agente creato, à simili de homine sic movente proiecta. Sub hac conclusione comprehendimus corpus, animam separatam & alium Angelum. In quolibet enim istorum Angelus imprimit impulsum ad motum localem.

11 Sed Pilosus *disp. 16. art. vltimo num. 2.* existimat, impossibile esse, Angelum in alio Angelo causare talem impulsum: & *num. 2.* addit, nec posse Angelũ impetum directè causare in alio corpore; sed solùm indirectè applicando activa passivis. Et obijcit contra nostram conclusionẽ: talis impulsus esset omnino inutilis ad motum localem causandum: ergo non datur. Antecedens probatur: quia deberet subijci voluntati Angeli, in quo inhæreret: ergo motus nõ causaretur per illum, sed per voluntatẽ permittẽtem illum motum. Secundò, quia ille impulsus non esset maior activitate potẽtię motricis ipsius Angeli, qui illum recipit: ergo resistente Angelo, ille impulsus nullũ habebit effectũ. Respondetur in primis, quòd omnibus his admissis, nullo modo probaretur impossibilitas impulsus recepti in Angelo. Resp. secũdò negãdo assumptũ: ad primam probationem dico, talem impulsum nullo modo subijci, aut subordinari voluntati Angeli recipientis illum: vt patet quando homini imprimitur impulsus proiectionis. Ad secundam probationem etiam nego antecedens: sicut enim Angelus movens exuperat activitatem Angeli moti; ita impulsus ab illo impressus exuperat eius activitatem: quia est instrumẽtum illius & instrumentum, cùm substituatur loco causæ principalis, tantam virtutem, aut activitatem habet, quãtam habet causa principalis.

12 Obijcit secundò: impulsus est qualitas corporalis omnino divisibilis: ergo non est effectus commensuratus Angelo, qui est spiritualis: ergo neque potest produci ab Angelo, neque in Angelo recipi. Respondetur negando antecedens: impulsus enim non est divisibilis determinatè nisi quãdo recipitur in subiecto divisibili: ex se autẽ neq; est determinatè divisibilis, neq; indivisibilis: sicut de motu locali

cali, cuius gratia ponitur prædi-ctus impulsus, dicebamus *diff*. 1. *num*. 8.

13 Contra: ergo saltem quãdo hic impulsus est corporeus, quia recipitur in subiecto corporeo: non poterit produci ab Angelo. Patet, quia solùm propter improportionem, quæ est inter corporeum, & spirituale, seu incorporeum diximus *diff*. 1. *num*. 4 non posse Angelum producere physicè substantiam corpoream, aut aliquod accidens absolutũ. Et hinc vrgetur: est enim hic impulsus accidens absolutum: & consequenter videtur cõtra ibidem dicta affirmare, quòd potest produci ab Angelo, & quòd de facto producitur. Respondetur negãdo consequentiam. Ad probationem dico, rationem illam de improportione non esse nimis efficacem, sed quamdam coniecturam. Nec mirum: non enim omnia possunt efficaci ratione probari.

14 Igitur illi coniecturæ adde cum Becano 1. *p. tract*. 3. *cap*. 1. *q*. 15. *num*. 7. Angelum in se habere formaliter vim motivam, qua potest se movere; vt omnes fatentur. Quævis, cùm sit spiritualis, eminenter continet vim motivam corporalem, & ideò per eamdem suã vim potest Angelus movere corpora. Quòd si constaret, Angelum eodem modo habere quamdam vim spiritualem, quæ eminenter cõtineret vim corpoream calefaciendi, aut similes alterationes efficiendi in se ipso; tunc concedendum foret; ipsum etiam posse immediatè calefacere, & alterare materiam corpoream. Cùm autem solùm constet, Angelum habere vim se movendi localiter, non autem producendi in se aliquam substantiam, aut quãtitatem molis, vel aliam qualitatem per se sensibilem, nempè calorem, frigus, colorem saporem, &c. ideò negamus, ipsum posse producere substantiã, quãtitatem molis, aut aliũd accidẽs corporeum; etsi concedamus, eum posse producere impulsum corporeum: etenim iste conducit ad motum localem efficiendum: & consequenter virtualiter, & eminenter continetur in vi, seu potentia, quam ad se movendum habet Angelus. Vnde patet responsio ad id, quod, quasi in confirmationem, vrgebat.

15 *Suarez, & Vazquez num*. 10. citati affirmant, non esse necessarium, Angelum imprimere mobili impulsum ad movendũ illud, quando ipse proximè adest, & per se potest motum efficere. Cùm autem nostra conclusio absolutè affirmet; semper prædictum impulsum esse ponẽdum; ipsi nobis obijciunt Etsi in motu proiectionis sit necessarius ille impulsus, tamen in motu attractionis, & portationis non videtur

detur necessarius : vt patet in hominibus; qui quando aliquid proijciunt, ei imprimunt impulsum ; secus autem quando illud manu attrahunt, aut aliter portant. Quare quãdo Angelus portavit Habacuc in Babylonem *Daniel* 14. & quando Angelus apprehendit Ezechielem in cincinno capitis, & elevavit eum inter cœlum & terram. *Ezech*.8. atque in similibus nullus impulsus intervenit. Respondetur, in quocumque eventu esse necessarium prædictum impulsum, vt Angel⁹ localiter moveat aliud; quia non apparet alius modus, quo possit movere. Neque est simile de homine: iste enim physicè attingit, tenet, & portat rẽ: quare non eget impressione alicuius impulsus, aut instrumẽto coniuncto, aut separato. Angelus autem nullum alium modum habet apprehendendi, atq; trahendi, & portandi aliud, nisi imprimendo prædictum impulsum: non enim habet manus ad apprehendendum, aut tenendũ, neque humeros ad corpus aliquod portandum.

16 Dices, quòd Angelus movet corpus per suum imperium, aut per velle efficax: sicut volũtas movet potentiam locomotivam, & alias sibi subditas non imprimendo aliquam qualitatẽ, seu impulsum : & sicut anima movet corpus, cui est vnita. Sed contrà, quòd voluntas, & anima est physicè vnita corpori; & ideò benè percipitur, quòd ipsum physicè moveat, quin illi imprimat qualitatẽ ; sed solùm se movendo secum ferat corpus : sicut quando alium apprehendo manu, illum mecum traho per cõiunctionem, quam iam habet mecum.

17 Obijcies secundò cum Suar. si Angelus per impulsum moveret lapidẽ v.g. sequeretur, Angelum posse movere illum à se distantẽ, imprimendo illi impulsum. Probatur sequela; quia posset actionem illam productivam impulsus per medium diffundere, quin moveret mediũ, vel quia qualitas in medio esset diversæ rationis; vel quia mediũ propter subtilitatem, aut aliam indispositionem nõ esset capax talis motionis, seu impulsionis. Sicut dici solet de pisce immittente torpoream qualitatem in brachium per mediũ, in quo similẽ qualitatem non producit. Item sequeretur, posse Angelũ attrahere ad se corpus distãs, ipso Angelo immoto manente. Tertiò sequeretur, Angelũ posse movere cœlum imprimendo illi impulsum, per quem perpetuò moveatur, etiam si Angelus recedat, & omnino ab actione movendi per se ipsum cesset. Potest quippè impulsus conservari, cessante actione principalis agentis.

18 Resp. nullum ex his incõmodis

modis omnino convincere, eadēque ſequi in ſentētia, quæ affirmat, Angelū movere corpus per imperium efficax ſuæ volūtatis. Igitur prima ſequela diſtinguenda eſt: quia ſi corpus movēdum ſic diſtet ab Angelo, vt ſit extra ſphæram activitatis potentiæ motivæ Angeli, falſum eſt, poſſe illi imprimere impulſū. Sin tamen etſi ſit diſtans localiter, maneat intra illam ſphærā, poterit illi imprimere impulſum illudque movere. Sicut poſſet per imperium. Eodē modo reſpondetur ad ſecundum incōmodum. Si enim corpus aliquod ſit intra ſphæram virtutis motivæ Angeli, ipſe immobilis manēs poterit illud ad ſe attrahere. Secus autem ſi ſit extra talem ſphærā. Sicut ego poſſum ad me attrahere corpus, quòd per extenſionē mei brachij poſſum apprehēdere; non autē, quod apprehēdere nō poſſum. Inſtar enim mei brachij eſt virtus motrix Angeli. Ad tertiam ſequelā reſp. poſſe quidem Angelum movere cœlum per impulſum in illo impreſſum: ille tamen motus nequit eſſe perpetuus: quia impulſus ex natura ſua decreſcit, & finitur: vt patet in proiectis.

DVBIVM V.

19 PEtes quintò, an per motum localem applicādo activa paſsivis Angelus poſsit operari aliquid mirabile? Reſpondetur affirmativè. Quia cognoſcūnt virtutes cauſarum naturalium, & in qua proportione, tēpore, & loco debent applicari, vt ſuos effectus cauſent. Cùm autem multi horum effectuum ſint nobis occultiſsimi, & rarò videātur, ſunt quidem nobis mirabiles. Nullum tamen verum miraculum poſſunt Angeli (etſi omnes adhoc conſpirarent) efficere. Quia verum miraculum excedit vires omnium cauſarū naturalium.

20 Sed pro pleniori horum notitia enumeremus cum auctoribus aliquot ex mirabilibus effectibus, quos Angeli mediante motu locali applicando activa paſsivis poſſunt efficere. Primò poſſunt, ignem citiſsimè è ſuo loco elementari portare, & applicare ad inflammandum domos, ſegetes, &c. iuxta illud *Iob 1. num. 16. Ignis Dei decidit è cœlo, & tactas oves, puerosque conſumpſit.* Secūdò poſſunt, immittēdo vehementes, & turbulentos ventos, ædificia diſſoluere: iuxta ibidē n. 19. dicta: *Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, & corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* Tertiò poſſunt, excitare tempeſtatem in mari; vel cōmovendo aquas maris ab imo; vel magnos ventos immittendo. Quartò poſſunt cauſare magnos terræ

ræ motus agitando exhalationes terræ visceribus inclusas. Quintò possunt, in humano corpore causare morbos, conturbando humores; somnia, movendo phantasma; dolores, distrahendo compages, & connexiones membrorum. Sextò possunt varios morbos sanare, applicando herbas, & medicinas, quarum vim, naturam, & efficaciam optimè callent. Septimò quidquid per occultas virtutes herbarum, lapidum, gemmarum, succorum, & animalium fieri potest, hoc possunt præstare Angeli, applicando illas virtutes ad agendum. Octavò possunt, quælibet corpora ex vno loco transferre ad alium; res præsentes subitò è conspectu nostro subtrahere; absentes citissimè facere præsentes; movere statuas, vt videantur ambulare; movere linguam asinæ: vt videatur loqui; & multa alia mirabilia. De quibus videatur Scotus *in 2. dist. 8. quæst. vnica per totam*, *Suarez lib. 6. capit. 16. & Becanus*, qui omnia ista congessit 1. *part. tract. 3. capit. 1. quæst. 15. n. 14.*

DIFFICVLTAS V.

De assumptione corporum ab Angelis facta.

DE hac assumptione agimus in præsenti capite; quia fit per motum localem; vt ex dicendis constabit.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an sit certum, Angelos assumpsisse aliquando corpus, aut in corporali forma apparuisse? Respondetur affirmativè. Quia sæpè dicit Scriptura, Angelos sub diversis formis corporalibus apparuisse hominibus *Genesis enim 3.* dœmon sub specie serpentis apparuit, & loquutus est Evæ. Et *c. 18.* tres Angeli in forma virorũ apparuerunt Abrahæ: *& cap. 19* duo Angeli venerunt Sodomã in figura peregrinorum: & alibi passim. Quare de hoc nulla est apud Theologos controversia. Qui etiã conspirant in hoc, quòd Angelus dicitur sumere corpus illud, sub cuius forma apparet.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, quomodo Angelus assumat corpus, in

in quo apparet? Respondetur, quod per vnionem accidentalē cum corpore illo. Ad quā vnionem tria requirunt communiter auctores. Primum est, quòd Angelus substantialiter, hoc est, verè & realiter per suam substātiā, existat in corpore assumpto. Secūdū est vt existat in illo, sicut motor in mobili. Tertiū est, vt vtatur illo tāquam instrumēto ad se manifestandum. Et defectu huius tertiæ cōditionis non fuit assumptio propriè dicta, quando diabolus assumpsit serpentē ad decipiendum Evam: neque quando obsidet energumenorum corpora: neque quando assumpsit linguam asinæ Balaam ad loquendum: neque quando intelligentiæ movent orbes cœlestes. Nam huiusmodi assumptiones non fiunt ab Angelis ad se manifestandum, sed propter alios fines: vt suppono.

3 Vnde infertur, quod hæc corporis assumptio non est hypostatica, seu in vnitate personæ, itaut ex Angelo & corpore assumpto fiat vnum per se in esse personæ: sicut in altissimo, atque ineffabili Incarnationis mysterio fuit factum. Tùm, quia creaturæ hoc facere propria virtute repugnat. Tùm, quia, admissa non repugnantia ista naturali, esset minus conveniens, concedere multas, & diversas corporum assumptiones, & dimissiones ab vno, & eodem Angelo.

4 Infertur secundò, Angelū non assumere corpus per informationem; qua ratione anima in resurrectione reunietur suo corpori, seu illud resumet. Quia Angelus est persona, & consequenter nihil potest informare. ¶ Dices: sicut anima rationalis est in corpore indivisibiliter, hoc est tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte: ita Angel⁹ est in corpore assumpto: ergo est in illo per informationē: sicut est anima in corpore. Respōdetur negando consequentiam: conveniunt enim in primo, & differunt in secundo; eo quòd anima est quid incompletum, & natū informare: Angelus autem est completissimus in esse substantiali: cum sit persona: & consequenter incapax informandi aliud, necnon & informandi per aliquam substantiam.

5 Infertur tertiò, nō esse audiendum Tertullianum qui *lib. de Carne Christi cap.* 3. sentit, Angelos Abrahæ, & Loth apparentes, & cum Iacob luctantem assumpsisse corpora humana per hypostaticam vnionem Immo aliqui alij huius cerebri fabulantes dixerunt, Baptistam Malachiam, & Agæū fuisse Angelos in carne assumpta. Hæc tamen omnia sine fundamento dicuntur. Sed obijciunt, in hoc non apparere repugnantiam. Respondetur, ita

ræ motus agitando exhalationes terræ visceribus inclusas. Quintò possunt, in humano corpore causare morbos, conturbando humores; somnia, movendo phantasma; dolores, distrahendo compages, & connexiones membrorum. Sextò possunt varios morbos sanare, applicando herbas, & medicinas, quarum vim, naturam, & efficaciam optimè callent. Septimò quidquid per occultas virtutes herbarum, lapidum, gemmarum, succorum, & animalium fieri potest, hoc possunt præstare Angeli, applicando illas virtutes ad agendum. Octavò possunt, quælibet corpora ex vno loco transferre ad alium; res præsentes subitò è conspectu nostro subtrahere; absentes citissimè facere præsentes; movere statuas, vt videantur ambulare; movere linguam asinæ: vt videatur loqui; & multa alia mirabilia. De quibus videatur Scotus *in 2. dist. 8. quæst. vnica per totam*, *Suarez lib. 6. capit. 16. & Becanus*, qui omnia ista congessit *1. part. tract. 3. capit. 1. quæst. 15. n. 19.*

DIFFICVLTAS V.

De assumptione corporum ab Angelis facta.

De hac assumptione agimus in præsenti capite; quia fit per motum localem; vt ex dicendis constabit.

DVBIVM I.

1 Petes primò, an sit certum, Angelos assumpsisse aliquando corpus, aut in corporali forma apparuisse? Respondetur affirmativè. Quia sæpè dicit Scriptura, Angelos sub diversis formis corporalibus apparuisse hominibus *Genesis enim 3.* dœmon sub specie serpentis apparuit, & loquutus est Evæ. Et *c. 18.* tres Angeli in forma virorũ apparuerunt Abrahæ: *& cap. 19* duo Angeli venerunt Sodomã in figura peregrinorum: & alibi passim. Quare de hoc nulla est apud Theologos controversia. Qui etiã conspirant in hoc, quòd Angelus dicitur sumere corpus illud, sub cuius forma apparet.

DVBIVM II.

2 Petes secundò, quomodo Angelus assumat corpus, in

In quo apparet? Respondetur, quod per vnionem accidentalē cum corpore illo. Ad quā vnionem tria requirunt communiter auctores. Primum est, quòd Angelus substantialiter, hoc est, verè & realiter per suam substātiā, existat in corpore assumpto. Secūdū est vt existat in illo, sicut motor in mobili. Tertiū est, vt vtatur illo tāquam instrumēto ad se manifestandum. Et defectu huius tertiæ coditionis non fuit assumptio propriè dicta, quando diabolus assumpsit serpentē ad decipiendum Evam: neque quando obsidet energumenorum corpora: neque quando assumpsit linguam asinæ Balaam ad loquendum: neque quando intelligentiæ movent orbes cœlestes. Nam huiusmodi assumptiones non fiunt ab Angelis ad se manifestandum, sed propter alios fines: vt suppono.

3 Vnde infertur, quod hæc corporis assumptio non est hypostatica, seu in vnitate personæ, itaut ex Angelo & corpore assumpto fiat vnum per se in esse personæ: sicut in altissimo, atque ineffabili Incarnationis mysterio fuit factum. Tùm, quia creaturæ hoc facere propria virtute repugnat. Tùm, quia, admissa non repugnantia ista naturali, esset minus conveniens, concedere multas, & diversas corporum assumptiones, & dimissiones ab vno, & eodem Angelo.

4 Infertur secundò, Angelū non assumere corpus per informationem; qua ratione anima in resurrectione reunietur suo corpori, seu illud resumet. Quia Angelus est persona, & consequenter nihil potest informare.

¶ Dices: sicut anima rationalis est in corpore indivisibiliter, hoc est tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte: ita Angel. est in corpore assumpto: ergo est in illo per informationē: sicut est anima in corpore. Respōdetur negando consequentiam: conveniunt enim in primo, & differunt in secundo; eoquòd anima est quid incompletum, & natū informare: Angelus autem est completissimus in esse substantiali: cum sit persona: & consequenter incapax informandi aliud, necnon & informandi per aliquam substantiam.

5 Infertur tertiò, nō esse audiendum Tertulianum qui *lib. de Carne Christi cap. 3* sentit, Angelos Abrahæ, & Loth apparentes, & cum Iacob luctantem assumpsisse corpora humana per hypostaticam vnionem. Immo aliqui alij huius cerebri fabulantes dixerunt, Baptistam. Malachiam, & Agæū fuisse Angelòs in carne assumpta. Hæc tamen omnia sine fundamento dicuntur. Sed obijciunt, in hoc non apparere repugnantiam. Respondetur, ita

esse: contradicit tamen communissimo Theologorum cōsensui sine fundamento ad hoc affirmandum de facto.

DVBIVM III.

6 Petes tertiò; qualia sint corpora, in quibus Angeli aliquando apparent hominibus? Respondetur, aliquādo fuisse, aut esse vera corpora; aliquādo verò fuisse formata ab Angelo. Itaque potest Angelus assumere verum corpus humanum v.g. alicuius mortui, antequàm in cineres revertatur, potestque applicando activa passivis illud sine corruptione per aliquod tempus conservare, & in illo apparere hominibus *Sicut accidebat de quodam Rege, qui portabatur per annum à diabolo, & credebatur à populo quòd viveret*, inquit Scot. *in Reportatis in 2. dist. 8. §. Ad quæstionem versic. Sed illud.* Possunt etiam Angeli formare brevissimè corpus in quo appareant. Quia vtrumque hoc posse spectat ad perfectionem naturæ Angelicę; nec in aliquo istorum reperitur aliqua repugnantia. Ita Scotus ibi, quod & docuerat *in 2. d. 8. §. In ista quæstione à versic. secundò dico*, & communissimè auctores.

7 Notat autem Scotus vtrobique, quòd quando Angelus apparet in aliquo corpore, si tale corpus est verum, (hominis v. g.) anteà generatum ab alia causa nequit citissimè evanescere: benè tamen, si sit apparēs, seu tunc formatū ab Angelo ad aliquod speciale ministerium; quo expleto ab ipso dimittitur, & evanescit. Itaq; sicut colligitur, esse verum corpus ex eo, quòd ab Angelo dimissū nō evanescit: ita ex eo, quod dimissum statim evanescit, seu resolvitur in vapores, aut in aliqua alia mixta imperfecta, colligitur, quòd tale corpus nō erat verū, habēsque vera membra; sed tantū apparens, habensque speciem mēbrorum tantum.

8 Dices, Angelus applicando activa passivis, & ponendo illa in tali approximatione ad cœlum, vbi novit, quòd subitò generentur ranæ, & alia mixta imperfecta, potest producere veras ranas, & similia animalia imperfecta. Item potest per processum contrarium illa destruere citissimè: ergo ex eo, quòd citò evanescat, vel non evanescat corpus ab Angelo assumptum, non colligitur efficaciter, quòd sit verum corpus, vel apparens. Respondetur, Angelos communiter apparere sub forma animalis perfecti; hominis v. g. cuius corpus à tota natura non potest citò formari: immo oportet, quòd faciat processum per formas intermedias: vt notat Scotus *in Report. dist. 8. §. Ad quæstionem versiculo Si igitur.* Cùm ergo à tota natura creata non possit citò formari mixtum perfectum

fectum; (corpus hominis v. g. vel bovis) nec potest similiter destrui citò; & consequenter ex eo, quod brevissimè evanet corpus animalis, seu mixti perfecti, benè infertur, esse corpus apparens: sicut è contra ex eo, quòd tale corpus ab Angelo dimissum non evanet, colligimus, non fuisse apparēs, sed anteà ab alia causa generatum.

9 Hinc infertur, haud facilè distingui posse: sitne verum corpus? vel apparens? in quo apparet dœmon sub forma muris v. g. aut alterius mixti imperfecti: quia cùm posit citissimè formari, & evanère arte Angelica; ex eo quòd cito disparear, non possumus certificari, quòd fuerit verum corpus, vel apparens. Addo, quòd etsi qui benè nosceret, aliquod mixtum perfectū (corpus v. g. hominis, vel bovis) ab Angelo dimissum verè evanuisse aut fuisse resolutum brèvissimè, benè colligeret, tale mixtum nō fuisse verum, sed tantū apparens. Tamē præcisè ex hoc, quòd brevissimè disparear, id colligi efficaciter nō potest. Potest siquidē Angelos illud localiter removere ab isto loco, & brevissimè lōgè deportare: potestque hanc loci remotionem, & portationem ab oculis præsentium occultare, seu taliter facere, vt à præsentib⁹ nō percipiatur, aliquā nubē, aut aliud impedimentū eorum obtutibus subinferendo.

DVBIVM IV.

10 PEtes quartò, an Angelus posit assumere corpus cœleste? seu formare corpus ex materia cœli? Respondetur negativè. Quia nequit Angelus talem materiam in frusta secare. Secūdò quia materia illa nequit disponi: est enim sub forma naturaliter inamissibili. Ita Scotus *in 2. d. 8. §. In ista quæstione*, & multi alij.

11 Sed obijcies D. Isidorum *lib. 1. de summo bono c. 10.* dicentē, Angelos apparere hominibus in corpore facto ex materia cœlesti. (verba Isidori adducit Suar. *lib. 4. c. 34. n. 4.* dicitque eadem verba trāscripsisse Bedam *lib. Variarum quæstionum quæst.*) Respondetur, quod, si hi Patres loquantur de materia cœli, sunt deserendi: quia hoc est omnino improbabile propter rationes nostræ cōclusionis, vt notat Suarez citatus. Nisi fortè possimus hos Patres interpretari dicendo, ibi sumere materiam cœlestem pro aerea: àer enim vocatur cœlum iuxta illud *Psalm. 8. num. 9. volucres cœli.* Quomodo verò aèr posit disponi ad formationem corporis, dicemus *à numero 12.*

DVBIVM V.

12 PEtes quintò, an Angelus possit formare corpus ex puro aère? Respondetur negativè. Quia non est capax recipiendi tantam compressionem, & alias dispositiones ad formationem corporis necessarias; immo neque colorē; vt posteà possit hominibus visibiliter apparere. Ita Scotus *in 2.d.8.§. In ista quæstione versic. Secundò dico D. Tho. D.Bonav. Alensis, Ricardus, Gabriel, & Dur. quos citat, & sequitur Suar. lib.4. cap.34.n.5.*

13 Obijcies multos Patres dictitantes, Angelos apparere in corpore aèreo. Respondetur, quòd quoties Angelus format aliquod corpus sibi assumendū, illud format ex nube, vel ex exhalationibus, aut vaporibus, aut ex aliquo alio mixto imperfecto; quod sit capax nimiæ compressionis, & aliorum dispositionum necessariò concurrentium ad formationem talis corporis; & quas virtus Angelica applicando activa passivis introducit in illam materiam. Cùm autem materia nubis, vaporis, & exhalationis sit aer: nubes enim (idē est de vapore, & exhalatione) fit ex aère, & in aërem resolvitur; corpus ex nube formatū haud incongruè potest dici aèreum, vel aër: sicut homo vocatur terrenus, terra, aut pulvis; eoquòd eius corpus ex terra formatum est, & tandem in terram est revertendum. Hac ergo de causa Patres corpora Angelorum dicūt esse aèrea, aut fieri ex aère.

24 Ex dictis constat; non esse sustinendum Tertulianum *lib. de Carne Christi cap.3.* dicentē corpora Angelorum, seu sub quibus apparent, fieri ex nihilo. Sed cōtra hoc stat, quòd ad producendum aliquid ex nihilo sui, (quæ productio est creatio) nulla creatura habet virtutem: vt fatentur communiter. De quo præcipuè Scot. *in 4. d.1. quæst.1. per totam.*

15 Constat etiam, non esse sustinendos alios, qui dixerūt, (teste Sua. *lib.4.c.34.n.4.*) Angelos nō indigere extrinseca materia, vt hominibus appareant: putant enim habere corpora sibi naturaliter vnita; quæ licèt secūdùm cōnaturalem dispositionē subtilia sint, & invisibilia; ab eis tamē possunt condensari, & solidari, itaut & figuræ, & coloris, & luminis capacia sint. Quem dicendi modum indicat Augustinus *2. de Trinitate capit.7.* Tamen non est sustinendus. Tùm, quia D. Aug. non persistit in illo; vt notat præcitatus Sua. Tū, quia Angeli sunt incorporei: vt diximus *cap. 2. dist. 1. n. 2.* Tùm demū, quia, admisso tanquam probabili, Angelos habere corpora, (Recolantur dicta *c. 2. diff. 1. n. 11 & 12.*) ista essent incorruptibilia & inalterabilia: & ideò nō possēt in

in illam visibilem speciem formari.

DIFFICVLTAS VI.

De operationibus, quas Angelus in corpore assumpto potest exercere.

SVppono ex cõvenientia Autorum, Angelum in assumpto corpore se gerere ad modum formarum corpora viventia informantium. Etsi enim differat anima ab Angelo in hoc, vt ipsa suum corpus informat; & ex vtroque resultat vnum per se, nēpè homo, cui actiones attribuũtur: Angelus autem non informat corpus assumptum; & consequenter ex vtroque non resultat vnum per se. Conveniunt tamē in multis. Sicut enim anima verè & realiter per suā substātiā existit in corpore: ita Angelus existit in corpore assumpto. Item sicut anima existit in suo corpore; sicut motor in mobili: ita Angel⁹ in corpore assumpto. Insuper sicut anima vtitur suo corpore, tāquā instrumento ad se manifestandum; ita Angelus vtitur corpore assumpto. Recolantur dicta *diff. præcedenti à num.* 2. Igitur, cùm Angelus in corpore assumpto se gerat ad modū, quo anima (hominis v.g.) se gerit in suo corpore; dū inquirim⁹, quas operationes Angelus possit exercere in corpore assumpto? per omnes operationes, quas anima in corpore exercet, est discurrendum.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Angelus in corpore assumpto possit exercere, seu efficere motum localem? Respondetur affirmativè. Itaque Angelus potest movere simul totum corpus assumptum, & quālibet eius partem, palpetram v. g. manū, linguam, &c. Quia sicut potest movere corpus sibi extrinsecū, seu cui non est vnitum (lapidem v.g.) & quamcumque partem; potest movere corpus assumptū, & quamcumque eius partē *Ita Scotus in 2. dist. 8. §. In ista versic. De tertio* & communior sententia, quam partim secuntur *Vazq. disp. 186. cap. 2. à n. 4. & Suar. lib. 4. c. 38. præsertim num.* 6. quaten⁹ affirmant, Angelum efficere motus locales quoàd substantiam; non autem quoàd modum. Existimant enim, quòd etsi Angelus verè moveat corpus assumptum motu progressivo, & quācumque eius partem, manum v. g. linguam, &c. ille tamen motus non habet modum vitalitatis, quem haberet, si ab anima coniuncta cum corpore eliceretur.

2 Duardus *in 2. d. 8. q. 2. n. 5.* existimat, Angelum in corpore as-

assumpto motum localem verè non exercere, sed aliquid simile motui locali. Et obiicit. Vt aliqua actio dicatur propriè vitalis, non sufficit, quòd fiat à vivente: aliàs proiectio lapidis diceretur actio vitalis: sed requiritur, vt subiectetur in subiecto vitali. Sed motus localis (progressivus v.g.) quem Angelus exercet in corpore assumpto, nō recipitur in subiecto vitali: (corpus enim assumptum ab Angelo, & ab illo formatum ex aliquo mixto imperfecto non est capax vitæ) ergo non est actus vitalis. Respondetur concedendo totum; negando tamen, quòd Angelus non exerceat motū localē. Voluntariè enim dicitur, ad propriū motum localem requiri, quòd subiectetur in subiecto vitali: aliàs sol, & orbes cœlestes, & alia inanimata non moverentur localiter.

3 Ex hac conclusione infertur, Angelū in corpore assumpto verè posse loqui: quia medio motu locali linguæ potest formare voces, quibus manifestet suos conceptus. Adde, (obiter) posse etiam formare voces in aère, cum quo non est vnitus Angelus. Sic formata fuit illa vox: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. num. 17.* Potest item formare voces in corpore, cui non est vnitus. Sic per motum linguæ asinæ Balaam formavit voces.

4 Quando autem dicitur, Angelum in corpore assumpto videre, audire, aut intelligere, significamus tantùm, quòd percipit nostros conceptus, aut voces non per organum corporeū, sed per suum intellectum. Oculus enim, aut auris ab Angelo formata in corpore illo nequit formare species expressas sensuū externorum. Immo dato, quòd illas posset formare, nō servirēt ad intelligendū cùm in Angelo non sit phantasia, à qua tandē illius intellectus posset educere species intelligibiles. Igitur cùm auditio (idē est de visione) corporalis fiat formando speciem expressā (quæ est quid vitale) rei auditæ: & ista nō possit formari in corpore ab Angelo formato: per illud Angelus solùm dicitur audire, quatenus per intellectū percipit, seu cognoscit voces, quas formant loquentes.

DVBIVM I.

5 PEtes secundò, an Angelus in corpore assumpto possit exercere aliam operationem sensitivā? Respondetur negativè. Quia quælibet operatio sensitiva est vitalis: & per illam subiectum receptivum illius vitaliter operatur. Sed corpus ab Angelo formatum nequit esse vivum: ergo neque vitaliter operari. Minor cōstat: quia, admisso, quòd illud corpus esset

capax vitæ;(ſicut eſt corpus humanum v.g.) hanc debebat recipere ab Angelo informante. Sed repugnat, quòd Angelus informet; cum ſit perſona; & conſequenter completiſsimus in ſuo eſſe ſubſtantiali: ergo & quòd tribuat vitã corpori aſſumpto.

DVBIVM III.

6 PEtes tertiò, an Angelus in corpore aſſumpto poſsit exercere actus vegetativos? (vt ſunt creſcere per intus ſumptionem;& generare ſibi ſimile) Reſpondetur negativè. Quia prædicti actus ſunt vitales ſecundùm ſubſtantiam: ergo debent elici à corpore animato, vel ſaltem corpus animatum debet per illos operari. Sed corpus illud ab Angelo formatum nequit eſſe vivum: (vt probamus *numero præcedenti*) ergo nequit exercere actus potentiæ vegetativæ.

7 Ex dictis in duobus numeris præcedentibus colligitur, quòd Angelus ſolùm ſimilitudinariè, & per apparentiam, aut fingendo poteſt in corpore aſſumpto exercere operationes vegetandi, & ſentiendi.

8 Dices: Angelus in aſſumpto corpore poteſt recipere ſemen hominis v.g. ipſi ſubcumbendo; & poſteà poteſt illud incumbendo alicui fœminæ in eius matricem transfundere per motum localem: ergo tunc generabit prolem. Confirmatur, quia ſic videtur ſentire Scotus *in* 2.*d.* 8.§. *In iſta quæſtione verſic. Sed quãtum*, verbis illis: *Et hoc modo attribuitur dæmoni generare: quia idem primò ſuccubus, & poſteà incubus ſemen à decidente primò transfuſum recipit; & deinde transfundit illud in matricem.* Reſpondetur, admiſſo cum cõmuniori ſententia,(pro qua Suarez *lib.4.cap.38.num.*10. citat Scotum D.Th.D. Bonaverurã & alios) poſſe Angelum applicando activa paſsivis conſervare per aliquod breve tempus ſemẽ humanum in ſua naturali virtute, & diſpoſitione requiſita ad generationem. Itẽ poſſe ſuccũbendo & incumbendo medio motu locali illud transferre in matricem fœminæ: Inſuper cõcedo, quòd tunc reſultare poſsit hominis generatio. Tunc autem proles genita revera non erit filius dœmonis, ſed hominis qui ſemen emiſit, & fœminæ, quæ illud recepit: vt docet Sua. *lib.*4. *cap.*38. *ex D.Th.* Quod & cõſentaneum eſt doctrinæ D.Aug. *lib.* 3. *de Trinit.cap.* 8.

6 Neque Scotus in confirmationem adductus aliud docet; ſolùm enim vult, quòd tunc dœmoni attribuitur generatio hominis; non quidem tamquam verè generanti; ſed tamquam præparanti, & diſponenti generationẽ per applicationẽ activorũ & paſsivorũ, & per trãſlatio-

lationem, seu transportationem illius seminis. Quòd autem nihil aliud intendat Scotus apertiùs adhuc patet ex *Reportatis in 2. dist. 8. §. Tertium principale versic. De generatione* (vbi sic prosequitur) *verò dico, quòd generare propriè non potest esse, nisi compositi animati: sed motum localem potuerunt isti mali Angeli adhibere, &c.*

DVBIVM IV.

10 PEtes quartò, an Angelus in corpore assumpto verè actum commestionis possit exercere? Respondetur affirmativè. Quia vera commestio salvatur in hoc, quòd dividatur cibus per motum maxillarum, & posteà trahatur in stomachum per motum localē. Sed hoc totū potest facere Angelus in corpore assumpto: ergo potest verè commedere. Ita Scotus *in 2. d. 8. §. In ista quæstione versic. Quantum autem & in Report. ibidem §. Tertium principale versic. Sed apparet, & Scotistæ, præcipuè Pilosus disp. 17. art. 4. n. 6. Ex aliis autem idem tenet noster Alensis 2. p. quæst. 35. artic. 2. & in eam inclinat Gabriel ibidem artic. 3. dub. 2.*

11 Sed Angelum in assumpto corpore non posse verè comedere, tenent D. *Thom. D. Bonaventura Ricardus, & Chlitovæus, quos citat, & sequitur Suarez lib. 4. cap. 38. num. 15.* Et obiiciunt illud *Tobiæ 12.* vbi Angel⁹ dixit Tobiæ, & filio eius: *Videbar vobis comedere; sed ego invisibili cibo vtor*: ergo apparenter, & non verè comedebat Raphael: vt declarat ly *videbar.* Respondetur cum Piloso *ibi n. 8.* negando consequentiam: Angelus enim Raphael per ly *videbar* solùm voluit declarare, se non habere necessitatem capiendi cibum in ordine ad nutritionē: sicut Tobias, & eius filius existimaverant, quando iudicabant, esse hominem: Itaque Raphael verè manducabat: siquidem dividebat cibum per motum maxillarum, & illud transportabat per motum localem ad stomachum. Hoc tamen non faciebat ex necessitate ad nutritionē: sicut nos facimus. Nec ibi est cōcedenda nutritio: quia ista est vera actio vitalis. Sed postquàm cibus erat iam in stomachum attractus, applicando activa passivis, Angelus illum exhalabat per fumos ita quod ibi nulla fiebat nutritio, aut conversio cibi in substātiam aliti: vt notat Scotus ibi.

12 Sed contra hoc obiicit sibi Scotus, sequi ex hoc, commestionem Christi Domini corā discipulis post resurrectionem non fuisse efficax argumentum ad probandum eius veram resurrectionē; & corpus illud nō esse phātasticum. Patet sequela: quia vera comestio esse potest in corpore phantastico, seu ab Angelo formato. Respondetur, cum

cum Scoto ibi distinguendo sequelam: est enim verum, quòd commestio sola non erat efficax argumentum ad probandum resurrectionem Christi Domini: benè tamen coniuncta cum multis alijs argumentis, quæ ad hoc probandum sunt in Evangelio. Nec aliud volunt Patres, quando dicunt, comestionem illam Christi Domini fuisse efficax argumentum ad ostendendū, verā esse eius carnem, & resurrectionem. Itaque sola comestio non est efficax argumentum resurrectionis Christi Domini, benè tamen coniuncta cū ostensione cicatricū; cum absentia corporis à sepulchro, cum prædictione resurrectionis assertæ ab ipso Christo Domino ante eius mortē; & cū alijs, quæ sunt in Evangelio.

13 Respondet secundò Scotus negando sequelam: quia in corpore phantastico, aut ab Angelo formato nequit esse vera comestio ordinata ad nutritionem: qualis fuit illa comestio Christi Domini. Nec habet Scotus pro inconvenienti, quòd corpus gloriosum posset convertere in se corpus non gloriosum: quia non propter hoc fuisset corruptibile: tunc enim nihil pateretur à cibo, seu à corpore non glorioso; sed solùm ageret in illud, qua actione fieret nutritio, & conversio corporis nō gloriosi in gloriosum. Quod de facto accidisset in Christo Domino, si ab initio suæ generationis habuisset corpus gloriosum: tūc enim verè fuisset nutritus, & auctus per conversionem cibi in suam carnem gloriosam: vt notat Scotus *in Reportatis in 2. dist. 8. § Tertium principale vers. Dices*, & cum ipso omnes Scotistæ, præcipuè Pilosus *disp. 17. art. 4. n.* 8.

14 Hinc numquam satis digna miratione afficiar, quòd ille (aliàs eruditione, & comprehēsione magnus, atque pietate insignis) Suarez dormitavit omnino, dum *in 2. tom. in 3. p. disp. 47. sect. 5. §. In hac difficultate* existimat, esse erroneum affirmare, Christum Dominum post resurrectionem ita verè comedisse, vt cibum in substantiam sui corporis converteret: Et quamvis *in lib. 4. de Angelis disp. 8. num. 18.* hanc censuram aliquantulum temperaverit dicens, ad minimū hanc sententiam esse improbabilem, & temerariam, gravi tamen adhuc oscitatione laborabat. Quis enim non videat, immunem ab omni censura esse sententiam, quam per tot annorum curricula vniversalis tolerat Ecclesia? Quam vniversa itē Scoti Schola probabilem defendit tantum secuta antesignanū? Quibus adde Durandū, & Vvaldensem citatos ab ipso Suarez in priori loco. Vtrobique ergo excessit Suarez censurando prædictam sententiam. Cuius excessus

sus clariùs adhuc apparebit expendendo Patres, qui tali opinioni favent;& solvendo, quæ contra illā ipse Suarez adducit.

15 Igitur prædictæ sententiæ satis adhærere videtur Augustinus *Epist.49.ad Deo gratias quæst.1.* qui æquiparans Christi Domini, & Angelorum commestionem sic loquitur: *eius no[n] li[c]eas, eodemque modo sumpsisse, non ficto, & inani phantasmate, sed manifestissima veritate.* Respōdet Suarez, per ly *eodem modo* præcipuè significari, neque Angelos in corpore assumpto, neque Christum Dominum in glorioso sumpsisse cibos *ex necessitate, sed ex potestate,* & propter alios fines distinctos à nutritione, & ab augmentatione. Quod verum est, & de corpore glorioso Christi Domini notaverat Scotus *in Report.in 2.dist.8.§.Tertium principale vers.Dices* verbis illis: *sed non habet necessitatem sic convertendi corpus gloriosum: quia nihil deperditur.* Placet ergo Suarez responsio: non autem sic placet in eo, quod addit, nēpè quòd per verba illa, *non ficto, & inani phantasmate* solùm vult Augustinus significare, tàm Christum, quàm Angelos, non per sensuum illusionem, sed per externum motum verum comedisse cibos, seu illos per motum maxillarum traiecisse in stomachum. Hoc, inquam, non placet omnino: quia etsi loquendo de Angelorum commestione sic necessario sit philosophandum: quia Angeli vera comestio nequit ad nutritionem ordinari: de vera tamen comestione Christi Domini aliter est loquēdū: cùm in hoc nullum sit incommodum; & aliàs propriùs, & strictiùs salventur Augustini verba dicendo, in corpore glorioso Christum Dominum non solùm comedisse, sed etiam talem comestionem ordinatam fuisse ad illum eumdē finem nutritionis, & augmentationis, ad quem ex natura sua est ordinata: deficiēte enim hoc fine, esset quodam modo ficta, & phantasmatica prædicta manducatio, vel saltem esset inanis; quod totum reprobant præcitata Augustini verba.

16 Dices, non fuisse inanem illam comestionem: quia consequuta fuit finem à Christo Domino intentum, nempe, per illam suadere discipulis veritatem suæ resurrectionis: ad quod nihil conducebat, quòd per illam comestionem fieret, vel non fieret nutritio, & augentatio: quia hoc illos latebat; & solùm erat necessarius verus motus sensibilis manducationis ad suadendum, resurrectionem Christi Domini fuisse realem, & veram, & non phantasticam, & apparentem. Sed contra: quia eodem modo posset Christus Dominus suadere discipulis suā resurrectionem per manducationem in re phantasticam, & appa-

apparentem: sicut dæmon sæpè deludit per signa phãtastica. Et ratio est, quòd videns signa externa non distinguit per illa naturam illius corporis, à quo fiunt: & consequenter non solùm illiterati, & indocti (sicut erant tunc Apostoli, qui nondum receperant Spiritum Sanctum in die Penthecostes) sed etiam valde litterati, viso signo illo externo manducationis, possent dubitare, an tale corpus esset verum? an phantasticum? Propter quod meritò dixit Scotus, (de quo *numero.* 12.) quòd illud signum (nempè manducatio Christi Domini coram discipulis) iunctum cum alijs in Evangelio relatis erat efficax argumentum veræ resurrectionis; secus autem, si accipiatur solùm aut seiunctum ab alijs.

17 Quare concludendum est, Christum Dominum exhibuisse coram discipulis in signum, & quasi testificationem realis, & veræ resurrectionis realem & veram manducationem non solùm quantum ad motum externum, & sensibilem, quem percipiebant discipuli; sed etiam quantum ad finem nutriendi, & augmentandi, ad quem manducatio ex natura sua ordinatur; non quia ipsi cognoscebant talem nutritionem; (sicut neque poterant ex illa exteriori manducatione distinguere, an corpus illud esset verum, vel fictum?) sed quia auctor veritatis voluit assumere in re signum ita efficax ad suadendum suam resurrectionem, vt ex ipso efficaciter verum corpus concluderetur: nemo enim negare potest, quòd ex manducatione habente finem à natura per illam intentum, qui est nutritio, & augmentatio, efficaciter colligitur, verum & reale esse corpus sic manducans.

18 Non minùs adhæret illi sententiæ de nutritione Christi Domini in corpore glorioso Nazianzenus in quodam dialogo inter Basilium, & Nazianzenum relato *in* 4. *tom. Bibliothecæ*, vbi in vltimis verbis Basilius interrogat, quomodo Angeli apud Abraham; & quomodo Christus Dominus post resurrectionem comederit? Et respondet Gregorius, Angelos subiectos cibos consumpsisse nihil ex ipsis in propriam naturam convertentes. De Christo autem Domino dicit, quòd *sicut ignis oleum in suam naturam arreptum consumit: sic Christus verè manducabat, & secundùm modum exempli, vt ipse noverat, sibi proprium efficiebat.* Respondet Suarez *libro* 4. *cap.* 38. *numero* 18. non esse certum, quod verba ista sint Nazianzeni. Facilis quidem solutio; debebat tamen

lationem, seu transportationem illius seminis. Quòd autem nihil aliud intendat Scotus apertiùs adhuc patet *ex Reportatis in 2. dist. 8. §. Tertium principale versic. De generatione* (vbi sic prosequitur) *verò dico, quòd generare propriè non potest esse, nisi compositi animati: sed motum localem potuerunt isti mali Angeli adhibere, &c.*

DVBIVM IV.

10 PEtes quartò, an Angelus in corpore assumpto verè actum, commestionis possit exercere? Respondetur affirmativè. Quia vera commestio salvatur in hoc, quòd dividatur cibus per motum maxillarum, & posteà trahatur in stomachum per motum localẽ. Sed hoc totũ potest facere Angelus in corpore assumpto: ergo potest verè commedere. Ita Scotus *in 2. d. 8. §. In ista quæstione versic. Quantum autem & in Report. ibidem §. Tertium principale versic. Sed apparet, & Scotistæ, præcipuè Pilosus disp. 17. art. 4. n. 6. Ex alijs autem idem tenet noster Alensis 2. p. quæst. 35. artic. 2. & in eam inclinat Gabriel ibidem artic. 3. dub. 2.*

11 Sed Angelum in assumpto corpore non posse verè comedere, tenent *D. Thom. D. Bonaventura Ricardus, & Chlitovæus, quos citat, & sequitur Suarez lib. 4. cap. 38. num. 15.* Et obijciunt illud *Tobiæ* 12. vbi Angel⁹ dixit Tobiæ, & filio eius: *Videbar vobis comedere; sed ego invisibili cibo vtor*: ergo apparenter, & non verè comedebat Raphael: vt declarat ly *videbar.* Respondetur cum Piloso *ibi n. 8.* negando consequentiam: Angelus enim Raphael per ly *videbar* solùm voluit declarare, se non habere necessitatem capiendi cibum in ordine ad nutritionẽ: sicut Tobias, & eius filius existimaverant, quando iudicabant, esse hominem: Itaque Raphael verè manducabat: siquidem dividebat cibum per motum maxillarum; & illud transportabat per motum localem ad stomachum. Hoc tamen non faciebat ex necessitate ad nutritionẽ: sicut nos facimus. Nec ibi est cõcedenda nutritio: quia ista est vera actio vitalis. Sed postquàm cibus erat iam in stomachum attractus, applicando activa passivis, Angelus illum exhalabat per fumos, itaquod ibi nulla fiebat nutritio, aut conversio cibi in substãtiam aliti: vt notat Scotus ibi.

12 Sed contra hoc obijcit sibi Scotus, sequi ex hoc, commestionem Christi Domini corã discipulis post resurrectionem non fuisse efficax argumentum ad probandum eius veram resurrectionẽ; & corpus illud nõ esse phãtasticum. Patet sequela: quia vera comestio esse potest in corpore phantastico, seu ab Angelo formato. Respondetur, cum

cum Scoto ibi distinguendo sequelam: est enim verum, quòd commestio sola non erat efficax argumentum ad probandum resurrectionem Christi Domini: benè tamen coniuncta cum multis alijs argumentis, quæ ad hoc probandum sunt in Evangelio. Nec aliud volunt Patres, quando dicunt, comestionem illam Christi Domini fuisse efficax argumentum ad ostendendū, verā esse eius carnem, & resurrectionem. Itaque sola comestio non est efficax argumentum resurrectionis Christi Domini, benè tamen coniuncta cū ostensione cicatricū; cum absentia corporis à sepulchro, cum prædictione resurrectionis assertæ ab ipso Christo Domino ante eius mortē; & cū alijs, quæ sunt in Evangelio.

13 Respondet secundò Scotus negando sequelam: quia in corpore phantastico, aut ab Angelo formato nequit esse vera comestio ordinata ad nutritionem: qualis fuit illa comestio Christi Domini. Nec habet Scotus pro inconvenienti, quòd corpus gloriosum posset convertere in se corpus non gloriosum: quia non propter hoc fuisset corruptibile: tunc enim nihil pateretur à cibo, seu à corpore non glorioso; sed solùm ageret in illud, qua actione fieret nutritio, & conversio corporis nō gloriosi in gloriosum. Quod de facto accidisset in Christo Domino, si ab initio suæ generationis habuisset corpus gloriosum: tūc enim verè fuisset nutritus, & auctus per conversionem cibi in suam carnem gloriosam: vt notat Scotus *in Reportatis in 2. dist. 8. § Tertium principale vers. Dices*, & cum ipso omnes Scotistæ, præcipuè Pilosus *disp. 17. art. 4. n. 8.*

14 Hinc numquam satìs digna miratione afficiar, quòd ille (aliàs eruditione, & comprehē sione magnus, atque pietate insignis) Suarez dormitavit omnino, dum *in 2. tom. in 3. p. disp. 47. sect. 5. §. In hac difficultate* existimat; esse erroneum affirmare, Christum Dominum post resurrectionem ita vere comedisse, vt cibum in substantiam sui corporis converteret: Et quamvîs *in lib. 4. de Angelis disp. 8. num. 18.* hanc censuram aliquantulum temperaverit dicens, ad minimū hanc sententiam esse improbabilem, & temerariam, gravi tamen adhuc oscitatione laborabat. Quis enim non videat, immunem ab omni censura esse sententiam, quam per tot annorum curricula vniversalis tolerat Ecclesia? Quam vniversa itē Scoti Schola probabilem defendit tantum secuta antesignanū? Quibus adde Durandū, & Vvaldensem citatos ab ipso Suarez in priori loco. Vtrobique ergo excessit Suarez censurando prædictam sententiam. Cuius excessus

apparentem: ſicut dæmon ſæpè deludit per ſigna phātaſtica. Et ratio eſt, quòd videns ſigna externa non diſtinguit per illa naturam illius corporis, à quo fiunt: & conſequenter non ſolùm illiterati, & indocti (ſicut erant tunc Apoſtoli, qui nondum receperant Spiritum Sanctum in die Penthecoſtes) ſed etiam valde litterati, viſo ſigno illo externo manducationis, poſſent dubitare, an tale corpus eſſet verum? an phantaſticum? Propter quod meritò dixit Scotus, (de quo *numero*. 12.) quòd illud ſignum (nempè manducatio Chriſti Domini coram diſcipulis) iunctum cum alijs in Evangelio relatis erat efficax argumentum veræ reſurrectionis; ſecus autem, ſi accipiatur ſolùm aut ſeiunctum ab alijs.

17 Quare concludendum eſt, Chriſtum Dominum exhibuiſſe coram diſcipulis in ſignum, & quaſi teſtificationem realis, & veræ reſurrectionis realem & veram manducationem non ſolùm quantum ad motum externum, & ſenſibilem, quem percipiebant diſcipuli; ſed etiam quantum ad finem nutriendi, & augmentandi, ad quem manducatio ex natura ſua ordinatur; non quia ipſi cognoſcebant talem nutritionem; (ſicut neque poterant ex illa exteriori manducatione diſtinguere, an corpus illud eſſet verum, vel fictum?) ſed quia auctor veritatis voluit aſſumere in re ſignum ita efficax ad ſuadendum ſuam reſurrectionem, vt ex ipſo efficaciter verum corpus concluderetur: nemo enim negare poteſt, quòd ex manducatione habente finem à natura per illam intentum, qui eſt nutritio, & augmentatio, efficaciter colligitur, verum & reale eſſe corpus ſic manducans.

18 Non minùs adhæret illi ſententiæ de nutritione Chriſti Domini in corpore glorioſo Nazianzenus in quodam dialogo inter Baſilium, & Nazianzenum relato *in* 4. *tom. Bibliothecæ*, vbi in vltimis verbis Baſilius interrogat, quomodo Angeli apud Abraham; & quomodo Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem comederit? Et reſpondet Gregorius, Angelos ſubiectos cibos conſumpſiſſe nihil ex ipſis in propriam naturam convertentes. De Chriſto autem Domino dicit, quòd *ſicut ignis oleum in ſuam naturam arreptum coaſſumit: ſic Chriſtus verè manducabat, & ſecundùm modum exempli, vt ipſe noverat, ſibi proprium efficiebat*. Reſpondet Suarez *libro* 4. *cap*. 38. *numero* 18. non eſſe certum, quod verba iſta ſint Nazianzeni. Facilis quidem ſolutio; debebat tamen

indivisibili) Christo Domino ante vltimam mãducationem, & nutritionem defecisse aliquid perfectæ corpulentiæ: sicut ei defecit in statu infantiæ, & pueritiæ. Itaque sicut antequã perveniret ad statum perfectæ corpulentiæ, erat sine illa: & sicut posteà vigilijs, orationibus, & alijs laboribus intẽtus aliquid decoris naturalis, & quantitativæ corpulentiæ amittebat Christus Dominus. Vnde frequenter dicunt, fuisse pallidum colore, & aspectu pœnitentem. (ex quo infero ego, quòd amittebat aliquid corpulentiæ necessariæ ad conservandum colorem, & speciositatem; qua illa humanitas propter eximiam dispositionem naturalem petebat esse speciosior præ filijs hominũ) Ita quia eius infinita sapientia, & scientia sciebat, futurum, vt per comestionem, & nutritionem aliqua pars corpulẽtiæ ei erat addenda, illa ad tempus voluit carere.

23 Obijcit tertiò. Vt illa nova pars substantiæ per nutritionem acquisita reliquis partibus vniretur, necessarium erat, aliquam divisionem, aut cõdensationem, aut rarefactionem fieri. Quæ omnia impassibilitati corporis gloriosi repugnant. Respondetur, ad talem vnionem solùm requiri, quòd indivisibile, quod anteà terminabat partem gloriosam præxistentem, advenientem vniat cum præexistente. Quare non est necessarium, quod corrumpatur illud indivisibile, sed solùm, quòd munus terminandi amittat, seu commutet in munus vnientis.

DVBIVM V.

24 PEtes quintò, an Angelus in corpore assumpto possit miraculum verum efficere? Respondetur negativè. Quia verum miraculum in substantia rei effectæ, vel saltem in modo effectionis includit aliquid supernaturale, seu excedens totum ambitum virtutis operativæ creaturæ. Ita Scotus *quæst. 2. prologi §. De octavo* & communissimè auctores, qui multos Patres ad hoc propositum adducunt.

25 Notant communiter, ad verum miraculum non solùm requiri virtutem divinam, sed etiam, quòd id, quod à solo Deo fit, aut virtute supernaturali eius fieri potest, sit arduum, & insolitum iuxta illud Augustini *lib. de Vtilitate credendi propè finem* (vt citat Scotus *ibi vers. Item*) *Miraculum voco, quidquid arduum, aut insolitum supra spem, vel facultatem mirantis* (id est cuiuscumque creaturæ) *apparet, &c.*

26 Obijcies primò: Angelus potest efficere aliquid excedens humanam facultatem, & considerationem: ergo potest miraculum facere. Respondetur negan-

gando consequentiam: miraculum enim debet excedere virtutem cuiuscumque creaturæ. ¶ Dices: ergo superflua est præsens quæstio: si enim miraculum debet excedere facultatem cuiuscumq; creaturæ, inaniter quæritur, an ab Angelo posit fieri? Respondetur negando: ad probationem dico, non esse notum per se, miraculum debere excedere virtutem cuiuscumque creaturæ. Quare debuit probari auctoritate Sanctorum: (legatur Augustinus *numero præcedenti* citatus) Sancti autem moti sunt adhoc affirmandum auctoritate Scripturæ, præsertim Psalmi 135. *Qui facit mirabilia magna solus*.

27 Obijcies secundò: non omnia miracula sunt æqualia: ergo minora saltem possunt fieri ab Angelis. Respondetur negando consequentiam: quia etsi exparte rei factæ vnum sit maius alio: exparte tamen efficientis in quocumque requiritur virtus excedens facultatem cuiuscumque creaturæ. Quod patet à simili de creatione: quia enim virtus creativa excedit facultatem creaturæ, solus Deus potest creare, sivè hoc, quod creatur, sit formica, sivè sit Angelus; sivè sit ordinis naturalis, sivè sit supernaturalis ordinis.

DIFFICVLTAS VII.

De apparitionibus factis ab Angelis in corporibus assumptis.

Ex dictis à difficultate quinta satis constat, Angelos sæpè apparuisse hominibus sub corporali specie. Quare si nomine proprio aliquis Angelus corporaliter appareat, non est dubium, talem Angelum quasi latere sub illo corpore; sivè sit verum, & anteà iam habens esse; sivè ab Angelo brevissimè formatum iuxta dicta *diff. 5. à n. 6.* Quo supposito restāt aliquot dubia.

DVBIVM I.

1 Petes primò, an omnes apparitiones Dei, quæ sub corporali specie in veteri testamento narrantur, factæ fuerint ministerio Angelorum? Respondetur affirmativè. Quia ex regula Dionysii, Augustini, & Theologorum, Deus administrat res medias per supremas, & infimas per medias, quando id convenienter fieri potest: ergo quando in veteri testamento dicitur, Deum apparuisse, aut loquutum fuisse ho-

hominibus; intelligendum est de apparitione Angeli in persona aliqua divina, vel in eius nomine facta. Hanc conclusionem tenet Dionysius *cap. 4. de cœlesti Hierarchia* dicens: *huiusmodi divinas visiones celeberrimi illi Patres nostri ministerio cœlestium virtutum ediscebant.* Idem tenent *Augustinus, Gregorius, Hieronymus, Iustinus, & Cyprianus*, quos & aliquos Scholasticos, necnon & Scripturarios citat, & sequitur Suarez *lib. 6. cap. 20. numero 28.*

2 Sed pro opposita sententia idem Suarez ibidem *numero 25. & 26.* citat eosdem *Dionysium, & Cyprianum, necnon & Chrysostomum, Isidorum, Theodoretum, Bedam, Originem, Theophilactum, & Nicephorum.* Et obijcitur pro hac sententia: quòd hoc modo strictiùs salvantur verba Scripturæ, quibus dicitur, Deum esse illum, qui apparet: illa v. g. *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham* Exod. 3. *numero 6.* Respondetur, sufficienti proprietate salvari prædicta Scripturæ verba: cùm in vulgari modo loquendi, qui nomine, & auctoritate alterius loquitur, personam illius gerere dicatur. Sic Sacerdos præferens verba absolutionis dicit: *Ego te absolvo*: cùm tamen absolvere à peccatis, seu conferre gratiam sanctificantem, qua peccata destruuntur, solius sit virtutis divinæ. Item proferens verba consecrationis nomine, auctoritate, seu in persona Redemptoris dicit: *Hoc est corpus meum.* Adde, quòd etsi non tanta proprietate verba prædicta salvarentur, non proptereà deberemus relinquere regulam illam Patrum, & Theologorum, *Deus administrat res medias per supremas, & infimas per medias.* Est enim hoc non solùm acceptum à Patribus; sed etiam frequentissima experientia in rebus materialibus notum, & in spiritualibus creditum: Hac quippè de causa ad illuminandum hæc inferiora creavit Deus Solem, Lunam, & alia astra; cùm tamen posset Deus solus producere illuminationem, & alios effectus, quos astra in his inferioribus producunt. In spiritualibus autem hac de causa destinavit hominibus, & communitatibus Angelos Custodes, cùm tamen ipse solus posset præstare quidquid præstant Angeli.

3 Obijci etiam potest auctoritas aliquorum Patrum, qui oppositam sententiam defendunt. Respond. tamen, admisso, prædictos Patres non posse explicari, nobis non obstare: cùm pro nostra sententia multa sint gravissimorum Patrum expressa testimonia. De quo legatur præcitatus Suarez.

DV-

DVBIVM II.

4 PEtes secundò, an ministerio Angelorum factæ sint omnes apparitiones, quæ in novo testamento sub nomine Dei referuntur factæ? Respondetur affirmativè. Quia eodem omninò modo est philosophandū de istis, atque de factis in veteri testamento: cùm nulla discriminis ratio inter vtrasque reperiatur. Quare hìc applicanda sunt omnia, & singula dicta in dubio præcedenti.

5 Nota, nos non negare, divinas personas Patris, Filij, & Spiritus Sancti simul aliquando, aliquando autem seorsím sensibiliter apparuisse. Tres enim divinæ personæ simul apparuerunt Abraham sub forma triū virorum *Gen.* 18. *num.* 1. Item in veteri testamento persona Filij sæpè apparuit, præcipuè Iacob *Gen.* 32. *num.* 24. Et post Incarnationem apparuit Spiritus Sā-tus in specie columbæ *Matth.* 3. *num.* 16. Et in forma linguarum ignearum apparuit eadem persona Spiritus Sancti in die Penthecostes *Actorum* 2. *num.* 3. Insuper persona Patris visibiliter apparuit in illa voce facta in Iordane in Baptismo, *Hic est Filius meus dilectus, &c.* vt docent communiter, præcipuè D. Ambrosius *lib.* 6. *de initiandis cap.* 5. *& Cyprianus.* Item vox illa audita in transfiguratione, & dicens; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, vox fuit propria Patris, seu sub illa sensibiliter apparuit persona Patris eadem ratione, qua & vox facta in Iordane. Vnde addit Ecclesia; *Et vox Patris intonuit, Hic est Filius meus dilectus, &c.* De quibus legatur Suarez *lib.* 6. *cap.* 21. *à num.* 4.

6 Itaque nos non negamus, tres divinas Trinitatis personas simul aliquando, aliquando autem seorsim apparuisse sensibiliter, seu sub forma corporali. Negamus tamen, personas divinas, aut illarum aliquam sivè in veteri, sivè in novo testamento per se ipsam immediatè sub corporali forma (Incarnationis mysterio excepto) hominibus apparuisse. Sed dicimus prædictas, & quascumque alias similes apparitiones ministerio Angelorum fuisse factas, propter rationem dubio præcedenti adductam.

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò, an Christus Dominus postquàm ascendit ad cœlos apparuerit alicui per seipsum immediatè? An ministerio Angelorum? Respōdetur, aliquando per se ipsum immediatè; aliquando autem ministerio Angelorum fuisse factas Christi Domini apparitiones. Quia vtroque modo Christum Dominum apparere est posi-

possibile; & aliàs aliquę circumstantiæ exigunt, vt iudicentur illarum nonnullæ esse immediatè factæ per ipsum Christum Dominum; sicut & quòd aliæ fuerint factæ alicuius Angeli ministerio, & interventu.

8 Et quamvîs verum sit, quòd Christus Dominus potest personaliter per se ipsum immediatè apparere sub diversa forma corporali, ac est illa, quam nunc habet in cœlo. Sicut enim nunc in cœlo existit modo extenso, & in Eucharistia simul existit modo indivisibili, & inextenso velatus sub accidentibus; potest diversam formam gerere in apparitione, propriam velando figuram, aut illam aliquo modo immutando per appositionem alterius formæ corporalis virtute divina, aut Christi Domini tunc formatæ. Itaque quamvîs posſit Christus Dominus per se ipsum immediatè sub diversa forma apparere. Tamen existimant multi, quòd, quando apparet sub diversa forma, quam habet in cœlo, illa apparitio non fit immediatè ab ipsius Christi Domini persona, sed quòd fit interventu alicuius Angeli. Vnde putant, ministerio alicuius Angeli fieri apparitiones, quibus Christus Dominus in Eucharistia apparet alicui sub diversis speciebus peregrinis, & extraordinarijs, pueri v. g. crucifixi, &c. Et quamvîs hoc regulariter sic iudicem: hoc tamen non est omnino certum: cùm Christus Dominus post resurrectionem suam sub forma gloriosa existens, apparuerit per se ipsum, & immediatè (oppositum enim sine fundamento diceretur) sub specie, & forma hortulani Magdalenæ *Ioan.* 20. *num.* 25.

9 Igitur regula, seu circumstantia, quæ attendenda præcipuè est ad iudicandum aliquam apparitionem Christi Domini esse personalem, ab ipso immediatè factam; aut esse factam ab aliquo Angelo nomine, & auctoritate Christi Domini, est gravitas materiæ. Si enim illa apparitio conducat ad beneficium, doctrinam, aut vtilitatem totius Ecclesiæ, aut alicuius reipublicæ, iudicandum est fieri ab ipsomet Christo Domino immediatè: secùs autem, si solùm respiciat alicuius particularis personæ vtilitatem, vel consolationem. Propter hanc rationem iudico, certum esse, sine interventu alicuius Angeli factam fuisse apparitionem, qua Christus Dominus apparuit Paulo iter facienti in Damascum ad persequendum Ecclesiam *Actorum* 9. Conducebat enim illa apparitio ad vniversalis Ecclesiæ vtilitatem: cùm fuerit facta ad conversionem tanti Apostoli. Et ideò ipsemet Christus se ipsum

immediatè ostendit, & descendit in terram: (si opus est, & non potiùs simul fuit in cœlo, & in terris) sicut etiam proprio ore Paulo locutus est: vt benè obseruat Suarez *libro* 6. *capitulo* 21. *numero* 19.

10 Prædictus Suarez *ibi numero* 20. existimat, etiam apparitionem factam Petro fugienti è Roma, quando Christus Dominus dixit, se Romam petere, vt iterum crucifigeretur, fuisse personalem ab ipso Christo Domino immediatè. Sicut & Lorinus affirmat, apparitionem, qua Christus Dominus apparuit Stephano *Actorum* 7. fuisse in propria persona. Sed neutram istarum est mihi satis certum fuisse factam ab ipso Christo immediatè: cùm non sit satis certum specialiter fuisse factas propter communem fidelium vtilitatem.

11 De vltima apparitione, qua Christus Dominus hominibus apparebit, nēpè in vltimo iudicij die, mihi nullum est dubium futuram esse ab ipso immediatè. Cùm ad totius generis humani negotium spectet.

DVBIVM IIII.

12 PEtes quartò, an apparitiones, quæ à Beatissima Virgine, & alijs Sanctis leguntur factæ, sint ministerio, & interuentu Angelorum? Respondetur, regulariter sic fieri: Quia sic evitatur recursus ad miraculum, vel saltem faciliùs, & quasi connaturaliùs fiunt prędictæ apparitiones. Si enim dicamus, Sanctum, qui apparet, simul esse in cœlo, & in terra, magnum miraculum admittimus. Si tamen dicamus, dùm apparet, cœlum deserere; vt descendat ad terram, obstat, quòd ad statum beatorum hominum non pertinet cura, vel administratio externarum rerum; benè tamen ad statum Angelorum, quibus commisit Deus curam hominum, & conservationem huius mundi visibilis. Et ideò, si beati immediatè apparerent personaliter, aliquid minus facile, & quasi præternaturale operarentur. Fiunt ergo prædictæ apparitiones interventu Angelorum repræsentantium sanctum illum, cuius nomine fiunt.

13 Dixi autem *regulariter*; quia piè crederem, aliquam dari apparitionem immediatè factam ab ipsamet persona, vel anima illius sancti, qui appa-

ret,

ret., seu cuius nomine sit apparitio. Huius generis esse apparitionem, qua Beatissima Virgo apparuit Divo Ildefonso, afferens ei sacerdotalem vestem, piè credit Suarez *lib. 6. cap. 21. numero 23.* Et addit, etiam esse magnum fundamentum in historijs Toletanæ, & Cæsaraugustanæ Ecclesiæ ad affirmandum, eamdem Reginam mundi Divo Iacobo in Hispania personaliter apparuisse: sicque à multis piè, ac prudenter credi. Quibus subcribo; eò maximè quia ad totius Hispaniarum regni vtilitatem, ac devotionem multum conduxit vtraque apparitio.

DVBIVM. V.

14 PEtes quintò, cuius ordinis sint Angeli, quorum, interventu prædictæ apparitiones fiunt? Respondetur, fieri regulariter per Angelos infimæ Hierarchiæ. Isti enim circa ministeria ad huius mundi vtilitatem pertinentia occupantur. Recolantur dicta *cap. 3. diff. 3. à num. 22.*

15 Dixi regulariter: quia D. Gregorius *homil. 34. in Evangelia* satis innuit, ineffabile Incarnationis mysterium fuisse nuntiatum per Angelum superioris, immo supremi ordinis: sic enim fatur: *Ad hoc quippè ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.* Et quamvis sciam, posse responderi, loqui Gregorium de spiritibus tertiæ Hierarchiæ tantùm: non tamen omnino quiesco: ampliori enim extensione videtur loqui Gregorius: cùm comparet ministerium, quod nutiabat cum Angelo, à quo nuntiabatur. Sed mysterium Incarnationis est absolutè supremum omnium, quæ Deus èst operatus ad extra: ergo per supremum omnium Angelorum, seu cœlestium spirituum debuit nuntiari, ex mente Gregorij. Probatur minor ex Augustino 13. *de Trinit. capit. 19. In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quòd homo in vnitate personæ coniunctus est Deo.*

16 De his apparitionibus consulantur recentiores, præsertim Suarez *libro 6. à capit. 20. & Pater Thyræus libro de Apparitionibus spirituum, & libro de Apparitione Christi*: ex quo auctore successores multa sumpserunt.

***

DVBIVM VI.

17 PEtes incidenter, vtrùm Christus Dominus personaliter immediatè apparuerit Patri N. Francisco, dùm ipsum sacris nostræ Redemptionis signis stigmatizavit? Respondetur affirmativè. Quod probant verba illa, quæ in hymno canit Ecclesia: *Ad quem venit Rex è cælo*: suntque multa alia hoc probantia in officio illius solemnitatis. Secùndò, quia ista apparitio multum conduxit ad vtilitatẽ vniversalis Ecclesiæ. Hinc dicitur in oratione illius solemnitatis: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne in carne B. P. N. Francisci passionis tuæ sacra stigmata renovasti, &c.* Sed ex dictis *num.* 9. id, quod præcipuè est attendendum ad iudicandum aliquam apparitionem esse personalem: seu immediatè factam à Christo Domino, est quòd conducat ad vtilitatem communem fidelium: ergò fuit ab ipsomet Christo Domino immediatè facta. Hanc sententiam tenent *D. Bonaventura*, D. *Bernardinus, D. Antoninus de Florentia S. Vincentius Ferrer*, S. *Angelus Carmelitanus, & alij*; & eam videntur apertè docere multi Summi Pontifices, præsertim *Gregorius* 9. *Alexander* 4. *Nicolaus* 3. *Sixtus* 4. *&* 5. De quo præcipuè videatur noster Fr. Petrus Nuñez de Castro *in suo Sanctorali Seraphico in tractatu Apologetico de Sacrorum stigmatum impressione ab ipsomet Christo Domino facta in carne B.P.N. Francisci, præsertim à cap.* 5. In quo tractatu rem hanc eruditè pertractat.

18 Hinc reijcitur Blasius Viegas, qui *in capite* 12. *Apocalipsis* dicit, probabile esse, Divum Michaelem impressisse Patri N. Francisco sácra redemptionis stigmata. Et obijcit, quòd in honorem huius Archangeli longũ tunc Seraphicus Pater duxerat ieiunium: ergo congruum videtur ab ipso tantum recepisse beneficium. Respondetur, immeritò hunc auctorem propter levem congruentiam contra tot, tantosque Patres immo, & videtur, quod contra multorum Põtificum decreta, fuisse locutum.

19 Instabis; omnia dicta ab Ecclesia in officio stigmatum possunt explicari; itavt dicamus, Christum Dominum illa fecisse medio Archangelo Michaele: ergo ex illis auctoritatibus non sumitur efficax argumentum. Respondetur distinguendo consequens. Est enim verum, quòd ex illis præcisè, non sumitur efficax argumentum: falsum autem, quòd ex illis, adiuncta auctoritate Divi Bonaventuræ, & aliorum, quos *numero* 17. citavimus,

mus, non sumatur efficax argumentum. Addo, quòd Authores communiter, & Patres dicunt Christum Dominum immediatè per se ipsum apparuisse Divo Paulo in via. (vt dicebamus *numero* 9.) Ad quod moventur propter grauitatem materiæ, & fidelium vtilitatem. Sed stigmatizatio Seraphici Parentis est gravissima, & vtilissima in Ecclesia: ergo à Christo Domino fuit immediatè facta. Plura huc spectantia vide apud prędictum Nuñez *num.* 17. citatum.

CAPVT IX.

De Angelorum mensura, seu duratione.

De immortalitate, & incorruptibilitate Angeli egimus *cap.* 2. *diff.* 3. *&* 4. Vnde aliqua sunt in præsenti mutuanda. Distulimus autem vsque nunc tractare de Angeli mensura, & duratione, vt postquàm iam egerimus de illius actionibus, de istarum mensura, & duratione simul pertractemus.

***

DIFFICVLTAS I.

De duratione, & mensura in communi.

1 SVppono, quòd duratio est aliquid reale, & non fictū in re, quæ durare dicitur: sicut existentia est aliquid reale in re, quæ dicitur existere; albedo in re, quæ alba denominatur, &c.

2 Suppono secundò, durationem solùm attribui verè, & propriè reb' actu existētibus, prout existentes sunt. Quare si res actu existens â nobis concipiatur, nō dicitur durare, quatenus seu quandiù durat in nostro cōceptu, sed quādiù actu realiter existit.

3 Suppono tertiò, mensuram esse instrumentum, quo de magnitudine alterius rei certificamur: vel natū certificare nos de alterius rei magnitudine. Vt patet in vlna v.g. per quā de magnitudine panni certificamur. Vnde constat, quòd mensura passivè sumpta, seu mensurari, aut mensurabile est res ipsa, de cuius magnitudine per aliam rem magis notam certificamur. Constat etiam, quòd mensura debet esse notior mensurato. De quo videatur Scotus *in* 2. *dist.* 2. *q.* 2. §. *Ad secundam partem*. Igitur, cùm res actualiter existēs possit coa-

dęquari cùm alia maiori, ęquali, vel minori; fit, vt posſit aſſumi, vt inſtrumentum ad certificandum nos de alterius magnitudine. Poſſumus item per aliã rem certificari de magnitudine illius: & conſequenter, dùm res actu exiſtit, dicitur menſura activa, & paſsiva.

4 Hinc conſtat, quare duratio, ſeu res durans dicatur menſura activa nempe, quia, dùm durat, poteſt aliam menſurare. Necnon, & quare dicatur menſura paſsiva, nempè quia poteſt per aliam menſurari. Vt patet tã in ſucceſsivis, quàm in permanentibus: dùm enim motus horologij v.g. durat, poteſt coadæquari cum altero fluxu, ſeu motu: & conſequenter poteſt menſurare illum; necnon, & poteſt per illum mẽſurari. Item in permanentibus; quandiù enim vlna durat ſeu habet actualem exiſtẽtiam, poteſt coadæquari cum panno v.g. ac per cõſequens poteſt illum menſurare; necnon, & poteſt menſurari per illud.

5 In his nullam invenio controverſiã. Illis tamẽ ſuppoſitis, reſtãt aliquot dubia examinãda

DVBIVM I.

6 Peres primò, an duratio ſit aliquid realiter diſtinctũ ab exiſtẽtia Dei; qua durare dicitur? Reſp. negative. Quia non ſunt multiplicãdæ entitates ſine neceſsitate. Sed nulla eſt neceſsitas ponendi durationem realiter diſtinctam ab exiſtẽtia: ergo nõ diſtinguitur realiter ab illa. Probatur minor: quia concipiendo rem cum exiſtentia, ſaltem poſt primum inſtans ſui eſſe, concipimus, rem durare, ſeu perſeverare. Hanc concluſionẽ defendunt (loquendo de ævo comparato cum æviterno) Scotus *in 2. diſt. 2. q. 2. §. Contra iſtud*, *Pilof. diſp. 9. art. 3. n. 5*. *Rada controv. 4. art. 2. concl. 2*. *Fabro in 2. diſp. 12. num. 2. & cæteri Scotiſtæ*. Generaliùs autem loquendo, de omni duratione cũ exiſtentia comparata tenent noſtram cõcluſionẽ *Ocham, Gabriel, Capr. & Soncin. quos citat, & ſequitur Suar. in metaph. diſp. 50. ſect. 1. n. 4*.

7 Sed obijcies primò: menſura realiter diſtinguitur à menſurato. Sed duratio eſt mẽſura rei, quæ durare dicitur: ergo diſtinguitur realiter ab illa, aut ab eius exiſtentia, cum qua idẽtificatur realiter in principijs Scoti. Probatur maior: quia tempus differt à motu per hoc, quod menſurat ipſum. Secundo, quia quantitas permanens eſt realiter diſtincta à ſubſtantia, quam menſurat. Minor etiam probatur ex communi modo loquentiũ. Item ex eo quod non reperitur alia menſura intrinſeca rei, niſi eius duratio. Reſp. (conceſſa maiori; non tamen propter primam probationem: de qua ſermo erit *num. 11.*) negando minorem. Ad primam probationem dico, quod, quando communiter dicitur, duratio-

tionem esse mensuram rei, mensura sumitur latè: vt benè notat Cavellus *in 2. distinct. 2. quæst. 2. in Scholio ad §. Ad secundam partem.* Habet enim existentia rosæ v.g. vnam ex conditionibus rigorosæ mensuræ, nempè esse magis notam, quàm mēsuratum: cùm cognoscamus rosam existentem, & etsi non certificemur de illius essentia. Non tamen habet esse realiter distinctam ab actuali essentia: quòd omnino est necessarium ad rationem rigorosæ mensuræ: quia mensura semper est aliquid extrinsecum mensurato: vt cum Scoto *in 2. distinct. 2. quæst. 2. §. Ad secundam partem* notat Suar. *disp. 50. Metaph. sect. 2. n. 7.* & sumptum est ex Aristotele *10. Metaph. cap. 2. & 3.* dicente: *Mensura est id, quo cognoscitur quantū.* Ad secundam probationem dico, nullū esse incommodum, quòd non reperiatur aliqua mensura propria intrinseca rei: vt docet Scot. loco citato *vers. Ad propositum* loquendo de actuali existentia, seu duratione Angeli.

8 Dices, quòd quantitas permanens est mensura substantiæ corporeæ: ergo datur intrinseca mensura rei. Resp. nos solū negare, esse necessarium, quòd omnis res habeat mensurā intrinsecam sui; non tamen, quòd aliquas res possit illam habere. Sicut enim etsi aliqua substantia habeat adiunctā quātitatē molis; nō tamē sequitur, omnē substantiā affici prædicta quantitate: ita etsi aliqua substātia habeat mensuram intrinsecam; nō infertur, quamcumque substantiam illam habere.

9 Obijcies secundò: res in primo instanti sui esse habet existētiā, & tamen nō dicitur durare: ergo duratio aliquid realiter distinctū ab existentia includit. Antecedēs probatur: quia duratio necessariò includit, vel saltē cōnotat aliquam præexistentiam, seu antecessionem in existendo: est enim duratio perseverātia in existendo; sicut cōservatio. Existentia autem, vt sic, seu existere præscindit ab hoc, quòd res habuerit iam, vel nō habuerit esse extra causas, & absolutè dicit, quòd res existens actu sit in rerū natura, seu sit iā extra esse possibile. Resp. distinguēdo cōsequēs: est enim verū, durationē distingui ab existentia rei pro primo instanti sui esse cōsiderata: falsū tamen, si existentia cōsideretur post primū instans. Nec aliud intendit nostra cōclusio, nisi quòd duratio, & existētia rei post primū instans sui esse cōvertibiliter se habētvalet quippè: res existit post primū instās: ergo durat: res durat: ergo habet perseverātem existentiam.

10 Obijcies tertiò: omnis duratio creata necessariò includit aliquā successionē: sed existētia rei permanētis: nō includit successionē: ergo realiter distinguūtur.

cere:rationale est sensitivũ, est vivens, convenit cum leone, equo &c. Item est verum dicere, animal in homine est capax disciplinæ, admirativum, &c. Sicut est verum dicere, quòd in lacte album est dulce, sapidum &c.

13 Ex quibus patet, quid intendat Aristoteles 4. *Physicorum*: dum docet, quòd motus est velox, aut tardus, non autem tempus; solùm enim vult, quòd motus formaliter consideratus est tardus, aut velox; non tamen tempus formaliter consideratũ: realiter tamen etiam tempus est velox, & tardum. Sicut rationale in homine est vivens, sentiens, &c. Nec possibile est, quòd in re reperiatur tempus, cui non conveniant prædicata, quæ conveniunt motui: quia motus, & tẽpus sunt idem realiter. Neque oppositum convincit instantia motus cœli, & horologij: est enim falsum, quòd in spatio vniꝰ horæ v.g. maior, aut minor motus possit esse: motus enim ille semper est æqualis, & vniformis cum tempore, à quo mensurari dicitur: tempus enim nihil aliud est, quàm fluxus illarum partiũ: quare si fluxus est velox, tempus est velox; si fluxus est tardus, tẽpus est tardum.

14. Verum est, quòd, si tempus, aut fluxus vnius mobilis (cœli, v.g. aut horologij) cõparetur cũ alijs fluxibꝰ aut motibꝰ extrinsecis, (aquilæ v. g. & formicæ) dicetur velox, aut tardus respectu eorum: maiori quippè celeritate movetur aquila, quã arena horologij; & tardiori motu movetur formica, quam fluit prędicta arena. Tunc tamen etiã dicitur velox, aut tardum tempus, quòd identificatur cum fluxu horologij. Certius adhuc est, quòd, si per spatiũ vniꝰ horæ v.g. simul currant cervꝰ & formica, velocior erit motus cervi, & tardior formicæ inter se comparati; & tamen tempus illius horæ non dicetur velox, aut tardũm. Tunc tamen nec motus cœli, aut horogij qui identificatur cũ tempore, erit velox, aut tardus.

15. Ex quibus omnibus constat, quid veritatis, aut falsitatis contineant diversi modi philosophandi, qui circa durationem circumferuntur, & quos refert Suarez *in Metaphysica disp. 50. sect.* 2. Primus dicit, duratione distingui ab existentia: quia existentia significat absolutè, & simpliciter, rem esse extra suas causas: duratio verò dicit existentiam connotando successionem, cui coexistit, vel potest coexistere rem, quæ durare dicitur. Vel aliter, quòd duratio dicit existentiam, quatenus apta est ad coexistendum succesioni. Ita *Gabriel, & Ochamus*. Igitur constat ex dictis, quòd hic modus philosophandi coincidit cũ nostra sententia: non enim postulat distinctio-

ctionem realem inter existentiã, & durationem; sed distinctionem rationis, aut fortè formalem: quam nos non negamus.

16 Secundus modus philosophandi dicit, durationem distingui ab existentia: nam existentia solùm dicit, habere entitatem actualem extra causas: duratio autem addit negationem desitionis, seu dicit, quòd illa existẽtia, aut illud esse non sit destructum. Advertitque hic modus, quòd etsi prædicta negatio virtute contineatur in existentia, non tamen concipitur perfectè duratio, quoàdusque illa negatio concipiatur expresse, & formaliter. Sicut ad perfectè concipiendum vnitatem concipimus carentiam, seu negationem divisionis; ad concipiendum personam concipienda est negatio communicationis vt quo, & vt quod. Constat etiam ex dictis, hunc quoque philosophandum modũ coincidere cũ nostra sentẽtia: quia prædicta negatio desitionis, aut est ipsamet formalis existentia cõcepta per modũ affirmationis: sicut negatio irrationalitatis in hominis secundũ aliquos est ipsamet rationalitas. Aut, si est quid ab existentia distinctũ, (distinctione negativa) non est ab illa realiter distinctũ, sed cum ea realiter identificatur.

17 Tertius modus philosophãdi affirmat, durationẽ, supra existentiam addere rationẽ, seu relationem mensuræ, & per hoc ab illa distingui. Qui modus philosophandi insinuatur à Capreolo *in 2. d. 2. q. 2. art. 1. conclusione 5. & 6. & artic. 3. præsertim in solutionibus argumentorum contra 2. p. 6. cõclusionis*, & est satis communis inter Thomistas, teste Suar. *ibi n. 7.* Potestque intelligi de mensura activa, necnon & de passiva; quãvis displiceat nonnullis intellectus de mensura activa, præsertim ipsi Suarez *ibi n.* 16. Tamen potest reduci ad nostram conclusionem, sivè intelligatur de mensura activa, sivè de passiva. Quia cùm res actualiter existens possit coadæquari cum alia maiori, æquali, vel minori, fit, vt possit assumi, vt instrumentum ad certificandum nos de alteri⁹ magnitudine. Possumus item per aliam rem certificari de magnitudine illius: & consequenter, dùm res actualiter existit, dicitur mensura activa, & passiva; non quia actu assumitur ab hominibus, vt instrumentum ad mensurandum; aut quia actualiter mensuratur per aliam rem; vtrumque enim hoc exercitium accidentaliter convenit cuicũque rei existẽti: sed quia quæcũque res actu existens habet potẽtiam, seu capacitatem in actu primo adhoc, vt ab hominibus assumatur, vt instrumentum, ad mensurandũ alias res; necnõ & adhoc, vt per alias mensuretur.

18 Igitur cùm prædicta capacitas, potentia, seu relatio fundamentalis, aut in actu primo non sit quid realiter distinctum ab existentia; prædictus modus philosophandi coincidit cum nostra conclusione. Sin verò rationem mẽsuræ ponat in aliqua relatione actuali; seu loquatur de mensura actuali; nobis placere non potest; sivè loquatur de mensura activa, sivè de passiva: quia actuale exercitium mensurandi est valde accidentarium durationi non solùm rei permanentis, sed etiam successivę: sunt enim ferè infinita quæ ab hominibus non sunt instituta, aut assignata ad mensurandum: & cõsequenter carent actuali exercitio mensurandi: & tamen actualiter durant: ergo ratio durationis quid distinctum est, & separabile ab exercitio mẽsuræ activæ, & passivæ.

19 Vltimus modus philosophandi est Suarez *ibi num.* 9. & affirmat, durationem propriè sumptam dicere de formali positivam permanentiam in existẽdo: quæ ratione tantùm, vel cõnotatione aliqua intrinseca ab existentia differt. Quæ sententia est ipsissima nostra conclusio; vt ex dictis *à n.* 6. est manifestum.

20 Sed contra totam doctrinam dictam est communis, & difficilis obiectio in hunc modũ. *vbi*, seu id, per quod res creata dicitur esse in loco, est quid realiter distinctum ab ipsa re, quæ dicitur esse in loco: ergo & duratio, seu id, per quod res creata dicitur esse in tempore, seu durare, erit quid realitur distinctum ab ipsa re. Respond. negãdo consequentiam, seu paritatẽ: quia per *vbi* significamus actualem coexistentiam, aut commẽsurationem cum loco: per durationem autem significamus solùm fundamentalem coextensionem ad tempus, seu propriã existentiam rei. Quare Deus ante creationem cuiuscũque mobilis, & consequenter ante coexistentiam cum aliquo motu, seu fluxu, vere durabat formaliter: necnon & verè durabunt formaliter res permanentes, postquã cessaverint motus cœlorũ immò & etiã si cessarent omnes & singuli motus creaturarum.

21 Si tamen per *vbi* solùm significaremus fundamẽtalem respectum ad locum, non esset necessarium ponere aliquid realiter diversum ab ipso locato. Etsi per formalẽ durationẽ significaremus actualẽ respectũ coextensionis rei durantis ad tẽpus extrinsecũ, necessariò poneremꝰ actualẽ respectũ, per quẽ res durãs referetur ad tale tẽpus, tãquã ad id, cũ quo accidentaliter cõmensuraretur. Quẽ respectũ de facto concedimus in re, per quã aliquid mensuramꝰ; necnõ & in re mẽsurata per aliã. Et tamẽ hic respectus valde extrinsecus, & acci-

accidentarius cuicumque durationi, & rei duranti: cùm pendeat ab hominum voluntate designante rem aliquam pro mensura alterius: vt dicebam *num*. 18.

DVBIVM II.

22 PEtes secundò, an Præter mensuram, seu durationem intrinsecam rei, detur duratio, seu mensura extrinseca illius? Respondetur affirmativè. Quia in fluxu horologij v.g non solùm datur actualis existentia fluxus, sed etiam coadæquatio cum motu solis v. g. ergo non solùm datur duratio intrinseca; (quæ consistit in actuali existentia rei) sed etiam extrinseca cōsistens in præfata coadæquatione. Idem reperitur in rebus permanentibus: in vlna enim v. g. non solùm reperitur actualis existentia, sed etiam coadæquatio cum panno v.g. (coadæquatio, inquam, potentialis, seu in actu primo, antequàm actuali mentiendi accedat exercium: & coadæquatio actualis in ipsomet exercitio) ergo non solùm datur duratio, seu mensura intrinseca; (quæ consistit in existentia actuali) sed etiam extrinseca: quæ consistit in adæquatione cū altera re eiusdem generis; hoc est, succesivi ad succesivum, & permanentis cum permanente.

23 Adde, quòd communiter mensura, seu duratione extrinseca vtimur ad vsus humanos: & meritò. Per istam enim certificamur de maiori, vel minori duratione intrinseca rerum saltem quantum ad suam extensionem. Certificamur, inquam, hominem senem habere maiorem existentiam quoàd extensionē, quàm habet homo iuvenis: eo quòd ille coadæquatus est pluribꝰ cœli circulis, seu annis, quā iuvenis. Sic etiam certificamur, Angelorum existentiam habere plus quàm sexmille annos eo quòd ad totidem solis circulos coextensa est.

DVBIVM III.

24 PEtes tertiò, quotuplex sit duratio? aut quomodò dividatur? Respondetur, prima sui divisione dividi in succesivam, & permanentem. Quia sic dividitur existentia prima sui divisione; cùm omnis res, quæ existit, sit aut succesiva, aut permanēs: ergo similiter omnis duratio est aut rei succesivæ, aut permanentis Patet consequentia: quia duratio est formaliter ipsa existentia, vel saltem illam intrinsecè includit, aut cōnotat. Adde, quòd, si loquamur de existentia rei post primum instans sui esse, convertitur cum duratione: valent enim istæ cōsequentiæ: res aliqua existit post pri-

primum instans, seu conservatur: ergo durat: res durat: ergo existit post primum instans sui esse seu conservatur. Quare etiã valebunt istæ: res existit existentia successiva, post primum instans sui esse: ergo durat duratione successiva. Res durat duratione successiva: ergo existit successiva existentia. Res existit existentia permanenti post primum instans sui esse: ergo durat duratione permanente. Res durat duratione permanente: ergo existit existentia permanente.

DVBIVM IV.

25 PEtes quarto, quid sint durationes successiva, & permanens? Respond. quòd duratio successiva est, qua durat res successiva. Et ista duratio dicitur tempus. Quod *Arist.* 4. *Physic. c.* 11. sic definit: *Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*. Quæ difinitio reddit hunc sensum: Tempus est quædam mensura (ly enim *numerus* in hac definitione sumitur pro mensura) alicuius successivè trãseuntis secundùm quod habet partes priores, & posteriores. De quo latè egi 4. *Pphysicorum*.

26 Duratio autem permanẽs est, qua durat res permanẽs. Cũ autem sint aliqua permanentia essentialiter diversa quoad durationes, diversis debent defini tionibus explicari. Sed antequã ad declarandum diversitatem durationum rerum permanentium descendamus, præmittendum est, quid sit res successiva? & quid res permanens?

27 Igitur res successiva dicitur illa, cuius partes non coexistunt, seu non sunt simul tempore; sed quando existit vna, aut indivisibile illius, altera pars pertransivit; altera autem nondum advenit, & sic partes rei successivæ numquam simul tempore existunt, sed habent esse cum successione, hoc est, cum prioritate, & posterioritate temporis, vnius partis ad aliam. Quod totum patet in motu, (arenæ horologij v. g.) cuius partes nũquam existunt simul tempore, sed cum successione, aut temporis prioritate vnius ad aliam. Successio autem harum partium est id, quod vocant tempus, cuius definitionem, adduximus *numero* 25.

28 Res permanens dicitur illa, cuius partes coexistunt, seu existunt simul in eodem tempore, aut instante: à qua coexistẽtia, seu simultanea existentia partium res illa dicitur permanens. Quod patet in homine v. g. cuius corpus, & anima, simul tempore, & instanti fiunt, seu producuntur in rerum natura: quia in eodem instanti temporis, in quo verum est, quòd corpus illud est perfectè organicum,

cum, à Deo creatur anima illa, & vnitur prædicto corpori: vt suppono *ex libris de Generatione*. In hoc genere rerum permanētium numerantur res, quæ non habent partes physicas: vt sunt Deus, Angelus, Anima, & quæcūque indivisibilia: eoquòd pro quocūque temporis instanti sui esse, illud habent completum, & perfectum.

29 Verum tamen est, esse aliquas res permanentes, quæ recipiunt esse (& illud amittunt) successivè, & per partes: v.g. quando calor introducēdus est in subiectum habens contrariū, introducitur, seu producitur, non simul quoàd omnes suos gradus, seu partes, sed cum successione partium: eoquòd contrarium in illo subiecto existens per partes expellitur ab agenti naturali producenti calorem. Hæc tamen successiva introductio non tollit, quòd prædictæ re absolutè dicantur permanentes. Tùm, quia in conservari, seu in facto esse omnes illarum partes sunt simul in quocumque tempore, & instanti. Quare etsi in fieri possint dici successivæ prædictæ res: tamen in facto esse, & absolutè dicendæ sunt permanentes.

30 Tùm etiam, quia, cùm illud fieri successivum, non sit essentiale his rebus, sed solù in illis conveniat propter indispositionem subiecti, in quo sunt recipiendæ, aut in aliquibus alijs rebus propter aliquod naturale impedimentum: (vt patet de quantitate, & vbi, ad quæ dari per se motum, dixi 5. *Physicorum*) fit, vt de potentia absoluta possint illæ eædem res adhuc in fieri esse permanentes: cùm possit Deus in vno, & eodem instanti omnes illarum partes simul producere in quocūque subiecto: cùm possit in illo instante temporis expellere à subiecto illo quodcumque contrarium per suspensionem sui concursus conservativi, & fortè multis alijs modijs: & in eodem instanti cum aliqua posterioritate naturæ intensissimam inducere calorem.

31 Vnde constat, quare durationes dicantur successivæ, & permanentes. Itaque duratio dicitur successiva, eoquòd partium existentia (in qua consistit duratio) cum successione producitur, seu habet esse. Duratio autem permanens sic denominatur, eoquòd existentia partium rei permanentis, aut totius rei permanentis existentia (in qua consistit duratio) simul tempore, immo, & in instanti habet esse extra suas causas, aut in rerum natura.

DVBIVM V.

32 PEtes quintò, an sint plura tempora specie diversa? Respondetur negativè. Quia non apparet, vnde possint differe. ¶ Dices, tempus dividi in præsens, præteritum, & futurum: sed ista differunt specie: ergo dantur tempora specie differentia. Respondetur negando minorem: nihil enim reperitur in hoc tempore præsenti, (in hac die v.g.) per quod possit specificè differre à tempore præterito, aut futuro: cùm omnia hæc tempora cospirent in hoc, quòd est mẽsurare partes successivas: & solùm possint differre accidẽtaliter, nempè in hoc, quòd partes mensuratæ sint plures, aut pauciores; velociùs, aut tardiùs fluant; aut fortè in aliquo alio simili, quod quid accidentariũ est. Sicut mensuræ permanenti (vlnæ v. g.) quid accidentale est, quòd plures, aut pauciores pannos mẽsuret; quòd velociùs, aut tardiùs illos mensuret, quòd res mensurata sit vilis, aut pretiosa, &c. Confirmatur instantia. Sicut enim albedo v. g. quæ habet actualem existentiã, nequit essentialiter differre ab albedine præterita; seu quæ iam non habet esse, sed desivit heri, aut ab albedine, quæ cras producetur: ita res successiva præsens nequit essentialiter differre à re successiva preterita, vel futura.

DVBIVM VI.

33 PEtes sextò, quomodò dividatur duratio permanens? Resp. dividi, sicut dividitur existentia rei permanentis: Quia duratio est mensura existẽtiæ rei: ergo duratio permanens est mensura existentiæ rei permanentis: ergo duratio permanens dividitur ad divisionẽ existentię rei permanentis.

34 Res autem permanens alia est, cui absolutè, & pro quocumque tempore, aut instanti repugnat desitio existentiæ; seu non habere actualem existentiã: vt patet in Deo. Alia verò est res permanens, cui non absolutè, & pro omni tempore, aut instanti repugnat non habere actualem existentiam; seu repugnat desitio: vt patet in ente creato. Quòdcumque enim ens creatũ potest Deus destruere in quocumque tempore, vel momẽto: cùm pro omni tempore, & momento pendeat ens actuale creatum in suo conservari à Deo: & consequenter pro quocumque *nunc* potest Deus illud destruere per suspensionem concursus conservativi, & fortè multis alijs modis. Excipio primum instans, in quo res permanens habet esse: quia, cùm repugnet, rem simul

simul esse, & non esse, pro illo *nunc* destrui non potest. Sicuti neque res successiva pro primo tempore sui esse.

35 Ad rem ergo istidùo modi existendi (quantum ad durationem) differunt essentialiter: cùm Deo repugnet ab intrinseco desitio existentiæ: creaturæ autem non habeat talem repugnantiam. Vnde fit, quod est duplex duratio essentialiter diversa, nempe, qua durat Deus, seu res, cui repugnat desitio, seu ab intrinseco petit non deficere: & duratio aliarum rerum permanentium creatarum. Duratio Dei dicitur æternitas; duratio verò aliarum rerùm permanentium vocatur ævum.

DVBIVM VII.

36 PEtes septimò, quid sit æternitas? Respondetur cum Boetio *lib.5. de Consolatio 1. prosa 6.* quòd *æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Quam definitionem communiter admitunt, pręcipuè Scotus *quodl.6.§.Restat nunc versic. Contra istud*: & reddit hunc sensum: Æternitas est actualis existentia excludens inceptionem, desitionem, successionẽ, & dependentiam. Itaque æternitas est mensura, duratio, seu actualis existentia cuiusdam entis, cui ab intrinseco repugnat habuisse principium, (per modum causæ) habiturum finem, habere successionem partium, & dependentiam.

37 Vnde constat, quòd ly *vitæ* solùm connotativè ponitur in hac definitione: cũ ponatur in casu obliquo. Itẽ constat, quòd eadem particula exprimit quid positivum. Insuper cõstat, quòd reliquę particulæ declarant aliquid negativum. *Interminabilis* enim exprimit negationem temporalis inceptionis, & desitionis absolutè: quia interminabile dicitur, quod non habet terminos, seu quod nullis terminis claudi potest. Ly *tota simul* declarat negationẽ successionis: quia partes rei successivæ simul esse non possunt. Et demum ly *perfecta possessio* excludit dependentiã: non enim dicor perfectè possidere illud, quod possideo cum dependentia ab alio. De quibus legatur Scot. citatus.

DVBIVM VIII.

38 PEtes octavò, quid sit ævum? Respondetur esse durationem, qua durãt permanentia creata saltem incorruptibilia: & sic potest definiri: *Ævum est terminabilis vitæ totá, & simultanea possessio.* Quæ defintio reddit hunc sensum: Ævum est actualis existentia rei create permanentis, seu excludentis successionem formalem. Itaque ævum est mensura, duratio, seu actua-

actualis existentia cuiusdam entis creati, quod habuit principium, & causam; & cui ab intrinseco, immo ex nullo capite repugnat habere finem, seu destrui; & cuius partes physicæ (si habeat illas) possunt esse simul tempore, & instante.

39 Vnde constat, quòd ly vitæ ponitur connotativè; & denotat quid positivum: vt *num.* 37. dicebamus explicando æternitatem. Ly *terminabilis* declarat, rem æviternã habuisse causam, & posse terminari, seu destrui: vt dicebamus *num.* 34. Per illas alias particulas *tota, & simultanea possessio* denotatur, rem, quæ durat ævo, esse permanẽtem, & nõ successivam.

40 Ex quibus infertur, ævo durare saltem materiam primã, animam rationalem, & Angelũ. Quia quodlibet istorum est ens creatum permanens incorruptibile. Sed de ævo Angeli redibit sermo difficultate sequenti.

DVBIVM IX.

41 PEtes nonò discrimen repertum inter prædictas durationes. Respondetur cum Scoto *in 2. d. 2. q. 1. §. Contra istam versic. Hanc conclusionem*, seu potiùs cum Additionistis Scoti, quòd tàm æternitas, quàm ævũ conveniunt in hoc, quòd sunt mensuræ rerum permanentium. Differunt tamen essentialiter inter se per hoc; quòd æternitas mensurat rem indefectibilem: (Et ideò ipsa æternitas est, & dicitur mensura indefectibilis.) ævum autem mensurat rem defectibilem. Et ideò dicitur mensura defectibilis à defectibilitate sui conotati. Discriminatur verò æternitas, & ævum ex vna parte à tempore ex alia in hoc, quòd tempus mensurat successivum. Item etsi tàm ævum, quã tempus sint mensuræ defectibiles: cùm vtrumque mensuret quid creatum; differunt tamen in hoc, quòd tempus est mensura non solùm defectibilis, sed etiam actu deficiens: cùm mensuret motum, cuius partes semper sunt in fluxu, seu transitu: ævum autem est quidem mensura defectibilis: cùm nulla sit creatura, quæ non sit destruibilis à Deo: & consequenter eius mensura, existentia, seu duratio est defectibilis: non tamen requiritur, quòd ævum actu deficiat: cùm res permanẽs habeat omnes suas partes simul, (hoc est, in eodem tempore, & instante) & non in transitu, aut in fluxu.

42 Dices, quòd multa permanentia creata tandem pereũt: & consequenter transit, perit, seu finit eorum ævum: ergo etiam ævum est mensura non solùm defectibilis, sed etiam actu deficiens aliquando. Respondetur distinguendo consequens:

 quens:

quens: eſt enim falſum loquendo de deficientia propria ſucceſsivorum: & verum de deficientia communi omni creaturæ. Itaque cuicumque creaturæ neceſſariò convenit eſſe deſtruibilem à Deo: ſicut enim ab illo recepit eſſe, & in tali eſſe conſervatur: ita ab illo poteſt deſtrui. Cum quo tamen ſtat, quòd res creata permanens actualiter non deficiat, ſed habeat ſimul omnes ſuas partes: vt patet præcipuè in materia prima, anima, & Angelo, quorum eſſe eſt in perpetuum duraturum in illa integritate, qua illud receperunt à Deo. Immo quæcumque res permanens etſi aliquas partes perdat, & aliquas de novo acquirat; non tamen dicitur eſſe ſucceſsiva, ſeu eſſe in perpetuo fluxu, ſeu tranſitu: quia multæ illius partes ſunt ſimul tempore, & inſtanti. Quod longè aliter contingit in ſucceſſivis: non enim poſſunt eſſe ſimul duæ illorum partes. Itaque eſſe ſucceſsivi eſt in perpetuo fluxu, tranſitu, & deficientia: eo quòd illius partes ſimul eſſe non poſſunt, ſed continuò defluunt,

---

DIFFICVLTAS II.

De ſpectantibus ad propriam Angeli durationem

EGimus hucuſque de menſura, ſeu duratione in communi, vt apertè conſtaret, quæ ſit menſura, ſeu duratio Angeli. De qua iam ſuccedit diſputatio.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, qualis ſit menſura Angeli? Reſpondetur, Angelum menſurari, ſeu durare ævo. Quia ævum eſt menſura, aut duratio rerum creatarum permanētium præſertim incorruptibilium: vt conſtat *ex diff. 1. à num. 38.* Secūdò, quia Angelus non durat æternitate: hac enim durat Deus tantùm: vt conſtat *ex diff. 1. à num. 36.* Inſuper nō durat tempore: etenim hoc ſolùm durant res ſucceſsivæ: vt conſtat *ex diff. 1. à n. 25.* ergo durat ævo, tamquam propria, & intrinſeca menſura.

2 Nota, ævum non dici propriam Angeli menſuram, ſeu durationem, eo quòd illi ſoli conveniat. Durant enim etiam per ævum anima rationalis, & materia prima ſaltem: cùm in ſuo eſſe

esse nullam variationem reci-piant, aut aliquando illam sint recepturæ. Item non dicitur ævum propria Angeli mensura; eo quòd in rigore sit propria mensura. Cum enim ęvum, seu actualis existentia Angeli non distinguatur realiter à sua essentia, nequit esse propria mensura. Ævũ igitur dicitur propria mensura Angeli ad significandum, illum non mensurari, aut non durare æternitate, aut tempore; sed mẽsura quadam media, quæ dicitur ævum, & qua durant cætera incorruptibilia; immo (vt ego credo) omnia creata permanentia.

3 Sed contra conclusionem obijcies: Angelus mensuratur tempore: ergo eius mensura, seu duratio non est ævum. Probatur antecedens: quia simul cum hoc mundo visibili creavit Deus Angelos: vt diximus *c. 1. diff. 3. à n. 3.* ergo ex tunc illorum esse durat seu mẽsuratur tempore. Et ideò constat nobis, à creatione Angelorum plusquàm sex mille, & sexcentos iam fluxisse annos. Simile argumentum fit de æternitate in hunc modum: Angelus mensuratur æternitate: ergo eius mensura, seu duratio non est ævum: Probatur antecedens: quia Angelus semper est duraturus. Respondetur distinguendo antecedens: est enim verum de duratione, seu mensura extrinseca: & falsum de intrinseca. Recolantur dicta *diffic. 1. n. 22 & 23.* Itaque duratio, seu mensura intrinseca Angeli est ęvum. Cùm autem simul existat, quãdo existunt tempus, & æternitas, propter hanc coexistentiam temporis, & æternitatis; dicitur extrinsecè mensurari æternitate, & tempore.

DVBIUM II.

4 PEtes secundò, an ęvum Angeli sit realiter distinctum ab illius esse? Respondetur negative. Quia ęvum Angeli est eius existentia: sed existẽtia ab essentia non distinguitur realiter: ergo neque ęvum Angeli ab illius esse. Recolantur dicta *diff. 1. á n. 6.*

DVBIUM III.

5 PEtes tertiò, an operationes immanentes Angeli mensurentur ęvo? Respondetur affirmativè, Quia omnes Angeli operationes immanentes (sivè sint intellectiones, sivè volitiones) habent esse permanens; ergo non mensurantur tempore: & aliàs nõ sunt Deus, sed quid finitum, & limitatum: ergo non durant ęternitate: ergo durant, seu mensurantur ęvo. Patet hęc vltima

consequentia à sufficienti partium enumeratione. Hanc conclusionem defendit Scotus *in 2. d.2. quæst.4. §. & versic. Concedo conclusionem*, Rada *controvers. 4. conclus. 3. & alij* Scotistæ *cum non paucis alijs*.

6 Sed Thomistæ cum D. Th. *1. p. q. 10. art. 5.* defendunt, operationes immanentes Angeli, quæ sunt liberæ, & ordinis naturalis, non mensurari ęvo, sed tempore discreto: de quo tempore erit sermo *à num. 19.* Et obijciunt contra nostram cōclusionem, quod *in libro de Causis propositione 196.* dicit Proclus, quòd inter rē, cuius substantia & actio mensurantur tempore; & inter rem, cuius substantia, & actio mensurantur æternitate, est res media, cuius substantia mensuratur æternitate, & eius actio mensuratur tēpore; sed Angelus est huiusmodi res media: ergo eius operatio mensuratur tēpore. Respondetur, illam doctrinam non esse absolutè veram: nulla enim alia res â Deo mensuratur æternitate; si autem pro æternitate creaturæ, seu Angeli intelligat ævum, quod ęternitas participata vocatur ab aliquibus, eo quòd Angelus sit perpetuò duraturus; admitti potest maior illa quoàd cætera omnia; non tamen quantum ad hoc, quòd actio Angeli mensuratur tempore: hoc enim est verum de actione transeunte; (huius generis sunt actio, qua movet cęlum, & omnes actiones, quas circa corpora exercet) non autem de immanente, nempè de intellectione, & volitione saltē naturalis ordinis.

7 Obijciunt secundò: si operatio immanens Angeli mensuraretur ęvo, maximè quia habet vniformē modum essendi, seu permanendi, ac habet ipse Angelus. Sed hęc ratio est nulla: ergo prędicta operatio non durat, aut mensuratur ævo. Maior est Scoti *in 2. d. 2. q. 4. §. & vers. Contra conclusionem*. Et probatur à simili: ideò enim Angelus durat, seu mensuratur ęvo, quia eius existentia est invariabilis; hoc est, quia eius existentia est talis naturę; vt ipsi repugnet variatio, sivè fluxus, sivè partes transeuntes, seu fluentes: apertè quippè hoc pugnat cum indivisibilitate Angeli. Sed hoc idem habet eius operatio immanens: cùm etiam sit indivisibilis, & permanens: ergo etiam mensuratur eadem mensura, qua mensuratur Angelus. Minor prioris syllogismi, seu quòd illa ratio sit nulla, probatur: quia ex illa sequitur, substantias temporales mensurari ęvo: cùm habeant eundem modū essendi, ac habet Angel⁹: habent enim partes permanētes, & non fluxibiles, aut transeuntes. Respond. negando minorē Ad

probationem cõcedo sequelam cum Scoto *ibi versic. Sed contra hoc* & Scotistis. Itaque concedo, formas substantiales temporales durare ævo: quia habent partes permanentes, & non trafeuntes, aut fluxibiles; sicut illas habent res successivæ.

8 Dices: Angelus est semper duraturus: eius autem operatio immanens ordinis naturalis perit, seu transit: ergo diversa duratione durat Angelus, ac durat, seu mensuratur eius operatio libera immanens, saltem ordinis naturalis. Respondetur negando consequentiam. Angelus enim mensuratur ævo, non quia eius esse est permanens creatum; aut quia eius esse non est successivum. Quare notant cõmuniter Scotistæ, quòd etsi Angelus per vnum tantum instans duraret, mensuraretur ævo. Adde, quòd, si per possibile, vel impossibile, successivum esset ab æterno, & vsque in æternum foret duraturum, mensuraretur tempore.

9 Itaque cùm duratio sit existentia, ad essentialiter distinguẽdum durationes solùm debet attendi diversa exigentia, quam habet res durans ad existendum; aut diversus modus existendi. Ex diversa enim exigentia existentiæ provenit, quòd æternitas, seu duratio Dei essentialiter differat à quacumque duratione creaturæ. (sivè sit tempus, sivè ævum) Deus enim ex se, & ab intrinseco ita exigit existentiam indefectibilem, vt oppositum Deo repugnet, Omnis autẽ creatura ex natura sua, & ab intrinseco exigit existentiam defectibilem, adeò vt opposita exigentia illi repugnet. Ex diverso autẽ modo existendi, seu ex diversa exigentia ad existendum diverso modo differunt durationes rerum creatarum: conspirant quippè omnes res creatæ in hoc, quòd est habere existentiam defectibilem, aut destruibilem à Deo: quare aliunde debent differre. Igitur differunt essentialiter durationes creatæ per hoc, quòd alia res durans exigit permanentem, aut simultaneã existentiam; alia autem res durans exigit fluxibilem, aut transeuntem existentiam suarum partium.

10 Vnde infertur, esse quid materiale, aut accidentarium durationi, quòd res existens sit multum, aut parum duratura; sit spiritualis, aut corporalis; sit ordinis naturalis, aut supernaturalis, &c dummodò conveniat ipsi idèm modus existendi, aut eadem exigentia existentiç. Nõ secus, ac est quid accidentale, & materiale locationi, seu *vbi*, quòd res, quæ dicitur esse in loco, sit magna, vel parva, multo, vel parvo tempore sit perseveratura in loco; sit excellens, aut vilis, &c, & solùm attendimus

ad distinguendum essentialiter *vbi*, quòd res existens in loco, circumscriptivè, aut solùm spiritualiter, & indivisibiliter sit presens loco. Et consequenter, quãtumcumque ex alijs capitibus differant essentialiter illa, quę habent eumdem modum essendi in loco, quantum ad *vbi* non differunt essentialiter: vt patet in homine, & lapide: etenim tam Petrus, quàm hic lapis sunt in loco circumscriptivè: quia, cùm afficiantur quantitativa extensione partium in ordine ad locum, vterque exigit locum circumscriptivum. Insuper quia anima rationalis in statu separationis, Angelus, & accidẽtia supernaturalia (habitualis fides, spes, charitas, & gratia sanctificans) habent eumdum modum essendi in loco; (scilicet indivisibiliter) ideò etsi aliàs essentialiter differant inter se; tamen quãtum ad *vbi* solùm accidentaliter defferunt.

DVBIVM IV.

11 PEtes quartò, an visio beatifica, & fruitio Angeli mensurentur ævo? Respondetur affirmativè propter dicta dubio præcedenti: quæ omnia à fortiori sunt intelligenda de his actionibus, seu operationibus. Neque admittenda est aliqua æternitas participata per quam durent, seu mensurentur hæ actiones. Tùm, quia sufficit ævum ad illas mensurandum: sicut sufficit ad mensurãdum ipsammet substantiam Angeli, & alias illius operationes immanentes. Tùm, quia prædicta æternitas participata non facilè explicatur nisi coincidendo cum ævo: sicque erit quæstio de nomine.

12 Sed Thomistę dicunt, visionem, & fruitionem beatam mensurari ęternitate participata: & obijciunt, quod tales operationes sunt semper duraturæ; necnon & necessario eliciuntur: ergo mensurantur æternitate participata. Patet consequentia: quia ideo Deus mensuratur æternitate: quia semper durat, & est ens necessarium. Respondetur, omisso antecedẽti quoad secundam partem: in sententia enim Scoti visio, & amor beatorum liberè eliciuntur: cùm possit beatus potentia antecedenti divertere intellectum ab obiecto beato; potestque adhuc posita visione beata suspendere voluntatem ab amore beatifico: immo potest odisse Deum clarè visum: vt volunt non pauci Scotist. quibus subscribo. De quibus videatur noster Felix 1. *part. Tentatr. tract. de Beatitudine cap.* 4. *difficult.* 1. 2. & 3. Itaque omissa secunda parte antecedentis, negatur consequentia: Ad probationem dico, Deum mensurari æternitate;

tate; eoquòd est ens necessariũ quoàd existentiam; non autem eoquòd non liberè, sed necessariò procedit ab alio.

13 Obijciunt secundò: visio beata est immutabilior, quàm substantia Angeli: ergo mensuratur perfectiori mensura: ergo æternitate participata: solùm enim ista potest excedere ævũ. Consequentiæ patent. Antecedens probatur primò: quoniam visio beata procedit ab intellectu informato divina essentia, tamquam specie intelligibili: ergo ex principio suo habet omnimodam immutabilitatẽ. Probatur, secundò illudmet antecedens: nam quamvîs Angelus non varietur secundùm substantiam, variatur secundum accidentia: cùm recipiat diversa accidentia, nempè diversas intellectiones, & volitiones. Visio autem beata nullo modo variatur: ergo est immutabilior Angelo. Respondetur negando cõsequẽtias: est enim quid accidentale ad diversificandum mensuram, quòd res mensurata creata sit magìs, aut minùs perfecta in entitate, immutabilitate, aut in alio simili: vt dicebamus *n.* 10.

14 Respondetur secundò negando antecedens: substantia quippè Angeli necessariò existit: visio autem beata libere elicitur: cùm posit Angelus divertere suum intellectum ad alia obiecta; & sic cessare à visione illius. Nec obstat, quòd eius intellectus informetur divina essentia, tamque specie intelligibili: hac enim informatione admissa, (quę falsa est: quamvîs enim posit Deus supplere speciem impressam; sed non per informationem; sed per extrinsecam assistentiam movendo potentiam; & simul ponendo in effectu, seu visione quod poneret species impressa) adhuc manet libera visio: cùm posit per voluntatis imperium intellectus diverti ad alia obiecta, & cessare à visione obiecti beatifici. Vnde patet ad primam probationem. Ad secũdam dico, parum iuvare ad habendum perfectiorem mensurã, quòd Angelus recipiat diversa accidentia; non autem visio beata. Ex hoc enim solùm sequitur, quò Angelus mutatur aliquid recipiendo; non autem amittendo existentiam.

15 Obijciunt tertiò, quòd visio beata est divini ordinis, & est quædam participatio divinæ visionis; secundum illud *Ioan. primæ capit. 3. cùm apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus eum, sicuti est.* Sed Deus est immutabilis secundũ substantiã, & operatione; & ideò mẽsuratur ęternitate tã eius substantia, quã eiᵘ visio & amor beatificᵘ: ergo visio beata est omninò immutabilis: & cõsequẽter non mẽsuratur ævo, sed ater-

æternitate participata. Respondetur, omissa maiori non facilè explicabili: cùm potiùs dicenda sit paticipatio divinæ omnipotentię, cuius vi, & efficacia producitur. Dicitur autem participatio divinæ visionis solū propter quamdam analogiam, seu similitudinem repertam inter increatam, & creatam visionem: quæ stat in hoc, quòd sicut per suam visionem percipit obiectum, & ab illa beatur eius intellectus: ita creatura intellectiva per visionem, seu intellectionem attingit obiectū beatum, & eius intellectus beatur per prędictam visionem. Igitur, omissa minori, negatur consequentia: quia, etsi visio beata sit participatio divinæ visionis, nō tamen participat ab ea immutabilitatem: cùm sine controversia sit destruibilis à Deo. Immo in nostra sententia, etsi de facto Beatus numquam cessaturus est ab illa; potest tamen potentia physica, & antecedenti: vt dicebamus *num. 12. & 14.* Visio ergo beata nostra participat ab increata vim representādi obiectū beatū seu beatificandi intellectū: vt explicant non pauci; quibus non assentior: immutabilitatē tamē, seu indestruibilitatē nō participat: & ideò fallit consequentia.

16 Obijciunt quartò: visio beata nō mensuratur ævo; neque tēpore: ergo æternitate. Antecedēs probatur: ævum solùm mēsurat ea, quę pertinent ad ordinē naturę: tempus autē solū successiva. Resp. negando primā partem antecedentis: ad probationem dico, ęvum mensurare omnia & singula, quę habent esse permanens: estque ad hoc accidentale, quòd sint ordinis naturalis aut supernaturalis, &c. vt dicebamus *à num. 10.*

DVBIVM V.

17 PEtes quintò, an actiones trāseuntes Angeli (vt movere cœlum, ambulare in corpore assumpto, &c) mensurentur tempere nostro? Resp. affirmativè. Quia sunt actiones successivę, vt tamquam ad oculum certū suppono. Itaque quando Angelus apud Tobiam masticabat cibos, necnon & ambulabat, ad oculum actio illa fiebat cum successione: & sic habebat pro intrinseca mensura tempus, seu numerū motus secūdùm prius, & posterius: nihil enim aliud est tēpus, quā successio in aliqua actione reperta, seu quòd partes prędictę actionis non sint simul, sed fiant cum successione, aut prioritate, & posterioritate tēporis vnius ad aliam. Recolātur dicta *diff. 1. præsertim à num. 24.*

18 Hinc cōstat, quòd prædictæ actiones extrinsecè mensurātur tempore nostro, seu motu primi mobilis; qui motus per antonomasiam dicitur tempus; eo quòd per

per prædictum motũ(qui spatio viginti quatuor horarum fit ab Oriẽte ad Occasum) raptus Sol facit dies per suam præsentiam, per absentiam facit noctem. Sũt etiam alij duo motus; alius est proprius ipsius solis; qui spatio trecentorum sexaginta quinque dierum, & quinque horarum peragitur: & per istum fit integer annus. Alius motus est Lunæ proprius, & peragitur spatio viginti septem dierum, & octo horarum: & per istum (addendo duos dies, & aliquot horas) computamus vnum mensem. Ad rem ergo: etsi simul sint in rerum natura innumeri, & ferè infiniti motus, per quos actiones transeuntes Angeli extrinsecè mensurari possint, tamquàm per tempora extrinseca; communiter tamen per prædictos tres motus primi mobilis, Solis, & Lunæ debent mensurari: (sicut cæteræ humanæ actiones) eo quòd hi motus sunt vniformes, notiores, & famosiores alijs motibus. Propter quod omnes nationes eis vtuntur ad cœteros motus rerum sublunáriũ mensurandum: dicunturque absolute tempora; (nempè extrinseca) id est actu iam assignata ab hominibus ad mensurandum alios motus rerum inferiorum. Et consequenter per istos etiam debemus certificari de actionibus transeuntibus Angeli.

DVBIVM VI.

19 PEtes sextò, an detur aliquod tempus discretũ? Respondetur negativè. Quia nec illud novit Aristoteles: neque est aliquod fundamentum ad illud ponendum. Ita Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 4. §. Contra conclusionem vers. Contra modum, & quæst. 11. §. & vers. Dico ergo & Scotistæ cum aliquibus alijs.*

20 Pro plena huius intelligentia noto, *Henricum quodlib.* 12. *q.* 8. *D. Thom.* 1 *p. quæst.* 10. *art.* 5. *in responsione ad primum, & Thomistas communiter*, quibus subscribunt multi recentiores, præsertim Suarez *in metaph. disp.* 50. *sect.* 7. *num.* 8. constituisse quoddam tempus discretum constitutum ex pluribus instantibus correspondentibus singulis actionibus primi Angeli: vnde illud spatiũ, in quo durat cognitio Angeli, dicitur instans huius temporis. Et sicut illa cogitatio est indivisibilis, ac permanens, ita pariter illud instans temporis discreti, quod sibi correspondet, est indivisibile, ac permanens. Dicunt etiam Thomistæ, instantia huius temporis discreti differre ab instantibus tẽporis continui, quod est mensura primi mobilis, seu motus illius, quia illa possunt coexistere tempori nostro divisibili. cùm possit intellectio vna Angelica durare per vnum diẽ; ac

ac per conſequens inſtans menſurans eam coexiſtet tempori vnius diei. Inſtantia verò noſtri temporis, cùm ſint indiviſibilia, & non permanentia, non poſſunt coexiſtere alicui parti temporis.

21 Cùm ergo in Angelis ſint diverſæ cogitationes naturales ſibi invicem ſuccedentes, dicunt prædicti auctores, tempus diſcretum conflari ex ſpatijs correſpondentibus illis cogitationibus.

22 Quod tempus putat Henricus eſſe quantitatem diſcretam diſtinctam ab oratione, & numero. Ab oratione: (inquam) quia partes orationis poſſunt inter ſe continuari, & verè ſunt in tempore noſtro, & eo menſurantur: intellectiones autem Angeli, nec ſunt in tempore noſtro, nec eo menſurantur; nec poſſunt continuari inter ſe. Inſuper illud tempus differt à numero; quia partes numeri permanent, non tamen partes huius temporis: quia ceſſantibus intellectionibus corrumpuntur. Si verò partes numeri aliquando non permanent, hoc accidit numero.

23 Denique notant, Ariſtotelem non meminiſſe huius tẽporis: quia putavit, intellectionem cuiuſcumque Angeli eſſe æternam: & ideo non curavit de tempore hoc ad menſurandam prædictas Angeli intellectiones.

24 Igitur Scotus ibi tempus hoc impugnat: quia concedunt ſic philoſophantes *magnam multitudinem temporum ſine neceſſitate. Sequeretur enim, quòd quilibet Angelus haberet ſuum tempus diſcretum: quia vnus poteſt continuare cognitionem ſuam cum die noſtro: & Angelus alius poteſt ſuam continuare cum dimidio diei: tertius cum hora. Et ita vnus Angelus habebit quatuor inſtantia ſui temporis diſcreti, dum alius habet vnum inſtans. Immo ſequitur, quòd in quolibet Angelo erunt duo tempora diſcreta: quia quilibet poterit continuare intellectionem ſuam non continuando volitionem: & ita habebit duo inſtantia volitionis, & vnum tantum intellectionis.* Secundò ſequeretur, in quocumque Angelo ad multiplicationem intellectionum ſpecificè diſtinctarũ admittendum eſſe ab his auctoribus multiplex tẽpus ſpecificè diverſum Qua Henricus dicit, quòd in ſpecificè diverſis æviternis, ſunt æva ſpecificè diverſa: ergo etiam tenetur concedere tempora diſcreta ſpecificè diverſa in Angelo habente cognitiones ſpecificè diverſas. Immo & idem tempus conflatum ex inſtantibus ſpecificè diverſis, quoties vni cognitioni ſuccedit alia ſpecificè diverſa. Sic poſitionem huius temporis diſcreti impugnat Scotus *in 2. diſt. 2. quæſt. 4. § Contra concluſionem à verſ. Contra modum*: vbi alias etiam addit impugnationes

nes: *& quæst.* 11. § *Hic dicitur* idem impugnat Doctor inferendo gravia absurda. Et tandem §. *& versic. Dico ergo* reijcit tempus istud discretum, tamquam superfluum.

25 Igitur contra hoc tempus discretum procedit nostra conclusio *numero* 19. posita. Sed contra illam obijciunt Thomistæ: naturales Angeli operationes sunt instantaneæ, hoc est, quælibet fit in vnico instanti nostro, & aliàs sibi invicem succedunt sine continuatione aliqua; quod præcipuè patet, quando cognitiones, aut volitiones sunt omnino disparatæ: ergo spatia, quæ correspondent prædictis intellectionibus Angeli, cōflabunt vnum tempus discretū. Patet consequentia: non enim apparet, qua alia duratione possint dictæ intellectiones, & volitiones Angeli mensurari. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, propriam, & intrinsecam mensuram Angeli operationum immanentium esse ævum: vt diximus *à numero* 5. Cùm autem hæ Angeli operationes simul existant cum tempore nostro; nec non & cum Dei æternitate; extrinsecè mensurantur à tempore & æternitate. Sicut propter hanc coexistentiam Dei cum tempore nostro Deus ipse extrinsecè dicitur quodammodò mensurari tempore nostro; & nostrum tempus dicitur quodammodò mensurari extrinsecè æternitate. In qua extrinseca mensura fundatur veritas harum propositionum: Deus existit in tempore nostro: Angelus existit in nostro tempore. Nos, Angelus; immo, & ipsummet tempus nostrum existit in æternitate, seu simul existimus, quādo existit æternitas.

26 Ex dictis ferè in toto hoc capite habemus, nos tres tantū durationes, seu mensuras rerum admittere, nempè æternitatem, qua durat Deus: ęvum, quo durant Angeli, & omnes eius operationes immanētes; & tempus nostrum, quo durant omnia sublunaria, & etiam operationes transeuntes Angeli. Constat etiā ex dictis, nos nō admittere ęternitatem participatam ad mēsurandum visionem, & fruitionem beatam Angeli; sed dicim⁹, has durare, seu mēsurari intrinsecè per ęvum. Neque admittimus tempus discretum ad mensurandum actiones naturales immanentes Angeli; sed affirmamus, has etiam intrinsecè mensurari per ęvum, quod est propria duratio, seu mensura rerum creaturarum permanentium. Sed pro completiori dictorum notitia restat examinare sequens dubium.

* * *

DVBIVM VII.

27 PEtes septimò, vtrùm possit defendi, quòd ævum intrinsecum Angeli in ipso ponat successionem absolutam? Respondetur sub distinctione: aut enim loquimur secundùm mentem Scoti: aut de probabilitate in hoc reperta.

28 Dico primò: secundùm mentem Scoti defendi non potest, quòd ævum Angeli includat formalem successionem. Quia secundùm Scotum *in 2. d. 2. q. 2. §. Contra istud ab eodem versiculo* ævum Angeli est indistinctum realiter ab existentia ipsiꝰ: & ibidem docet, ævum Angeli esse indivisibile: ergo iudicat impossibile, quòd tàm in ævo, quā in æviterno ponatur aliqua formalis successio. Patet consequentia: quia in indivisibili successio stare non potest: & aliàs sicut ævum est indivisibile; ita & æviternum, quod est ab ævo indistinctum. Hanc conclusionem tenet Rada *controv. 4. art. 1. in limine.*

29 Sed Caietanus 1. *p. quæst. 10. art. 5. immo & Lychetus* dicunt, Scotum inclinasse in sententiam D. Bonaventuræ, qui ponit formalem successionem in ævo Angeli. Immeritò tamen sic philosophantur de mente Scoti, Quāvis enim §. *& vers. Qui vult* sic loquatur Scotus: *Qui vult tenere primam opinionem, quæ videtur probabilis, & habere pro se rationes probabiles; potest dicere, &c.* & ponit modum defendendi prædictam sententiam, & argumenta contra ipsam facta solvere nititur. Tamē sibi nō placet; sed semper visa est obscura, & difficilis: vt patet à §. *& vers. Sed contra cōclusionem*, vbi Scotus postquàm solvit argumēta facta contra sentētiam D. Bonavent. alia de novo contra ipsam conficit, & ea insoluta relinquit: argumenta autem omnia, quæ facta fuerant contra sententiam oppositā acuratè solvit: persistit ergo in præfata sententia.

30 Instabis, quòd Scotus citatus apertè fatetur, sententiam D. Bonavent. esse probabilem, & habere pro se rationes probabiles: potest ergo defendi. Respondetur, nos solùm negare posse defendi secundùm mentem Scoti propter rationes dictas Sicut, qui diceret, non posse defendi in sententia Scoti, beatitudinem formalem consistere in actu intellectus; non ideò negaret, esse probabilem oppositam sententiam. Quod, & in multis alijs potest exemplificari.

31 Dico secundò defendi potest sententia, quæ in ævo Angeli ponit formalem successionē. Quia habet pro se rationes probabiles: vt docet Scotus citatus. Estque sententia Seraphici Doctoris *in 2. distinct. 2. art. 1. quæst. 3.*

Et

Et probatur multis auctoritatibus, quas adducit Scotus ibi §. *Hic dicitur à vers. Pro ista opinione*, quibus dicitur, quòd solus Deus est æternus, & indeficiens: ergo omnis creatura habuit esse à Deo, & post receptionem talis esse conservatur; & potest non conservari: ergo habet prius, & posterius. Pro antecedenti sufficiat illud *Psal. 101. Tu autem idem es, & anni tui non deficient*: & illud Hieronymi *ad Marcellam*: *Solus Deus nō novit fuisse, nec futurum esse*: hoc est, solus Deus habet esse sine præteritione, aut futuritione: quia suum esse semper est præsens: numquā enim aliquid ipsius præterijt, aut aliquid futurum est de novo; aut pendet ab alio.

32 Secundò probatur, quia, circumscripto omni tempore, Angelus potest nunc creari, & posteà annihilari, & iterum reproduci: sed esse reparatum: seu reproductum non est omnino idem cum esse creato quantum ad *nunc*: alioqui nulla fuisset interruptio: ergo *nun* creationis aliud est à *nunc* annihilationis, & à *nunc* reparationis: ergo ævum Angeli includit plura *nunc*, inter quæ sit successio, seu prius, & posterius.

33 Dices: quomodo potest esse prius & posterius sine novitate esse? Respondetur cum Additionistis Scoti § *Illo sic dicitur*, quod hoc apertè declarat exēplum radij. Quia aliter egreditur rivulus à fonte; aliter radius à sole: in primo enim nova aqua semper exit, non eadem: radius autem à sole continuè egreditur, non quia aliquid novi semper emittatur, sed quia quod emissum est, continuatur. Vnde solis influentia non est aliud, quàm continuatio dati, supposito, quòd sol stet. Similiter in motu, & in esse rei mobilis aliqua proprietas habita amittitur, vel non habita acquiritur, sed in esse rei æviternæ, quod primò datum est, per continuam Dei influentiam continuatur. Sicut enim nulla æviterna creatura potest producere se ipsam; ita nequit se ipsam conservare: atque adeò continuè eget divina virtute cooperante. Et ideò, etsi totum esse integrum habeat, tamen continuationem prædicti esse non habet: propter quòd est ibi successio sine innovatione aliqua circa esse, vel proprietatem absolutam. Tamen ibi est vera continuatio; respectu cuius creatura habet esse quodammodo in potentia; ac per hoc habet successionem. Solus ergo Deus, (concludūt Additionistæ) qui est actus purus, est actus infinitus: & totum esse, & possesionem sui esse simul habet.

34 Nota cum Scoto §. *illo, & vers. Quivult, & cum Rada citato, & alij Scotistis*, quòd tenendo istam opinionem dicendum est,

ævum

ævum esse propriè quantitatem divisibilem, non in partes divisibiles, sed indivisibiles: sicut binarius est divisibilis in partes indivisibiles. Ista autem divisibilitas ævi non est in partes permanentes, sed in successivas raptim transeuntes: quia ipsa *nunc* ævi raptim transeunt, licèt esse æviterni maneat idem: atque ita est successio in continuatione rei æviternæ sine variatione, ac successione ipsius esse.

35 Dices, non esse intelligibile, quòd transeat *nunc* non amittendo, aut acquirendo aliquid novi res æviterna. Sicut non est intelligibile, quòd transeat tempus, quin amittatur aliquid rei successivæ, seu ipsius motus. Respondetur cum Scot. § *illo & vers. Qui vult, cum* Rada *ibi & Piloso disp*, 9. *art*. 5. *num*. 1. quòd sicut transit *nunc* ævi Angeli, trãsiret etiam totum esse Angeli, nisi Deus alia causatione poneret idem esse in sequenti *nunc*; & ita conservaret, positivè causando, non aliud esse, sicut est in successivo, sed idem esse infinities. Et ratio est iam tacta, nempe quòd sicut Angelus v. g. nequit se producere, nequit se in esse recepto conservare: atque adeò sicut indiguit Deo creante in primo *nunc*, indiget Deo conservante in sequentibus *nunc*.

36 Exẽplo rem declarat Scotus; sicut enim Angelus recipiẽdo suum esse naturale à Deo, recepit virtutem naturalem limitatam ad essendum præsens vni loco tantùm, taliter vt naturaliter, nõ possit esse in pluribus: ita illud esse, quod habet Angelus vnica causatione est limitatum adhoc *nunc*; & sic vi huius causationis non potest esse vltra hoc *nunc*. Quare, vt conservetur, seu habeat esse vltra hoc *nunc* seu in sequenti *nunc*, debet Deus ponere aliam actionem causans idem esse, aut protendere primam actionem, seu illam continuare.

37 Sed contra hanc secundã conclusionem multa congerunt *D. Thom. Henr. Caiet. Suar. Vazq. & Molina quos citat Pilosus disput*. 9. *artic*. 5. *num*. 5. In primis obijciunt. Quantitas non recipitur in non quanto. Sed Angelus est non quantus; quia est indivisibilis: ergo nequit recipere, *nunc* ævi; seu successionem. Patet consequentia, quia talis successio, seu *nunc* ævi est quantitas. Resp. distinguendo maiorem, est enim vera de quantitate permanẽte: non autem de successiva discreta. Et ratio est quòd quantitas permanens (idem est de successiva continua) est divisibilis in partes divisibiles: & ideò quælibet illius pars petit subiectũ divisibile. Quantitas autem successiva discreta est diuisibilis in partes indivisibiles: (vt patet in binario v. g.) & ideò quælibet illiꝰ pars potest subiectari in Angelo, quamvis sit indivisibilis.

38 Sed

38 Sed Vazquez *super*, 1. *p. disp.* 33. *cap.* 4. *num.* 16. vrget cõtra hanc solutionem sic: illa successio instantium ævi formaliter est in existentia Angeli: ergo facit Angelum formaliter quantum. Patet consequentia: forma enim afficiens subiectum capax (qualis est Angelus respectu illius successionis secundùm mẽtem D. Bonauent. quam nos in secunda conclusione defendimus) necessariò illud reddit tale: vt patet in albedine v.g. quæ in homine existens illum reddit album. Respondetur concedẽdo totum. Non enim reputam⁹ incommodum, quòd Angelus dicatur & sit quantus quantitate discreta. (sicut Deus dicitur, & est Trinus) Et ratio est iam assignata, nempè quod in partibus quantitatis successivæ discretæ nulla divisibilitas reperitur: vt patet in binario v.g. in quo est duplex vnitas, quarum vtraque est omninò indivisibilis Successio autem, quæ etiam reperitur inter illa *nunc* ævi Angeli non est aliquid divisibile: (sicut est successio quantitatis continuæ) & ideò nõ solùm ipsa *nunc* ævi Angeli, sed etiam ipsamet successio illorũ *nunc* possunt recipi in Angelo; quantumcumque sit indivisibilis.

39 Ratio autem, quare vna harum successionum sit indivisibilis, & altera divisibilis, est, quod successio, vt sic, nihil aliud est, quâm prius, & posterius inter partes fluentes, seu transeuntes: & ideò divisibilitas, aut indivisibilitas flux⁹, seu successionis sumitur ex partium divisibilitate, aut indivisibilitate. Cùm ergo partes quantitatis successivæ discretæ sint indivisibiles; nõ secus ac sunt indivisibiles partes quantitatis permanentis discretæ: vt patet in binario v.g. Itẽ cũ partes quãtitatis successivæ cõtinuæ sint divisibiles: vt patet in partibus temporis Hinc fit, vt successio vna â partium divisibilitate hauriat divisibilitatem; altera verò indivisibilitatẽ à partium indivisibilitate depromat.

40 Obijciunt secundò, quòd ævum Angeli modo explicato erit tẽpus discretum compactũ ex diversis instantibus, seu *nunc* sibi succedentibus, seu secundùm priùs, & posterius, Sed tẽpus discretum Thomistarũ refellimus â *nu.* 19. ergo non stamus dictis. Resp. quæstionẽ esse de nomine, quod vocetur, aut non vocetur tempus discretũ Angeli ævum. Hoc tamen certum debet esse, quòd, admisso posse vocari tẽp⁹ discretum, est longè diversum à tempore discreto Thomistarũ: vt patet ex loco citato.

41 Obijciunt tertiò præcipuè Suar. *in Metap disp.* 50. *sect.* 5. *n.* 12. impossibile est, in aliqua re dari positivã successionem realẽ, nisi in existentia rei detur varietas, & similis successio. Sed existentia

tia Angeli est omninò invariabilis, & tota simul: ergo ævū nequit dicere aliquā successionē. Probatur maior primò, quia duratio, & existentia rei durantis sunt idem realiter. Secundo, quia partes durationis successivæ dicunt essentialem ordinem ad partes existentiæ rei durantis, vt patet de partibus temporis intrinsecè respicientibus partes motus. Respondetur negando maiorem. Ad primam probationem negamus assumptū: quia duratio in creaturis est prędicamentalis quantitas semper distincta realiter à substantia. Ad secundam probationem etiam negamus assumptum. Ad instantiam dicimus hoc evenire in tēpore ex peculiari natura motus, qui in se est divisibilis; non autem intrinsecè ex formali ratione temporis, quatenus duratio est.

42 Sed contra insurgit ipse Suarez *ibi num.* 16. Vel duratio, & esse Angeli considerantur prout in se sunt in re: vel vt ratione distincta. Primo modo sunt omninò indistincta: ergo non datur successio in duratione, quin detur in re, quæ durare dicitur. Secundo modo duratio concipitur per modum mensuræ ipsius esse: & ideò proportionantur, vel vnigenea sunt *ex* 5. *Metaph. &* 4. *Physic.* ergo nullo modo est successio in duratione, vel in mensura, nisi sit in existentia rei durantis, aut in mensurato. Respondetur vtroque modo durationem distingui realiter ab existentia Angeli: quia ævum, seu duratio illius est quātitas, existentia autem, vtpotè identificata realiter cum essentia Angeli, est substantia. Dicitur autem ævum commensurari existentiæ Angeli; quatenus, cum existit, vnum dumtaxat instans, aut *nunc* ævi accipit: sicut indivisibilis est Angeli existentia.

43 Dices: prius, & posterius in tempore oriuntur à priori, & posteriori in motu, teste Aristotele 4. *Physicorum*: sed Angelus non habet prius, & posterius in existentia: ergo neque in ævo. Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera quoâd nos: non autem in re. Itaque nos cognoscimus prius, & posterius in tempore ex eo, quòd cognoscimus prius, & posterius in ipso motu. In re tamē tempus habet suum prius, & posterius independenter à motu: sicut in permanentibus mensura (vlna v. g.) habet suam permanentiā independenter à permantia mensurati. (panni v. g.) Respondetur secundò (omissa intelligentia maioris) negando minorem: quia ipsamet indivisibilis existentia Angeli, vt habens esse in primo *nunc*, aut per actionem productivam, est prior se ipsa, quatenus habet esse in sequen-

ſequentibus *nunc*, ſeu per actionem conſeruatiuam. Recolantur dicta à *num.* 33.

44 Habemus ex dictis à *num.* 31. poſſe defendi ſententiam D. Bonav. quæ in ævo Angeli ponit formalē ſucceſsionem: quia eſt opinio probabilis: vt docet Scotus ibi citatus. Tamen hæc ſententia non cohæret menti, & principijs Scoti. vt conſtat ex dictis à *num.* 28. Quare admonendum duxi, multa ex dictis à prędicto *num.* 31 non eſſe de mente Scoti, aut noſtra, ſed ſolùm ſunt dicta, vt ſciatur, quid in illa opinione D. Bonav. eſt reſpondendum argumentis contra ipſam factis.

DVBIVM VIII.

45 PEtes octavò, vtrum reſpectu omnium Angelorum ſit vnicum ævum? Reſp. negativè. Itaque ad multiplicationē Angelorum multiplicanda ſunt æva. Quia ævum eſt ipſamet exiſtentia Angeli: vt conſtat ex dictis per ferè totum hoc caput: ſed quilibet Angelus habet ſuam propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtētia alterius: ergo, & habet ſuum ſpeciale, & proprium ævum diſtinctum ab ævo cuiuſcumque alterius Angeli.

46 Dices: ævum eſt menſura Angeli: ſed ſæpè reperitur apud probatos Auctores, quòd ſupremus Angelus eſt menſura cæterorum ſpirituum: ergo eſt ævum reſpectu cœterorum Pro probatione minoris legatur Scotus *in 2. diſt. 2. quæſt. 3. § Sed iſta opinio* vbi adducit illud 10. *metaph. à textu 2. Primum in omni genere eſt menſura cæterorum*. Reſpond. negando maiorem de menſura propriè dicta propter illa, quæ tradidimus *in hoc capite diff. 1. à num.* 7.

47 Reſpondetur ſecundò, omiſſa maiori, diſtinguendo minorem: ſolùm enim eſt intelligenda de menſura extrinſeca, nō autem de intrinſeca, & propria. Itaque ſicut motus primi mobilis eſt menſura extrinſeca motuum ſublunarium iuxta dicta *n.* 18. ita ſupremus Angelus poteſt dici menſura extrinſeca cæterorum Angelorum: Analogia autem, ſeu cōparatio iſtorū ſtat præcipuè in hoc, quòd ſicut motus primi mobilis, eſt cæteris nobilior propter vniformitatē, celeritatem, &c. Et ideò quaſi exigit ex natura ſua, vt aſsignetur ab hominibus pro regula, & menſura cœterorum motuum. Ita ſupremus Angelus eſt excellentior cæteris: & ideò eſt illorū regula, & quaſi menſura, quatenus per acceſſum ad illius perfectionē, aut per receſſum ab illa cognoſcitur, quāta ſit perfectio cuiuſcumque aliorum. Tamen ſicut hoc non tollit, quòd quilibet motus horum inferiorū habeat ſuam ſpecialem, & propriā

durationem:(quam vocāt mēsuram intrinsecam, latè sumendo ly *mensura*: vt diximus *n. illo* 7.) ita quòd supremus Angelus dicatur mensura extrinseca cæterorum non tollit, quòd quilibet Angelus habeat suā propriā durationem seu ævū: quod largè loquēdo etiā poterit dici intrinseca mensura. Recolantur ibidem dicta.

CAPVT X.

De habitibus naturalibus Angelorum.

HVcusque egimus de his omnibus, quæ naturaliter, & necessariò insunt Angelo. Vt autē vltimā manum imponamus his, quæ in ordine naturæ ei possunt convenire, agimus de habitibus, quos ex frequentatione actuum potest Angelus habere, vel saltem possumus dubitare, an illos habeat?

DIFFICVLTAS VNICA.

An in Angelo ponēdi sint habitus ordinis naturalis?

1 REspondetur problematicè. Quia vtrimque sunt rationes probabiles. Ita Scotus *in 3. dist. 33. §. Ad primum*, & *Scotistæ communiter*, quamvis non conveniat inter eos, quænam ex his sententijs sit, in quam magis Scotus inclinet. Ego tamen parum de hoc curo; quāvìs enim videatur, Scotum loco citato magìs inclinare in sententiam, quæ affirmat, quòd, si Angel° esset creatus in puris naturalibus, (hoc est si ei non fuissent infusi habitus in sua creatione) posset per frequentationem actuum acquirere habitum. I*n 2. autem dist. 3. q.* 10. § *Ad argumenta pro prima opinione vers. Ad secundum* inclinet magis in oppositum. Itaque quamvìs hæc ita sint: cùm tamen vtraque sentētia à Scoto tamquàm probabilis approbetur; vtraque à nobis est defendenda, quidquid de prædicta Scotistarum lite veniat iudicandum.

DVBIVM I.

2 PEtes primò fundamentum sententiæ affirmantis, ponendos esse habitus acquisitos ordinis naturalis in Angelo. Respond. ex Scoto *in 3. d. 33. § Ad primum vers. Hoc probatur*; quòd habitus est quædam perfectio potentiæ: sed Angeli potētiæ non sunt necessariò perfectæ: ergo potest Angelus per repetitionem actuū comparare, seu acquirere potētijs suis habitus. Secundo, quia potentia creata, quantūvis perfecta semper agit intēsiùs, & perfectiùs

fectius cum habitu, quàm sine illo: ergo ponēdus est in potētia Angeli. Antecedēs docet Scot. *in 1. dist. 17. §. argumēta vers. Ad secund.* in verbis illis *concedo, quòd, potentia operante ex æquali conatu, semper actus sit intensior, habitu coagenti, quàm non coagente.* Quod, & alibi docet. Et ratio est, quòd, cùm habitus sit natura sua activus, coniunctus nativæ activitati potentiæ reddit illam activiorem intensivè. Hanc partem problematis Scoti, & nostri defendunt *Maior, Angestus, Azor, & Molina quos citat, & sequitur Suarez lib. 3. cap. 12 num. 3.* quamvis enim ibi solum loquatur de voluntate Angeli; absolutè idem videtur dicēdum esse de quacumque illius potentia: quia rationes factæ æquè probant de alijs potentijs.

3 Sed contra obijcies: potētiæ Angeli sunt faciles, & promptę ad suos actus efficiendos: ergo superfluè ponūtur in eis habit⁹. Resp. negando consequētiā. Habitus enim habet duo munera, nempè, & facilitare potentiā, & simul cum illa efficere perfectiores actus. Et ideò si potentiæ Angeli non egent primo effectu, habitus ponitur in eis, vt potentia, coagente habitu efficiat perfectiorem actū. ¶ Dices, quòd Scotus *in 2. d. 3. q. 10. §. Ad argumenta pro prima opinione vers. Ad secundum* absolutè docet, *quòd Angelus non potest generare in se habitū ex actibus: quia habitus non generatur in naturaliter inclinatis, seu in summè determinatis ad vnū sicut nō generatur in graui per quotiescumque descendere ratio descensus.* Resp. Scotum solū problematicè loqui: vt patet ex fine illius versiculi: vbi sic loquitur. *Aut si caret tali habitu, &c. tunc dico, quod non est inconveniens, quod possit in se generare talem habitum.* Ad instātiam de gravi dico, esse probabile quòd in illo generetur habit⁹. Quod videtur suadere maior ille impetus, seu celeritas, quā habet grave circa finē motus, quā in principio, & in medio sui descensus.

4 Obijcies secundò, quòd propter rationes hui⁹ partis problematis in Deo sunt admittēdi habitus, vt sic eius actus perfectior evadat. Resp. concedendo cū Scoto *in 3. d. 33. q. 1. §. Ad primum vers. Hoc modo.* Dices quòd Arist. 10. *Ethic. c. 10.* negat à dijs virtutes morales: ergo contra Philosophū admittimus in Deo habitus. Resp. cum Scoto ibi solū negare habitū accidentalem. Nos autē admittimus habit⁹ idētificatos cū Deo, & ab eius essentia solùm formaliter distinctos.

DVBIVM. II.

5 Petes secundò fundamētū sententiæ negantis in Angelo habitus naturales. Resp. ex Scoto *in 2. d. 3. q. 10. §. Ad argumenta pro prima vers. Ad secūdū,* rationē esse, quòd intellect⁹, & quæcūq; alia potentia Angeli est summè ha-

datur memoria, aut recordatio actuum præteritorum: ergo datur habitus. Respondetur negando consequentiam: actus enim præteritus generavit in Angelo speciem impressam sui, non autem facilitatem ad similes actus eliciendos.

9 Obijcies quartò: Angelus ex actibus circa res probabiles acquirit habitum opinionis; & circa obscuras habitum fidei: ergo acquirit habitus. Respondetur negando totum: solùm enim elicit actus fidei, & opinionis; ex quorum actuum frequentatione nullam facilitatem acquirit propter rationem nostræ conclusionis, quàm *numero 6.* magis declarabamus.

CAPVT XI.

De gratia Angelorum.

EGimus hucusque de illis, quæ spectant ad esse naturale Angelorum. Incicipimus iam agere de illis, quæ ad esse gratuitum, & supernaturale ipsorum concernunt.

***

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad gratiam sanctificantem Angelorum.

1 SVppono primò ex tractatu de Gratia, gratiam vocari id, quod gratìs confertur, hoc est, absque vlla obligatione, aut debito. Suppono secundò ex eodem tractatu divisionẽ gratiæ in sanctificantem, iustificantem, aut gratum facientem; & in vocantem, excitantẽ, &c. Vocant gratiam vocantem quãdam sanctam cogitationem, qua media Deus movet creaturam intellectualem ad aliqnam sanctam operationẽ faciendam, aut ad aliquod peccatum fugiendũ. Quæ sancta cogitatio, quatenus præcedit operationem, propter quam eliciendam confertur à Deo, dicitur gratia vocans, aut excitans: quatenus autem concomitatur ipsum opus, dicitur concomitans, & adiuvans. Item concomitans, & adiuvans dicitur ipsemet concursus, quo Deus concurrit ad operationem. Gratiam autem sanctificantem vocant quemdam habitum, vi cuius creatura adoptatur in filium Dei, consortem divinæ naturæ, redditurque ex peccatore iustus, sanctus, &c. De quibus gratijs multa scitu digna disputantur in

tractatu de gratia. In hac difficultate, omissa gratia actuali, seu quę ad actualem operationem confertur, sub qua comprehendimus omnem gratiam, quę non est gratia sanctificans; solùm de sanctificante tractamus.

DVBIVM I.

2 PEtes primò, an Angeli creati fuerint in gratia sanctificante? hoc est, vtrum in primo instante suę creationis receperint gratiam sanctificantē? Respond. problematicè. Quia vtrinque sunt rationes probabiles: vt constabit illas adducēdo, & solvendo. Ita Scotus *in 2. dist. 5. quæst. 1. §. Ad inquirendum, versic. Quinta propositio* verbis illis: *& tunc si ponatur, quod omnes fuerunt creati in gratia, &c. & q. 2. §. De tertio articulo vers. Sed de prima mora* verbis illis. *Potest probabiliter sustineri, quòd in primo instanti fuerūt vniformes* (omnes Angeli) *in statu naturæ creati sine gratia. Et §. Ad primum vers. Ad secundum* (vbi prosequitur). *dico, quod dubium est, vtrum boni fuerint in primo instanti in gratia.* Immeritò, ergo dubitabit quis, Scotum esse in hac re problematicum. Ita etiam Scotistę communiter, *& Alensis 2. part. quæst. 29. memb. 2. Gabriel, & aliqui alij.*

***

DVBIVM II.

3 PEtes secundò fundamentum ad affirmādum, Angelos fuisse creatos in gratia sanctificante, seu illam recepisse in primo instanti suæ creationis. Respondetur, fundamētum esse omnia, quæ contra alteram partem obijciuntur: quæ singillatim expendemus, & solvemus à *num.* 12. Hanc sententiam defendunt *D. Thom. 1. p. q. 62. art. 2. & alibi, Gerson, Albertus, Dur. Gregor. Caiet. Sotus, Ferrara, Capreol. Greg. Maior, & alij, quos citat, & sequitur Sua. lib. 5. c. 4. n. 4. & Vazq. disp. 227. c. 2. n. 5. Quibus adde Mol. & Valent. quos addit, & sequitur Becanus cap. 2. q. 1. n. 4.*

4 Sed ad probandū, Angelos nō fuisse creatos in gratia sanctificāte, obijcies primò cōtra prę fatā sententiā, quòd Ioannes Papa *in cap. Visis literis 16. q. 2.* sic de diabolo loquitur: *Dolet enim satis, & erubescit, charitatem, quā in cœlo nequivit habere, homines constantes ex lutea natura tenere in terris.* Sentit ergo, quòd diabolus nūquam habuit charitatē, & consequenter neque gratiam sanctificantē, quę cum charitate identificatur secundùm nos Scotistas, aut saltē ab illa non separatur; secundùm alios. Modò sic: communior, & probabilior opinio fert, quòd omnes Angeli in sua creatione, seu in primo instanti fuerunt vni-

for-

formes: ergo ſicut diabolus, nō fuit creatus in gratia; ita neq; alij Angeli. Reſpondetur negando conſequentiā: non enim loquitur Papa de charitate abſolutè, ſed de charitate, aut gratia perſeverante, quam multi homines habent, & diabolus non habuit. Itaque dolet diabolus, & erubeſcit, quod cùm ipſe amiſerit gratiam, aut charitatem, adhuc videat homines fragiles in accepta gratia perſeverare. Ita Becan. *ibi num.* 5. Aut dic cum eodem, & alijs, quos ipſe, ſuppreſſo nomine, citat, diabolum dolere, quòd homo charitatem ſemel amiſſam poſsit recuperare, ipſe autem non.

5 Obijcies ſecundò Auguſtinum, qui docere videtur, Angelum priùs fuiſſe creatū informē, & poſteà factum eſſe lucem. Ita ſumitur ex *lib. 1. de Geneſi ad litteram c. 3. & 17.* & alijs locis, quæ citat Suarez *ibi n.* 2 Reſpond. cū eodem Suar. *ibi n.* 9. loqui de carentia luminis gloriæ, & beatitudinis. Itaque omnes Angeli creati fuerunt informes, hoc eſt, carentes lumine gloriæ, ac beatitudine, quam poſteà boni ſunt conſequuti. Niſi velis dicere, ſolùm velle Auguſtinum ſignificare, quòd in prioritate naturæ fuerunt omnes informes, hoc eſt, ſine gratia ſanctificante, quā poſteà in eodem temporis inſtāti in alia poſterioritate naturæ receperunt. Ita etiam reſpondet ipſe Suarez ibi.

6 Obijcies tertiò: ſpecies intelligibiles dicūtur Angelo cōnaturales, eo quòd Angel⁹ creatus ſit cum illis ſpeciebus: ergo ſi creatus eſſet cum gratia, iſta diceretur Angelo cōnaturalis: hoc autem eſt abſurdum: ergo illud. Reſpondetur negādo cauſalem antecedentis: ſpecies enim illæ, dicuntur Angelo connaturales, eo quòd ſpectant ad naturalem perfectionē illius, & poterat ipſemet ſaltē decurſu tēporis illas acquirere viribus ſuis. Et ideò nego cōſequentiā: quia in nulla ſuppoſitione gratia poteſt acquiri viribus naturalibus creaturæ: & cōſequenter nullo modo poteſt eſſe alicui connaturalis.

7 Obijcies quartò: gratia eſt mediū inter naturam, & gloriā: ergo congruum fuit, vt Angelus priùs eſſet in natura, quā in gratia. Reſp. negādo conſequentiā: quia, cū Angelus creatus fuerit propter beatitudinem, magis cōgruum fuit, vt ex primo inſtanti ſuæ creationis inciperet eſſe viator, ſeu mereri: & conſequenter eſſet in gratia.

8 Obijcies quintò: Angelo ſimul cū natura data fuit gratia; Ergo data fuit Angelo occaſio exiſtimādi, gratiam eſſe debitā. Reſp. negādo cōſequentiā: quia cognoſcebat; (ſaltem per fidem) eſſe donum ſupernaturale, & indebitum.

9 Obijcies ſextò: Angeli fuerunt creati in gratia; ergo

ergo nullus illorum cecidit in culpam. Probatur consequentia: nam in eodem instanti suę creationis meruerant beatitudinem, & illam sunt consequuti. Respond. negando consequentiam. Ad probationem dico aliquas morulas intercessisse inter creationem Angelorum, & illorum beatitudinem, aut damnationẽ. De quo *cap. 12. diff. 3. à n. 1.*

10 Obijcies septimò: Angelus malus cecidit superbia tumidus, & corruptus delectatione proprię potestatis, teste Augustino *lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 28.* ergo non fuit creatus in gratia. Probatur consequentia: nam cognosceret, eam esse sibi necessariam ad beatitudinis cõsequutionem. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, cognovisse quidem Angelum, gratiam esse sibi necessariam ad consequendam beatitudinem. Libertate tamen vtens prępofuit superbiam sequi, quàm gratiam conservare. Quod nobis contingere passim miserabiliter experimur, qui sequẽtes obiecta delectabilia, gratiam deperdimus.

DVBIVM III.

11 PEtes tertiò fundamentũ alterius partis problematis, seu sententię, quę negat Angelos fuisse creatos in gratia sanctificante, seu illam recepisse in primo instanti suę creationis? Respond. fundamentum huius partis esse omnia, quę contra alteram obiecimus *à num. 4. vsque ad 11.* Hanc sententiam defendunt *Rup. & Hugo de Sancto Victore: atque ex Scholasticis Magister sent. Altis. Henr. Ægidius,* Marsilius, *Thomas de Arg. atque ex nostris* D. Bonav. Ric. Ioan. Bass. & *Alesis,* (quãvis enim sit problematicus, hãc tamen partẽ dicit esse probabiliorẽ) quos citant *Vazq. disp. 227. cap. 1. n. 2. & Suar. lib. 5. cap. 4. numero 1.*

12 Sed contra obijcies D. Aug. *lib. 12. de Civit. c. 9.* qui loquendo de Angelis dicit, quòd Deus in illorum formatione erat, *simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Respondetur cum Scoto *in 2. dist. 5. quæst. 2. § Ad primum principale vers. Ad secundum,* quòd Augustinus loquitur *de gratia gratis data*: hoc est vel de sancta cogitatione, vel de specie divinæ essentię, vel de alia simili. Respondetur secundò ly *simul* non stricte esse accipiendũ, sed largè pro initio suę creationis. (quomodo loquuntur alij Patres) si enim verba Patrum in pręsenti materia fuissent stricte intelligenda, probaretur, etiam Angelos fuisse ab initio gloriosos iuxta illud Gregorij *lib. 32. Mor. cap. 23. Inter Angelorum corda charitatis igni succensa clarus gloria conditionis extitit Lucifer.* Igitur solùm vult Augustinus in prę-

præcitatis verbis, & volunt alij Patres, quòd in illo breuissimo tempore, quo viatores fuerunt Angeli, habuerunt gratiam sanctificantem.

13 Obijcitur secundò, quòd mali Angeli ab initio fuerunt miseri: vt probat Augustinus *sup. Genesim lib. 11. cap. 16.* & satis videtur colligi ex illo Ioann. 8. *Ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit*: ergo saltem Angeli mali nō fuerunt creati in gratia. Respondetur negando antecedens. Quid autē intendat Augustinus nuperrimè dicebamus, nempè quòd sicut in illo brevissimo tempore viæ Angelorum receperunt gratiam; sic mali illam brevissimè amiserunt, & fuerunt miseri. Adde pro auctoritatibus Augustini explicandis, quòd in hoc puncto de conditione Angelorum in gratia, vel in pura natura, fuit Augustinus semper dubius; vt notant præcipuè Vazquez *ibi cap. 4. n. 17. & Suar. ibi num. 2. 6. & 9.* Ad illud Ioan. 8. respondet Scotus *ibi vers. Ad illud* quòd ly *ab initio* non intelligitur de initio creationis Angelorum, sed de initio creationis hominis: ex tunc enim diabolus fuit hominis homicida saltem in affectu, quatenus eius fœlicitatis æmulus ab initio creationis hominis voluit illi mortem animę inferre, quam & non multò post in effectu intulit. Pro qua solutione adducit Scotus ibi D. Augustini verba desumpta ex *lib. 11. sup. Genesim c. 31.*

14 Obijcitur tertiò: Angeli sunt ordinati ad beatitudinem: ergo optima prouidentia postulabat, vt in gratia crearentur, vt ex tunc inciperet eorum meritum. Respondetur negando cōsequentiā: vrgentior enim congruentia videtur, quod crearentur in pura natura, vt sic aptiùs, seu per experientiam cognoscerent; dona supernaturalia esse omnino gratuita; siquidem illis aliquando caruerant.

15 Nota cum nostro Rada *contron. 10. in explanatione opinionis Doctoris subtilis §. secundo maximè in fine*, primum parentem esse creatum in gratia in sententia, quæ affirmat Angelos fuisse creatos in gratia; oppositum enim est dicendum in sententia negante illos fuisse in gratia creatos. Quia nulla apparet efficax ratio disparitatis inter Angelos & primos parentes.

16 Nota etiam, quòd siue Angeli (idem est de primis parentibus) creati fuerint in gratia sanctificante, siue illam receperint post primum instans, aut tempus suæ creationis, simul cum gratia receperint alias virtutes per se infusas (quales sunt fides, spes, & charitas: abstineo tamen nunc ab examine illius quæstionis, vtrùm in Angelo viatore fuerit fides? Et circa quæ obiecta? Et solùm assero,

ibi

illa simul cum gratia sanctificante fuisse infusas illas virtutes per se infusas, quæ in illo sunt admittendæ secundùm diversorũ placita) Quia istæ de facto simul cũ gratia conferuntur in iustificatione hominis; vt decernit Trid. *sess.6.cap.7.* & nulla est ratio aliter theologizandi de Angelo, & primis parentibus: etsi enim in istis non præcesserit peccatum; illis tamen erat necessaria spes beatitudinis consequendæ; & fides, quòd Deus existit; (si hoc nõ cognoscebant evidenter) est remunerator; &c.

17 Adde, simul cum gratia accipere Angelum (idem est de primis parentibus) multas virtutes per accidens infusas. (si istę admittantur in Angelo. De quo Scotus est problematicus. Recolantur dicta *in præsenti difficultate à num. 1.*) Quia sicut propter perfectionem naturę Angelicę illi fuerunt infusæ species multorũ obiectorũ: vt dicebamus *cap.4. diffic.3. à num.61.* ita propter eius perfectissimam naturam debemus illi concedere illas virtutes per accidens infusas, quarum Angelus est capax. Primis autem parentibus idem debemus concedere propter dignitatem, & excellentiam capitis: quę conveniebat Adę; Hevæ autem saltem propter excellentiam status innocentiæ.

***

DVBIVM IV.

18 PEtes quartò, an omnes Angeli in sua creatione fuerint vniformes? Respondetur affirmativè. Quia sine aliquo fundamento diceremus, aliquos illorũ fuisse creatos in gratia sanctificante, & aliquos non. Itaq; in sẽtẽtia, quæ affirmat, Angelos fuisse creatos in gratia dicendũ est, omnes fuisse creatos in gratia. Sẽtẽtia autẽ, quę negat fuisse Angelos creatos in gratia, de omnibus & singulis est intelligenda. Hanc conclusionem tradit Scotus *in 2.dist.5.q. 1.§. Ad inquirendum versic. Quinta propositio est, quod omnes creati sunt vniformes*, & cum eo Scotistæ, & multi alij.

19 Sed contra, quòd diabolus ab initio fuit homicida: vt dicitur *Ioannes* 8. ergo in primo instanti suæ creationis nõ habuit gratiã sanctificantẽ, Patet; quia ista non compatitur cum peccato mortali: ergo Angelus malus non fuit vniformis cum bonis, qui tunc habuerunt gratiam santificantem. Respondetur negando consequentias, quia ly *ab initio* non sumitur ibi pro primo instanti existentiæ Angeli; sed hominis: vt dicebamus *numero* 13. vbi etiam diximus, quomodo sit intellidus Augustinus, dùm affirmare

re videtur, quòd mali Angeli ab initio fuerunt miseri.

DVBIVM V.

20 PEtes quintò, an mali Angeli aliquando habuerint gratiam sanctificantem? Respondetur affirmativè. Quia omnes aliquando fuerunt vniformes in gratia ista: sed boni illam habuerunt: ergo & mali. Maior constat ex nuper dictis: minor est certa: & consequentia legitima. Secundò probatur a simili: homo enim priusquā peccaret, in statu gratię constitutus est: ergo & Angelus. Patet consequentia. Tùm à simili. Tùm à fortiori: quia Angelus est perfectioris naturę: ergo ei non est negandum, quod conceditur homini, qui non est ita perfectus. Antecedēs autem satis expressè tradit Trid. *sess. 5. in principio decreti de peccato originali.* Hanc sententiam tradit Scotus *in 2. d. 5. q. 1. §. Ad inquirendum vers. Sed ad inquirendum* verbis illis. *Quod quilibet Angelus aliquando fuerit in gratia, sive in instanti creationis, sive postea.* Quod & ibidem probat ratione & auctoritate Augustini. Et hanc sententiam supponunt D. Th. & omnes alij *num.* 3. citati pro sententia, quę affirmat, Angelos creatos fuisse in gratia: vt benè notat Suarez *lib. 5. capit. 3. num.* 6. specialiter autem hoc docuit Gerson 4. *part. in principio in sermone de Angelis.*

21 Sed malos Angelos nūquam habuisse gratiam sanctificantem videtur sentire D. Gregorius *libro* 32. *Moralium capitulo* 18. *alias* 25. *&* Ioannes *Papa*, cuius verba attulimus *numero* 4. quibus videntur subscribere *Rupertus*, *Magister sentent. Altis. & alij.* De quo videatur Suarez *lib.* 5. *capit.* 3. *numero* 5. Respondetur, nullum ex Patribus apertè docere Angelun malum nunquam habuisse gratiam. Gregorius enim cùm ibidem docet, Luciferum non recepisse gratiam propter superbiæ vitium: (Hæc sunt Gregorij verba: *habunt ergo foramina*; hoc est naturalem capacitatem recipiendi charitatem , *sed per superbiæ vitium, charitatis auro non sunt repleta.*) loquitur de charitate, seu gratia consumata; aut de perseverante; aut de recuperabili: vt explicando verba Ioannis Papæ dicebamus *numero* 4. Fatetur autem Suarez ibi *numero* 13. quòd Rupertus apertè secutus est oppositam sententiam. Sed hoc nobis parum officere potest, cùm pro nostra sint tot patroni, & rationes; immò & scripturę testimonia non pauca, quę, adiuncta aliquorum interpretatione , satis sunt efficacia.

22 Pri-

22 Primum testimonium est illud *Isaiæ* 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* Cùm ergo per peccatum non ceciderit à perfectione naturali; peccatum enim non destruit naturam; colligitur, quòd ceciderit à perfectione gratiæ: & consequenter, quòd fuerit aliquando in gratia. Secundum testimonium est illud *Ezech.* 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & decore in delicijs paradisi fuisti, &c.* Et infra. *Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto meo; in medio lapidum ignitorum ambulasti: perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ.* Cùm ergo his verbis sermo fit de Lucifero: *Vt sentiunt Greg. hom.* 34. *in Euang. Damasc. lib.* 2. *cap.* 3. *Isidorus lib.* 1. *de summo bono cap.* 10. *& Tertull.* 2. *contra Marc. cap.* 10. Item cùm nomine *lapidum ignitorum* intelligātur sancti Angeli; eo quòd igni charitatis sunt succensi; planè colligitur, Luciferum, qui in medio illorum positus dicitur, aliquando habuisse charitatem, & gratiam. Et cùm nulla sit ratio ad aliter sentiēdum de alijs Angelis malis; apertè infertur, omnes illos aliquando habuisse gratiam, & charitatem.

23 Tertium testimonium est illud *Ioan.* 8. vbi Christus Dominus de diabolo dicit: *in veritate non stetit*: quibus verbis significatur, eum in veritate aliquando fuisse, in ea tamen non permansisse. Dicitur autem, quod diabolus in veritate non stetit; eò quòd à veritate legis, seu ab innocentia recessit; iuxta illud, quod 4. *Regum cap.* 20. dicit Ezechias: *Memento, quomodo ambulaverim coram te in veritate*: vbi ly *in veritate* non sumitur pro virtute veracitatis; sed pro adimpletione legis, aut pro innocentia, quam servat, qui legem non frangit. Ita intelligunt præfata verba *Ioan.* 8. *in veritate non stetit, D. Aug. Chrysost. Leo Papa, & Orig. apud Suarez ibi num.* 8. ¶ Quartū denique testimonium est Iudæ Apostoli in sua epistola dicentis: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domiciliū*: ergo Angeli mali priùs fuerunt in cœlesti domicilio; & habuerunt principatum, quem amiserunt, sed non amiserunt dignitatem naturalē, sed gratiæ: ergo in ista fuerunt aliquando.

24 Igitur ex dictis duobus numeris præcedentibus satis cōstat, pro nostra sententia esse efficacia scripturæ testimona. Et quamvis fatear, non esse omninò concludentia: (de quo legatur Suar. *lib.* 5. *cap.* 3. *à num.* 2.) tamen certum est multos, & gravissimos Patres illa interpretantes esse pro nostra sentētia. Quare nihil nobis officere potest, quod Rupertus sit pro opposita: vt *num.* 21. dicebamus.

25 Denique ad probandum, Angelos malos nunquam habuisse gratiam obijcitur: Angeli ma-

mali semper fuerunt liberi: ergo semper peccare po uerunt: ergo per rationem sciri n on potest, quòd non peccarint in primo instanti. Respondetur negando consequentiam vltimam: cùm enim tunc habuerunt gratiam sanctificantem: vt constat ex dictis *à num.* 3. & cùm aliàs gratia nequeat esse simul cum peccato mortali: vt suppono ex tractatu de Gratia: planè cōcludit ratio, quòd Angeli mali non peccarūt mortaliter in primo instanti suæ creationis. In sententia autem, quæ affirmat, Angelos non fuisse creatos in gratia, (quam probabiliter defendimus *à num.* 11.) dicendum est, quòd, cùm constet tot scripturę testimonijs, Patrum explicationibus, & Scholasticorum auctoritate, malos aliquando fuisse in gratia sanctificante, parum refert, quòd hoc non possit ratione naturali ostēdi. Multa enim defendit Theologia nitens congruentijs, & probabili Scripturæ, aut Patrum auctoritate.

26 Dices, in ista sententia Angeli non haberunt gratiam in primo instanti suæ creationis: ergo potuerunt tunc peccare, & posteà per pœnitentiam resurgere à peccato, & recipere gratiā: ergo ex eo quòd aliquandò fuerint in gratia, non infertur, quòd non peccarint. Respondetur, ita esse; sed ex hoc nihil concluditur contra nos, qui in præsenti solùm affirmamus, Angelos malos aliquando fuisse in gratia. Adde, prædictum argumentum solū concludere de possibili: de facto enim nullus Angelorū, qui ceciderunt, redijt ad gratiā per pænitentiam; non quia sit inflexibile Angelorum arbitrium; (Recolantur dicta *cap.* 7. *diffic.* 2. *à num.* 53.) Sed ex inscrutabili altitudine scientiæ Dei, qui nulli Angelorum, qui ceciderunt, dedit auxilia efficacia ad pęnitendum.

DVBIVM VI.

27 PEtes sextò, an Angeli habuerint gratiam sanctificantem per propriam dispositionem? Respondetur affirmativè. Quia gloriosius est, aliquid habere ex merito, & per propriam operationem, quàm omninò gratis, & merè passivè: ergo Angeli habuerunt gratiam sanctificantem ex propria dispositione. Antecedens videtur certum, & illud tradunt Scotus *in* 2. *d.* 5. *q.* 1. §. *& versic. Ad argumenta & D. Th.* 3. *p. q.* 34 *art.* 3. *in corpore* agendo de sanctificatione Christi Domini, vbi fatetur, quòd sanctificatio per meritum est perfectior, quàm sine merito. Secūdò probatur à simili de adulto, qui de congruo meretur suam sanctificationem. Hanc sententiam innuit Augustinus 12. *de Civitate cap.* 9. & Scotus nuper citatus

tus; ipsamque defendunt *D. Th. q. 62. art. 2. Caiet. Ferrara, & Malon, quos citant & sequuntur Suar. lib. 5. cap. 8. num. 4. & Vazquez disp. 218. cap. 1. num. 2. quibus multi alij subscribunt, præcipuè Bec. 2. q. 2. n. 9.*

28 Sed oppositum defendũt *Sotus, Victoria, Molina, & Capreolus citati à prædictis Suarez ibidem n. 3. & Vazquez num. 1.* Immo Vazquez existimat in hãc sententiam vocandum esse *Alexandrum, & Henricum*: ipsumque expressè defendit noster Pilosus *disp. 20. art. 5. n. 4.* Et obijcitur contra fundamẽtum nostræ sententiæ, quòd per illud extollimus quidem excellentiam Angelorum; minuimus tamen liberalitatem Dei: quippè magis splendesceret liberalitas Dei; si gratiam sanctificantem contulisset Angelis sine aliqua illorum dispositione. Respondetur negando assumptum: quod, si alicuius foret momẽti, probaret, in iustificatione quoque hominis adulti non omninò resplẽdere Dei liberalitatem: siquidem isti non confert Deus gratiam sanctificantem sine prævia dispositione, qua se per proprium actum disponat ad recipiendum gratiam sanctificantẽ, & vt illã de congruo mereatur.

29 Igitur tàm in Angeli, quã in hominis adulti iustificatione omninò splendescit misericordia, & liberalitas Dei; eoquòd etsi Deus præexigat proprium actum, qui sit dispositio ad gratiæ infusionem: ad hunc tamen actum præcedit actualis gratia Dei, nempè sancta cogitatio ordinis supernaturalis, quam Deus sine aliquo merito recipientis confert omninò liberaliter. Vnde patet, inscrutabilem Dei sapientiam, & benignitatem altissimè disposuisse, vt in iustificatione tàm Angelorum, quàm nostra maritarentur summa liberalitas divina, & meritum creaturæ: vt sic nec creatura de proprio gloriaretur merito; nec tãquã mortuũ instrumẽtũ, merè passivè, & nihil operãdo (vt contingit in parvulorum iustificatione) putaret, se esse iustificãdum.

30 Dices, quòd etsi hoc possit sustineri in sententia, quæ affirmat, Angelos non fuisse creatos in gratia; non tamen in opposita sententia: quia cùm in primo instanti suæ creationis receperint gratiam, non datur locus prædictæ dispositioni, qua se ad gratiæ receptionem præpararẽt. Respondetur, in vtraque illa sententia veram esse nostram conclusionẽ. Sivè enim affirmetur, Angelos creatos fuisse in gratia, sivè non; semper est verificandũ, quòd in illo instanti reali, in quo eis fuit infusa gratia habitualis, est distinguenda quædam prioritas naturæ, in qua Angeli excitati gratia actuali elicuerunt quẽdam actum supernaturalem, qui fuit dispositio ad infusionẽ prędictę gratiæ; quæ data est eis in

oc-

eodem instanti reali temporis, quamvis in alia posterioritate naturæ. Quod idem contingit in iustificatione hominis adulti. quamvis enim longo tempore possit præcedere sub mortali, & de facto præcedat, quando iam iustificatur extra sacramentum in eodem instanti reali temporis elicit contritionem aut dilectionem supernaturalem Dei, quæ est dispositio ad receptionem gratiæ sanctificantis; & eamdem gratiam recipit in alia posterioritate naturæ.

31 Obijcitur secundò: Angeli in primo instanti operabantur actus naturales, qui sequebantur ad speciem impressam divinitatis: ergo non poterant simul habere actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, quorum aliquis esset necessarius, vt se disponerent ad receptionem gratię habitualis. Patet consequentia. Tùm, quia actus fidei, cùm sit obscurus, non compatitur cum actu claro, qui gignitur per speciem. Tùm, quia eadem potentia nequit simul elicere plures actus. Respondetur negando cõsequentiam. Ad primam probationem dico, illam cognitionem evidentem deitatis generatam ab illius specie impressa non esse compatibilem cum actu fidei: & ideò illam esse sufficientem ad excitandam voluntatem Angeli ad quẽcumque affectũ supernaturalem: cùm ostẽdat obiectum supernaturale. Nota tamẽ, quòd etsi prædicta cognitio dicatur naturalis; eo quòd intellectus vi sua naturali, & absque aliqua elevatione concurrit ad illam eliciendam: potest tamen dici supernaturalis; eo quòd speciem illã impressam concurrentẽ ad talem cognitionem omninò gratuitò accepit Angelus, nec illam poterat suis viribus comparare. Ad secundã probationẽ dico, omninò gratis dici, quòd eadẽ potẽtia nequit simul plures act⁹ elicere: vt probabamus *cap. 4. diff. 4. à num.* 223.

32 Obijcitur tertiò: perfectius est operari ex habitu, quàm ex nuda potentia: ergo Angelo non est cõcedenda aliqua operatio, quoadvsque iam receperit habitum gratiæ, & cum eo alios habitus fidei, spei, & c. vt sic eius actus perfectiores evadant. Resp. distinguendo antecedens: est enim verum, quòd si conferamus duas operationes eiusdem potẽtię, illa, quæ oritur à potentia habituata, est perfectior, quàm illa, quę oritur à potentia nuda. Falsum tamẽ est, esse perfectius expectare habitũ, quã operari sine illo: hoc enim esset idẽ, ac affirmare, pefecti⁹ esse non operari, quã operari. Adde, quòd loquẽdo de habitu acquisito, prima operatio nequit ab illo oriri: cũ habit⁹ debeat generari ex actib⁹. Loquẽdo verò de habitu infuso glorios⁹ est illi⁹ infusionẽ mereri

reri per act⁹, qui sunt dispositiones ad illum, quàm illum habere sine aliqua dispositione, & merè passivè se habendo: vt *num.* 27. dicebamus.

33 Obijcitur quartò: alias res creavit Deus perfectas, & cum fructibus, quos aliàs essent producturæ: ergo etiam dicendum est, quód creavit gratiam independenter ab aliqua dispositione, & cum suo actu secundo, seu cum actu dilectionis Dei super omnia; qui est fructus ab illa proveniens. Respondetur negando consequentiam; quia aliæ res nõ possunt per dispositiones proprias recipere altiores perfectiones. sicut possunt Angeli, & homines adulti.

34 Obijcitur quintò: Angeli se disposuerunt ad gratiam habitualem: ergo illam meruerunt de congruo, & gloriam de condigno: ergo immediatè gratiã, & gloriam receperunt: & consequenter non possent peccare: quia cum gloria non est componibile peccatum, saltem de lege ordinaria. Respondetur negando secundam consequentiam loquendo de gloria. Itaque per dilectionem Dei supernaturalẽ disposuerunt se Angeli ad gratiã sanctificantem, & illam meruerunt de congruo; illamque receperunt statim, seu in eodem instanti reali temporis, quamvìs in alia posterioritate naturæ. Item cum illa dispositio sit post collationem gratiæ dignificata per gratiam sanctificantem, in eodẽ temporis instanti est meritoria de cõdigno primi gradus glorię, illamque recepissent Angeli mali, si non peccassent, aut si perseverassent in innocẽtia vsque terminum viæ illorum. (sivè ista Angelorum via compleatur tribus, sivè quatuor morulis. De quo *cap.* 12. *diff.* 3.) Cùm autem peccaverunt, amiserũt ius, quod vi illius dispositionis, & cuiuscumque alterius operis habebãt respectu gloriæ comparandæ. Quod, & in hominibus multoties contingit. Et ratio est, quòd per bona opera meremur gloriã nobis conferendã sub conditione, quòd vsque ad finem in gratia perseveremus; iuxta illud: *qui autem perseveraverit vsque ad finem, hic salvus erit: Matth. 10. numero* 22.

35 Obijcitur sextò: Christo Domino datus est habitus gratiæ sine propria dispositione, aut merito de congruo: ergo quia perfectius est, gratiam habere gratis, quàm ex merito, aut dispositione. Antecedens probatur primò auctoritate Scoti, qui illud docere videtur *in* 3. *d.* 20. §. *Contra illud versic. Præterea, vnu*, vbi postquàm dixisset, potuisse Deũ puro homini conferre summam gratiam addit: *sicut dedit Christo sine meritis præcedentibus ex liberalitate sua*, Et *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. §. *De secundo versic. Si dicas*, verbis illis:

sum:

Summa gratia data creaturæ data est animæ Christi, & sine omni merito. Secundò probatur idem antecedens à simili de gloria, quæ data est Christo Domino sine meritis.

36 Respondetur negando consequentiam: est enim longè diversa ratio de Christo Domino ac de Angelis. Cùm enim Christus Dominus ab instanti suę cõceptionis habuerit visionem, & fruitionem beatam; & aliàs conveniēs fuerit, quod cæperit operari à perfectissimo actu: non cæpit operari ex gratia: & consequenter neque meritoriè merito respiciente præmium per modum prætij, & solutionis. Et ideò neque gratiam neque gloriam meruit hoc genere meriti.

37 Itaque ex his duabus cõgruētijs (gloriosius est habere aliquid ex meritis; & incipere a nobilissima operatione) vrgētior est posterior. Et ideò dicimus, quòd etsi potuerit Christus Dominus in priore naturæ primi instantis suæ conceptionis excitatus gratia actuali elicere actum meritorium de congruo infusionis gratiæ sanctificantis, & de cõdigno consequutionis gloriæ: tamē congruentius fuit, vt inciperet operari circa gloriam: & consequenter sine aliquo merito precedenti. Quo enim non obstante, cùm absolutè loquendo gloriosius sit operari ex meritis; *in tractatu de Incarnat. c. 6. dis. 2. à n. 40.* eo modo quo possimus concedemus, Christū Dominū meruisse collationem suæ gratię & gloriæ, nempe per modū anticipatæ solutionis.

DVBIVM VII.

38 Petes septimò, an Angelis fuerit collata gratia supernaturalis ordinis iuxta proportionem suæ naturalis perfectionis? Respondetur affirmativè. Itaque Deus distribuit Angelis iuxta proportionem sui esse naturalis itaut, quo Angeli creati fuerunt perfectioris naturæ, eò maiori gratia fuerunt ornati. Et ratio est, quòd sic docent Patres, & Scholastici, à quorum sententia non est recedendum sine vrgenti fundamento. Patres sunt *Dionysius Damasc. & Basilius, quos citant, & eorū verba referunt præcipuè Suar. lib. 5. c. 10. n. 3.* Nobis sufficiat Basilij verba ista: *lib. de Spiritu Sancto cap. 16. Cælorum virtutes nō suaptè natura sanctæ sunt, sed iuxta proportionem, quà se invicem superant, à spiritu habent sanctificationis mensuram.* Scholastici autē, qui hanc sententiam docent, sunt *Magister in 2. d. 2. D. Th. q. 62. art. 6. & cum eo omnes Thomistæ. Quibus adde Vazq. disp. 228. c. 2. à n. 5. Suar. ibi n. 7. & Bečan. c. 2. q. 3. n. 2.*

39 Duabus rationibus congruentiæ probat hoc D. Th Prima est, quòd Deus sicut est au-

ctor naturę, ita etiam est auctor gratię: & cùm naturam Angelicam ordinaverit ad gratiam, verisimile est, quòd perfectiorem naturam ordinaverit ad maiorē gratiam. Secunda est, quòd quò quis Angelus est perfectior, eò maiori conatu potuit se ad gratiam disponere: ergo cùm verisimile sit, vnumquemque operatum esse toto suo conatu, verisimile quoque est, perfectiores Angelos maiori conatu se disposuisse: ac proinde maiorē gratiam accepisse. Sed hæ duę rationes non convincunt: vt benè observat Becanus citatus. Non prior: quia Christus Dominus, & Beata Virgo acceperunt maiorem gratiam, quàm Angeli; & tamen Angeli sunt perfectiores in natura: ergo Deus non semper dat gratiam iuxta proportionē naturalium. Neque convincit posterior ratio: quia Angeli perfectiores potuerunt peccare, & de facto peccarunt, multis alijs minoris perfectionis non peccantibus: ergo potuissent etiam remisiùs operari, & nō toto conatu Angeli perfectiores, multis alijs minoris perfectionis operātibus intensiùs & cum toto, aut maiori conatu.

40 Hinc patet, has rationes nō cōvincere nostrā sententiā: & cū aliàs nulla alia efficacior appareat, absolutè est dicendū, auctoritate potiùs, quā efficaci ratione defendi, quòd Angeli receperint à Deo inæqualem gratiam iuxta inæqualitatem perfectionis sui esse naturalis: quòd est nostra conclusio posita *n.* 38.

41 Nota tamen; quòd, cùm Patres non distinguant an loquātur de gratia sanctificante, an de gratia actuali, qua excitati fuerunt sancti Angeli ad se disponēdum ad iustificationem, seu ad infusionem gratię sanctificantis? dicendum est, (in nostra sententia; quę admittit prædictam dispositionem iuxta dicta *à n.* 27.) de vtraque gratia loqui prædictos Patres. Itaque Deus in distributione suæ gratiæ ita se gessit, vt perfectiori Angelo, vt se perfectiùs disponeret, seu ad receptionem intensioris gratię se prępararet, dederit perfectius gratię excitantis auxilium, quo adiutus, & aliàs operans toto conatu (& consequenter perfectiùs, quā Angelus minùs perfectus) elicuit perfectiorem dispositionem: ad cuius mensuram recepit gratiā habitualem intensiorem, quàm alius minùs perfectus.

42 Posset etiam dici, quòd omnibus ęquale auxiliū gratiæ excitantis dederit Deus: tamen cùm perfectiores posuerint maiorem vim, seu efficaciam; eò quòd eorū potentię erant activiores, seu perfectiores perfectiùs se disposuerunt; & sic receperūt maiorem gratiam sanctificantē. Et tunc dicendum est, quòd Patres, & Scholastici citati, quorum

rum auctoritate nititur nostra conclusio, solùm loquuntur de gratia sanctificante, dū astruunt, Deū dedisse Angelis diversos grad⁹ gratię iuxta proportionē perfectionis esse naturalis ipsorum.

43 Constat ex dictis, Angelos recepisse gratiam supernaturalē ad mensuram suę naturalis perfectionis itaut, quò quis illorū est in naturalibus perfectior, perfectiorē receperit gratiā, sivè solū sanctificantē, sivè etiam vocantem, seu excitantem. Sed contra hanc assertionem obijcitur primò: ergo natura (quæ est quid inferius) est mensura gratiæ. Resp. distinguendo: est enim naturalis perfectio, Angeli mensura, non per modum meriti adhuc de cōgruo, benè tamē per modum alliciētiæ: qua ratione res pulchra naturali allicientia (secluso omni merito) excitat ad amorē sui. Quę naturalis allicientia potest quidē vocari congrüentia naturalis: nullo autem modo vocanda est congruentia moralis, aut meritum de congruo: hoc enim negarunt Patres contra Pelagianos & Semipelagianos reperiri in naturalibus.

44 Obijcitur secundò, quòd sequitur ex hac doctrina debuisse Deum predestinasse supremū Angelum potiùs, quàm hominē ad vnionem hypostaticam. Patet sequela: naturæ enim vnitæ Verbo collata fuit summa gloria: ergo ad hāc summ debuit summa natura. Præstereà, ipsamet vnio hypostatica est summa gratia; ergo debuit conferri summæ naturæ. Respondetur negando sequelam. Ad vtramque probationem dico, quòd fuit considerabilior congruentia, vt Deus tā summam gratiam vnionis, quā summam gloriam conferret potiùs naturæ infimę hominis, quā supremę Angelorum: congruētia autem vrgentior fuit, vt sic ostenderet Deus, nullo debito iustitię, immo neque aliqua morali congruentia teneri ad impertiendum gratiam & gloriam secundùm perfectionem esse naturalis: vt altè meditatus est Scot, *in 3. d. 7. q. 3. §. Sed hic sunt versicul. secundū dubiū* dicens, *quòd nō oporteret, eam conferre gloriam secundum ordinem naturarum*. Itaque congruētia illa (*ostendere Deum, se non esse obligatū conferre gratiā, aut gloriā iuxta mensurā naturæ*) præpōderat illi alteri cōgruētiæ cōferēdi gratiā ad mēsurā naturalis perfectionis.

54 Instabis: ergo semper debet De⁹ eligere min⁹ perfectos homines, aut Angelos ad altiores gradus gratię, & glorię. Patet: semper enim illa vrgētior cōgruētia perseverat. Resp. negādo assūptū: ad prabationē dico, sufficere, quòd De⁹ aliquoties ostēdat iura suę libertatis; nec hoc est necessariū in cūctis & singulis operib⁹ ostēdere. Quādo verò, aut in qua occasione loquēdo de hominibus ad altiores gradus gratię

& gloriæ potius eligat infirmiores, ignobiliores, & abiectiores, ne existimēt homines, gratiā, & gloriam esse debitam naturæ. Quādo autem allectus naturali congruentia perfectioris esse naturalis potiùs fortes nobiles, & potentes huius mundi eligat: remittitur ad reconditos, & occultissimos fines sapientiæ, & scientiæ Dei; cuius viarum altitudo est incomprehensibilis: teste Apostolo *ad Rom.* 11. *n.* 33. Nec homines possumus omnium consiliorum Dei reddere rationem.

46 Vnde relinquitur, quòd quāvis aliquoties Deus infirma mūdi eligat, vt fortia cōfundat, & contēptibilia mundi eligat, vt sublimia supprimat, & iura suæ libertatis ostendat; non attendendo ad perfectionem esse naturalis rei, quæ postponitur in suo inscrutabili consilio. Tamen, cæteris paribus, ille, qui est perfectior alio (sive specificè, sive indiuidualiter) habet quamdam naturalem congruentiam (non moralem, seu per modum meriti de condigno, aut de congruo) ad hoc, vt potiùs quàm alter Angelus, aut homo assumatur ad excellentiorem gradum gratię supernaturalis, aut glorię.

47 Dices, quòd Scotus *in* 1. *d.* 4. §. *Potest alter vers. Contra istud* docet, duo individua naturę humanæ esse æquè volibilia, & ordinabilia ad finē supernaturalē. Et in eadem quęstione sæpè repetit, supponit, & affirmat, omnes creaturas rationales, seu intellectuales in puris naturalibus oblatas divinæ voluntati esse prædestinabiles; immo & æquè prędestinabiles: ergo sentit Scotus, nullam esse cōgruentiam naturalem ad hoc, vt vna assumatur ad gloriā, seu ad gratiam supernaturalem, quòd vna sit perfectior altera. Respondetur negando consequētiam: solùm enim excludit aliquod meritum, dispositionem aut congruentiam moralem actualem, aut saltem prævisam sub futuritione absoluta, aut cōditionata de qua morali congruentia, merito, aut dispositione tantùm erat controversia cū Pelaginis, & Semipelaginis; immo, & inter Catholicos aliquos.

48 Dico autem notanter, inter aliquos Catholicos esse controversiam de merito, dispositione, vel congruentia morali, Etenim quidam Doctores existimant, Patres, & concilia (dum contra Pelagium, & Masilienses excludunt meritum respectu gratiæ) solū loqui de prima gratia actuali, & de merito condigno respectu illius: atq; ita nō dānare sententiā asserentiū meritū cōgruū, seu impetrativū primę gratię actualis. Legantur noster Smiling *De Deo vno tra.* 3. *dis.* 6. *n.* 368. *& Vaz.* 1 *p. d.s.* 91. *c.* 10. *à num.* 59 Quo autem iure Vazquez citet Scotum pro hac opinione, non examino; quia punctum

illud

istud in præsenti potiùs libo, quã pertracto.

DUBIUM VIII.

49 PEtes octavò, an simul cum gratia sanctificãte fuerint infusi Angelis habitus fidei, spei, & charitatis; (admisso, quòd habitus gratiæ sit alius ab habitu charitatis) necnon & alij habitus morales? Respondetur affirmativè loquendo de habitibus fidei, spei, & charitatis, propter dicta *num*. 16. Loquendo autem de habitibus moralibus etiam respondendum est affirmativè in sententia, quæ affirmat, Angelum esse capacem habituum naturalium: quam defendimus *cap. 10. à num*. 2. Negativè autem est respondendum in opposita sententia, etiam probabili in Scoto, & quam defendimus *ibi à n*. 5.

DIFFICULTAS II.

De spectantibus ad gratiam actualem Angelorum.

1 VOcant gratiam actualẽ illam, quę datur ad actualiter operandum: vt libabamus *n. 1. huius capitis*. Subdividũt autem hanc gratiam in gratiam ordinis naturalis: & est illa, quæ confertur in ordine ad aliquod opus naturalis ordinis faciendũ: v.g. ad subveniendum pauperi, ieiunandum, &c. Et in gratiam ordinis supernaturalis: & est, quę cõfertur ad eliciendum aliquod opus ordinis supernaturalis, nẽpè ad credendum, sperandum, & diligendum Deũ super omnia per actus supernaturales.

DUBIUM UNICUM.

2 PEtes, an Angelo viatori fuerit necessarium aliquod auxiliũ gratiæ ad virtuosè operandũ? ad vincendum gravẽ tentationem? ad perseverandum in gratia? Resp. omnia ista requirere multa, & altiora principia ex tractatu de gratia sumenda; sine quibus haud facilè in pręsenti possunt decidi. Breviter autẽ est dicendum, eodem modo esse philosophandum de Angelo quantum ad necessitatem gratię, ac de homine in statu innocẽtiæ. Quare dicendum est primò, quòd ad servandum legem naturalem non indiguit aliquo speciali auxilio gratiæ: quia sancta cogitatio, aut cognitio, per quã proponebatur bonum opus prosequendum, & malum fugiendũ non erat gratia; eoquòd Angelo erat debita ex vi creationis. sicuti & homini in statu innocentiæ.

3 Dicendum est secundò, Angelo fuisse necessariam gratiam ad elicendum opera super-

naturalia fidei, ſpei, & charitatis. Quia hoc auxilium erat ei indebitum ex vi ſuæ creationis. Dices, quòd Angelo elevato ad eſſe ſupernaturale per habitus fidei, ſpei, & charitatis iam eſt debita ſancta cogitatio ordinis ſupernaturalis ad prædictos act⁹ ſupernaturales: ſicut & auxilium Dei concomitans, ſeu concurſus generalis in ordine gratiæ. Reſpondetur, de hoc etiam eſſe cōtroverſiam in tractatu de gratia: ſed adhuc admiſſa ſententia dicentium, eſſe debitam ſanctam cogitationem, necnon & concurſum, dicendum eſt, etiam vocari gratiam, ſaltem in radice: fuit quippè gratia, & omninò indebitum naturæ Angelice, quòd eleuaretur ad ſtatum ſupernaturalem: cùm infuſio prædictorū habituum fuerit omninò gratioſa; gratioſa etiam dicitur collatio ſanctæ cogitationis, & concurſus, qui poſteà datur ad quodcumque opus ſphæræ aut ordinis ſupernaturalis; gratioſa (inquā) ſaltem in prædicta radice. Sed (vt dixi) omnia iſta, & multa alia, quæ de Angelo poſſent diſputari, altiora petunt principia ad tractatum de gratia ſpectantia. Videatur noſter Felix in prędicto tractatu, pręcipue *cap. 4. diff. 12. & capit. 5. diff. 7. dub. 2. à numero 25.*

CAPVT XII.

De Angelorum gloria, merito, & morulis.

ETſi meritum Angelorum pręcedat eorum præmium, ſeu gloriam, agimus priùs de iſta, vt ipſa præcognita, aptiùs quantum fuerit Angelorum meritum reſpectu illius comprehendatur.

DIFFICVLTAS I.

De gloria, ſeu beatitudine Angelorum.

1 DIvidunt communiter beatitudinem formalem in naturalem, & ſupernaturalem.

DVBIVM I.

2 PEtes primò, in quo conſiſtat beatitudo naturalis Angelorum? Reſpondetur, conſiſtere in amore amicitiæ naturalis erga Deum. Quia inter actus naturales iſte eſt perfectior:

ctior: vt suppono cum Scoto *in 4. d. 49. q. 5. §. Ad quæstionem* vbi beatitudinem collocat in fruitione; quia ista est perfectissimus actus: vt probaverat in quęstione laterali precedenti. Sed de his videatur noster Felix 1. *Tentativa tractatu de Beatitudine diffi- cul. 2.*

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, in quo consistat supernaturalis beatitudo Angelorum? Respondetur cõsistere in fruitione, seu in amore supernaturalis amicitiæ erga Deum. Quia inter actus supernaturales iste est perfectissimus: vt suppono cum Scoto nuper citato. Et apertè constat *ex 1. ad Chorinthios 13. Nunc autem manent fides, spes, & charitas: maior horum est charitas: & ex Aug. 15. de Trinit. cap. 19. In donis Dei nullũ est maius donum charitate, nec æquale.* De quo legatur pręcitatus Felix *t. 2. diffi. 7. & 8.*

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò, an omnes Angeli creati fuerint Beati beatitudine naturali? hoc est, an in primo instanti suę creationis elicuerint actum amoris amoris amicitiæ naturalis, quo amaverint Deum super omnia? Respondetur affirmativè. Quia tunc Angelus non debuit esse otiosus: ergo tunc cognovit, & amavit Deum super omnia amore naturali: in quibus actibus cõsistit naturalis beatitudo. Probatur antecedens: dedeceret enim naturam Angelicam otiositas. Consequentia autẽ videtur certa: sicut enim convenientissimũ est, quòd natura Angelica sit occupata; sic etiam fuit valde conveniens, quòd in primo instante sui esse occuparetur in illis perfectissimis actibus cognitionis, & dilectionis sui creatoris.

5 Hinc constat, quòd hæc cõclusio independens est ab illa quęstione, an indita fuerit Angelis in primo instanti suę creationis species distinctè sed abstractivè repręsentans divinam essentiã seu Trinitatem? Sive enim affirmetur, sive negetur, semper salvanda est nostra conclusio, & absolutè est dicendum, quòd in primo instanti creationis Angeli cognoverunt Deum, vt suũ creatorem (sive per prędictam speciem, sive per fidem) & illum amarunt super omnia amore naturali: & consequenter tunc fuerunt Beati beatitudine naturali.

6 Verum est quòd faciliùs salvatur hęc conclusio in sententia, quæ admittit prædictam speciem: eòquòd ista clariùs re-

repræsentat Deum, & consequẽter fortiùs invitat voluntatem ad amorem Dei. Hoc tamen nõ est simpliciter necessarium ad beatitudinem viæ: de qua loquimur in præsenti.

7 Vnde constat, Scotum dedefendere nostram conclusionem: cùm cõcedat Angelis prædictam speciẽ Trinitatis: de quo legatur *in 2. d. 3. q. 9. §. Ad quæstionem versic. Hac distinctione.* Est etiã Scotus pro nostra conclusione, quatenus *q. 1. prologi § Ad argumenta pro opinione Arist. versic. Respondeo* concedit, quòd, si felicitas nostra consisteret in speculatione, posset naturaliter haberi. Et, præter Scotistas, debent esse pro nostra conclusione quotquot concedunt in via beattiudinem naturalem. Pro qua sententia noster Felix *tract. de Beatitudine c. 3. diff. 2. n. 1. citat Suar. Mol. Montes. Granados, & Salas.*

8 Sed Vazquez *1. t. disp. 226. cap. 2. n. 3. & alibi* iudicat, esse impossibilem beatitudinem viæ. Ægidius autem *lib. 4. q. 14. art. 1.* illam iudicat possibilem; tamen *lib. 3. q. 1. art. 1.* negat, illam dari de facto. Noster Herrera *in 1. disp. 1. q. 8. & disp. 17. q. 6. & Lorca disp. 40.* fatentur possibilitatem beatitudinis naturalis: & de facto nihil dicunt: vt notat prædictus Felix hos Autores citans. Igitur hi omnes contra prædictam nostram conclusionem obijcere possunt. Primo contra possibilitatem obijcit Vazquez. Beatitudo est summa felicitas: ergo nequit esse cum peccato præsertim mortali. Patet consequentia: peccatum enim mortale est summa miseria. Tunc sic: ergo in via nulla potest dari beatitudo: Patet, quia creatura rationalis in via est capax peccati, seu peccare potest. Respõdetur, argumentum concludere intentum de perfecta beatitudine; qualis est in patria: non autem de imperfecta. (naturali, aut supernaturali: qualis est in via) Itaque perfecta cognitio Dei, quę haberi potest in via; & amor naturalis, aut supernaturalis eiusdem beatum reddunt viatorem. Neque est necessarium, quòd hæc cognitio, aut amor viæ excludant peccatum, vt possint dici beatitudines: maximè cum beatitudo perfecta patrię solùm ex dispositione diuina excludat culpam: vt suppono in principijs Scoti.

9 Obijcit secundò Vazquez: Beatitudo debet esse perpetua, vel saltem diuturna: sed cognitio, & amor erga Deum in via nequeunt hoc habere: ergo nequeunt esse beatitudo. Respondetur sicut ad præcedens: solùm enim est vera maior de beatitudine perfecta patriæ; & hoc nõ ex natura rei, sed ex dispositione diuina de quo pręcipue legatur Felix *diff. 4. § 4.* non autem de imperfecta vię.

10 Di-

10 Dices, sic explicatam hanc quæstionem esse de nomine: quandoquidem solum concertamus, an cognitio, & amor viatoris erga Deum sint, vel non sint beatitudo? Respondetur, sic mihi videri. Quare transeo ad obiectiones, quæ fieri possunt contra conclusionem nostram, quatenus affirmat, Angelos de facto in primo instanti suæ creationis habuisse naturalem cognitionem, & amorem erga Deũ.

11 Igitur obijcitur, quòd tũc debuit Angelus occupari in eliciendo cognitionem, & amorẽ supernaturalem: ergo non elicuit actus naturales. Probatur antecedens: quia spectat ad perfectionem Angeli quod in illo primo ortu sui esse occupetur in perfectioribus actibus. Secundò quia in illo instanti fuit elevatus per habitus fidei, spei, charitatis, & gratiæ supernaturalis: ergo actus, qui oriebantur à potentia illa, debebant esse supernaturales. Respondetur negando consequentiam: simul enim in illo primo instanti elicuit Angelus, actus naturales, & supernaturales, quibus cognovit, & amavit Deum authorem gratiæ, & naturæ. Neque enim est inconveniens quòd vna, & eadem potentia Angeli simul eliciat diversas numero, aut specie cognitiones, aut volitiones: cũ experiamur, potentiam visivam simul videre diversa numero, & specie obiecta: idemque contingit in auditu, & alijs sensibus. Recolantur dicta *cap.4. diff.4. à numero* 223.

11 Instabis: potentię Angeli in illo tunc sunt elevatæ per habitus supernaturales: ergo actus omnes ab illis precedentes erunt supernaturales. Respondetur negando consequentiam. Sicut enim non valet: homo est iustus: ergo omnia eius opera sunt iusta: sic non valet homo, aut Angelus est elevatus per habitus supernaturales: ergo omnia eius opera sunt ordinis supernaturalis. Et ratio est, quòd ad opera non solùm concurrit potentia, sed etiam obiectum motivum. Quare, si motivum fuerit naturale, opus egreditur naturale, etiam si egrediatur â potentia elevata.

12 Obijcitur secundò, quòd Scotus *in 2. dist. 31. in fine* dixit, quòd *numquam erit aliquis in puris naturalibus*: ergo neque erit aliqua beatitudo naturalis. Respondetur negando consequentiam: quia etiam in elevato ad finem supernaturalem, immo, & in Beato cognoscente, & diligente Deum principium, & finem naturalem datur prædicta beatitudo naturalis. Legatur Felix *tract. de Beatitud. c. 3. diff. 2. n. 6.* qui secutus Ægid. concedit etiam in patria prædictam beatitudinem naturalem.

DV

DVBIVM IIII.

13 PEtes quartò, an Angeli fuerint creati Beati Beatitudine supernaturali viç? Seu, an in primo instanti suæ creationis elicuerint actum dilectionis supernaturalis erga Deum authorem supernaturalem? Resp. affirmative. Quia tunc Angelus debuit non esse otiosus: ergo debuit operari erga Deum authorem gratiç. Recolantur dicta *n.* 4. *&* 11. *Item dicta cap.* 11. *numero* 31.

DVBIVM V.

14 PEtes quintò, an Angeli fuerint creati Beati beatitudine supernaturali patriæ? seu an in primo instanti suç creationis habuerint claram visionem, & fruitionem Dei? Respondetur negativè. Quia ita sentiũt multi Patres relati à Recentioribus, prçcipuè à Suar. *lib.* 5. *c.* 2. *à num.* 10. Nobis sufficiat Augustinus *lib. de Correptione, & gratia cap.* 10. dicens; *sic Deum ordinaße Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium*: sentit ergo, quòd eguerunt beneficio gratiç ad consequendum, & promerendũ beatitudinem: & consequenter sentit, quod in illa non fuerunt creati; quia cum beatitudine, non stat meritum saltem defacto. Secundò probatur ex eo quòd cum beatitudine non stat peccatum saltem defacto: sed mali Angeli de facto peccarunt: ergo saltem mali non fuerunt Beati. Tunc sic: omnes Angeli fuerunt æquales in sua creatione: etenim sine aliquo fundamento diceremus, aliquós illorum fuisse creatos in beatitudine, & non omnes: (Recolantur dicta *cap.* 11. *à num.* 18.) ergo, si tunc aliqui non fuerunt beati, nullus fuit beatus.

15 Sed Angelos fuisse Beatos beatitudine supernaturali patriæ in sua creatione, suaderi videtur aliquibus testimoniis D. Augustin. quæ referunt multi, præcipue Vazq. *disp.* 226. *cap.* 3. *à num.* 9. *&* Suar. *lib.* 5. *cap.* 2. *à num.* 2. In primis ergo D. Augustinus 4. *de Genesi ad litt. cap.* 24. *& alibi* dicit, priùs Angelos habuisse cognitionem matutinam, (hoc est, in Verbo, seu movente Deo ad cognitionem creaturarum) quàm vespertinam: hoc est rerũ, in proprio genere, seu per proprias species) ergo ab initio fuerunt beati. Resp. concedendo cõsequentiam de beatitudine naturali; & negando de supernaturali. Recolantur dicta *cap.* 4. *diff.* 2. *à n.* 32 vbi de cognitione matutina, & vespertina agitur. Itẽ recolantur dicta in hoc capite *à n.* 4. vbi agimus de Beatitudine naturali Angelorum.

16 Item

16 Item D.Aug. eodem loco,& alibi docet, sanctos Angelos â principio fuisse beatos beatitudine, quam nos speramus: quæ quidem est supernaturalis. Respondetur, tunc sumere principium non pro primo instanti creationis Angelorum; sed pro primo instanti initiativo suæ supernaturalis beatitudinis. Et ratio est, quòd fuit brevissimum tempus viæ Angelorum: atque adeò si non strictè, sed aliquantulum largè loquamur, totum viæ illorum tempus, necnon, & initium supernaturalis beatitudinis bonorum, & miseriæ malorũ potest dici initium sui esse. Recolantur dicta *cap.* 11. *diff.* 1. *num.* 13.

17 Insuper 11. *de Civit. cap.* 9. dicit August. *partem sanctorum Angelorum eo beatiorem esse, quòd nunquam peregrinata est à Domino*: ergo numquam ambulaverunt per fidem: ergo semper clare viderũt Deum: ergo fuerunt beati beatitudine supernaturali. Probatur prima consequentia ex illo 2. *ad Chorint. c.* 5. *dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus.* Respondetur negando vltimam consequentiã: quia illa cognitio fuit abstractiva: immo etsi fuisset intuitiva, non foret beata: quia ista debet elici medio lumine; vel à solo Deo infundi.

18 Idem August. *lib.* 11. *Genesis cap.* 26. *& lib.* 11. *de Civit. c.* 11. dicit, sanctos Angelos semper fuisse certos de sua salute, & inamissibili beatitudine: sed hæc certitudo propria est Beatorũ: ergo semper fuerũt beati. Resp. loquutum fuisse de certitudine imperfecta viæ seu quam in via haberet, qui evidenter sciret, se esse in gratia, & amicitia Dei: (quod in hoc statu solũ per revelationem sciri potest omnimoda certitudine: Angeli autẽ viatores naturaliter cognoscebant) sicut loquitur de beatitudine viæ: vt constat *ex libro de Corrett. & gratia c.* 10. vbi dicit, Angelos *nõ habuisse sũmæ beatitudini plenitudinẽ, neq; stabilitatẽ, vt cadere nõ possent*: sed per meritum illam consequi debuisse. Ideòque sicut nec sui casus, ita nec perseverantiæ fuisse præscios omnimoda certitudine.

DIFFICVLTAS II.

De Angelorum merito.

1 SVpppono, *meritum esse opus viatoris liberum, & honestum acceptandum, seu acceptatum ab alio, vt dignum remuneratione aliqualiter debita.* Colligitur ex Scoto *in* 3. *dist.* 18. § *In ista quæstione, & in* 1. *d.* 17. *quæst.* 2. *vel* 3. § *Sed tunc est a vers. Hic potest.* De quo videatur noster Felix *tractatu de Gratia c.* 9. *diff.* 2. *num.* 2.

2 Sup-

nis fuit Angelo difficilis.

6 Nota, quòd Scotus ibi respondendo ad primum argumentum videtur concedere, Angelum beatum de facto mereri per obsequia hominibus exhibita beatitudinem accidentalē. Tamen difficile est, concedere de facto aliquod meritum extra statum viæ. Quare est dicendū, non loqui ex propria sententia: & ideò non dixit absolutè, ad primum concedo, sed *conceditur*; ac si diceret, cōceditur ab alijs, non à me, qui circa hanc sententiam permissiuè me habeo. Aut dicendum est, loqui de merito latè sumpto, hoc est, sumpto pro impetratione, seu consequutione beatitudinis accidentalis: ex hoc enim, quòd homines benè operantur moti ab Angelorum custodum obsequijs, provenit Angelis quoddam accidentale gaudium; (quod dicitur accidentalis beatitudo) iuxta illud Lucæ 15. *n.* 10. *gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Videatur Scotus in Reportatis *in 2. distinct. 5. §. Ad primum vers. Vel potest dici. Item distinct. 7. §. Ad secundam quæstionem versiculo Ad aliud, quod beati*: vbi resolutoriè negat aliquod meritum in beatis etiam respectu præmij accidentalis.

DVBIVM II.

7 PEtes secundò, per quænā opera Angeli meruerint suam supernaturalem beatitudinem? Respondetur, quòd per merita præcedentia, non solùm naturæ ordine, seu causalitatis, sed etiam duratione ad talem beatitudinem. Quia supposito, quòd Angelus per aliquod tempus, aut morulas (de quibus *diff. 3. à num.* 1. agemus) fuit viator, nihil cogit, vt dicamus meruisse beatitudinem, aut per opera subsequentia ipsam beatitudinem, aut per opera facta in eodē nunc beatitudinis. Secundò, quia voluntas non simul vult mutabiliter, & immutabiliter. (hoc est liberè libertate contingentiæ, & necessario necessitate consequētiæ) Sed operatio meritoria est mutabilis, & libera libertate cōtingentiæ; operatio autem beatitudinis est immutabilis, seu necessaria necessitate consequentis: ergo vna alteram præcedit: & consequenter meritum præcedit præmium: quia est dispositio, & via ad illud.

8 Hæc secunda ratio est Scoti; & efficax supposito, quòd Angelus fuit viator: iste enim omnimoda libertate operatur actiones meritorias: non autem sic beatus: etsi enim sit liber non solùm libertate essentiali; sed etiam libertate contingentiæ; tamen

men vi manutenentię est necessitatus necessitate consequẽti taliter, vt de lege, aut potentia ordinaria numquam cessabit á beatitudine, nec operabitur oppositum: & ideò operatur immutabiliter. Qui modus operandi non est in statu vię: sed oppositus, nempè operari cum omnimoda contingentia, & defectibilitate non solùm ex parte voluntatis, sed etiam ex parte operationis, quæ aliquando ponitur, & aliquando non. Quos diversos modos operandi viatoris, & comprehensoris attendens Scotus dixit, quòd voluntas non simul vult mutabiliter, & immutabiliter: cùm Angelus (sicut nec homo, Christo Domino excepto) non sit simul viator & beatus, seu comprehensor.

9 Dices, quòd idem contingit in via respectu illius, cui Deus confert auxilium efficax, & respectu confirmati in gratia: nam isti operantur necessariò necessitate consequentis, seu operationis; etsi aliàs maneant liberi libertate antecedentis, seu voluntatis: ergo operari immutabiliter in sensu explicato nõ est proprium status beatorum, sed etiã convenit statui viatorum. Resp. distinguendo cõsequens: statui, nego: aliquibus illius statûs cõcedo. Itaque universo statui beatitudinis competit ille modus operandi immutabiliter modo explicato, hoc est, omnes, & singuli illius stat⁹ nũquã cessabunt â beatitudine; neque aliquando aliquis eorum peccabit. In statu autem viæ etsi habens auxilium efficax ad benè operandum in aliqua materia, & determinata actione; (nullum enim est auxilium efficax ad operandum in omni materia, aut in omni occasione) necessariò necessitate se tenente ex parte positionis actionis; non ex parte operantis; operaturus sit: & confirmatus in gratia quamvis necessariò sit decessurus in gratia: tamen neutrũ istorum est proprium status vię, sed contingenter convenit aliquibus huius status. Et ideò, quãtum est ex vi status viæ, omnes in illo mutabiliter operantur ad distinctionem status beatorum: omnes enim, & singuli beati ex vi sui status operantur immutabiliter.

10 Vnde constat, immeritò Vazq. *disp*. 229. *c*. 4, *n*. 14. dixisse, Scotũ non fuisse sui memorẽ, vtendo prędicta ratione: eo quòd sentiat agẽdo de beatitudine beatum esse liberum ad cessandum à beatitudine, & ad volendũ oppositũ. Quare ex hoc principio potiùs debebat Scotus inferre Angelũ in beatitudine potuisse sibi mereri beatitudinẽ: (inquit Vazq:) Immeritò tamen: etenim Scotus, dũ dicit, *B*eatũ habere libertatẽ contingentiæ, loquitur de libertate antecedẽti, seu quã habet Beatus, quantũ est ex se.

Dum

Dum autem dicit; Angelũ Beatũ immobiliter operari, loquitur de libertate consequẽti; quã impedit beato manutenentia Dei. Sicut in via illã impedit auxiliũ efficax, & confirmatio in gratia. Quemadmodũ ergo cõponimus in viatore, quòd habens auxiliũ efficax ad hic, & nunc orandũ v.g. oret liberè libertate se tenente ex parte operantis; (quã libertatẽ vocant antecedentẽ) & necessariò necessitate se tenente ex parte ipsius orationis, seu operis (quã necessitatẽ vocant consequentẽ) Sic libertatẽ antecedẽtẽ cõponit Scot⁹ cum necessitate consequente beatorũ. Et propter hanc necessitatem dicit Scotus, quòd in Beatitudine operatio est immobilis. Non autẽ dicitur immobilis operatio viatorũ, etsi idem modus operandi cõveniat habenti auxiliũ efficax, necnon & cõfirmato in gratia: quia non convenit omnibus, & singulis viatoribus; sicut cõvenit omnibus, & singulis Beatis.

11 Igitur nostrã conclusionem *num.* 7. positam defendunt Scotus *in 2. d. 5. q. 1. § Ideo tenetur vers. Ideo aliter, D. Th. q. 62. art. 5. & cõmuniter Thomistæ. Itẽ* D. Bon. Ric. *& alij, quos citant, & sequuntur Suar. lib. 6. c. 4. n. 5. Vazq. disp. 229 c. 10. num. 42.* & alij recentiores inter quos sententia ista est cõmunis.

12 Sed Magister *in 2. dist. 5. & Altisiodorensis* affirmant Angelos primum fuisse Beatos; deinde per opera subsequentia Beatitudinem, ipsa m sibi promeruisse. Quod probabile reputat Albertus; & pro hac sententia Marsilius refert Præpositivum. De quo præsertim videatur Vazquez *disp. 229. cap. 2. n. 4.* Addit Magister, opera sequentia Beatitudinem, quibus Angeli eam sibi promeriti sunt, esse ministeria in gratiam hominum ex obediẽtia Dei exhibita. Contra quam sententiam stat, quòd status viæ est cõditio ad merendum ita necessaria, vt (saltem de lege ordinaria) sit insupplebilis. Secundò quòd ex hac sententia sequeretur, (obijcit Scotus *ibi §. in ista quæstione vers. Præterea*) posse hominem mereri primam gratiam per opera, quæ prævidet Deus fore facienda, per gratiam.

13 Igitur præfata sententia nobis obijcit: quod præmium sit ante meritum in re exhibitũ, non implicat: ergo potuit Angelis dari beatitudo in præmium meritorum subsequentiũ. Antecedens constat exemplo Regis, qui aliquando tribuit militibus anticipata stipendia in præmium futurorum facinorum. Item exemplo Christi Domini, propter cuius merita solùm prævisa contulit Deus gratiam antiquis Patribus, & omnibus alijs, qui tempore præcesserunt mortem, & passionem Christi Domini; in qua eius meritum fuit consumatum. Respondetur distin-

distinguendo antecedens: est enim concedendum, vel saltem omittendum loquendo de possibili: & negandum de facto: & consequenter negamus, de facto fuisse Angelis beatitudinem concessam in præmium bonorum operum prævisorum: hoc enim est contra naturam rerum exigentium, quod meritū, quod est via, & causa præmij, priùs existat.

14 Obijcit secundò prædicta sententia, quòd non videtur verisimile, Angelis non fuisse datum præmium propter obsequia, quæ nunc exhibent ministrando hominibus. Sed beatitudo essentialis non recipit augmentum: ergo à principio fuit illis data propter hæc merita prævisa. Respondetur negando maiorem: illa enim opera sunt extra statum merendi: sicut amor, quo diligunt, & in æternū sunt dilecturi Deum. Recolantur dicta *num.6.*

15 Obijcit tertiò, apparere difficile, quod tam eximium præmium ac est beatitudo, potuerint Angeli promereri in tàm brevi intervallo viæ: ergo meruerunt beatitudinem per merita subsequentia. Respondetur negando antecedens. Cùm enim Angelorum merita (sicut, & hominum) nitantur non solum in bonitate operis, necnon & in libertate contingentiæ operantis; sed etiam & præcipuè in dignitate gratię sanctificantis, propter quam tàm subiectum operans, quā eius opera honesta sunt acceptabilia Deo: fit, vt ponendo in Angelis gratiam valde intēsam, facile percipiatur, quomodò illorū merita in illo brevi tempore viæ, fuerint digna supernaturalis beatitudinis; immo & superaverint merita sanctorum, qui diù vixerunt merēdo. Et constat à simili Latronis sanctissimi. Vrgētior adhuc mihi apparet instantia gloriosissimæ Virginis, quę in sola actione incarnativa, seu qua præbuit suum consensum ad Incarnationem Verbi, tantum meruit, vt existimem, hoc solùm meritum fuisse excellentius, quàm merita omnium creaturarum; vt mihi testatur noster D. Bernardinus Senensis *serm.52.* verbis istis: *Beata Virgo, quando præbuit consensum illis verbis; Ecce ancilla &c. plus meruit, quàm omnes Angeli, & omnes homines per omnia opera sua.* Recolantur dicta *num.4.*

16 Alij graves Doctores dicunt, Angelum meruisse quidē suam beatitudinem per opera illam antecedentia, non duratione, sed naturę aut causalitatis ordine. Pro qua sententia Vazquez *disp.229 cap.4.num.11.* citat D. Thom. *quodlib.9, quæst.4. art.3, & in 2.dist.5.quæst.2. art.2.* (quam sententiam retractasse, & nostram sustinuisse dicunt Thomistę communiter) *D.Bon.*

Ri-

Richard. Ægid. Marsil. Maior. & Thomam de Argentina: quamvis Suar. num. 11. citatus adducat pro nostra sententia D. Bon. & Ricard.

17 Pro qua sententia obijcitur, ad meritum sufficere, quòd prioritate naturæ præcedat ad præmium: ergo in primo instanti reali esse Angelorum potest distingui prioritas naturæ pro qua eliciatur opus meritorium gloriæ, seu beatitudinis; quam in eodem instanti reali temporis, seu durationis recipiat Angelus in posterioritate naturæ. Antecedens probatur in alijs causis: causa enim solùm prioritate naturæ petit præcedere suum effectum. Et ideo sol in primo instāti sui esse illuminavit, seu produxit lucem. Recolantur dicta cap. 11. diff. 1. à num. 27. Respond. concedendo totum. Vnde solū infertur, sic potuisse contingere. Tamen de facto hoc non cōcedimus: quia, cùm Angeli fuerint in via per aliquot morulas, non est necessarium, admittere meritum beatitudinis, & ipsam beatitudinē in eadē reali duratione. Aliàs eadem voluntas simul vellet mutabiliter, & immutabiliter: vt num. 7. & 8. expēdebamus.

DVBIVM III.

18 PEtes tertiò, an Angelus potuerit creari beatus, seu esse beatus in primo instanti suæ durationis? Resp. affirmativè. Quia in primo instanti reali sui esse est capax recipiendi supernaturalem beatitudinem; sicut in quocumque alio instanti: potuit ergo supernaturalis beatitudo coniungi cum esse naturali Angeli in illo primo instanti; dummodò in illo distinguamus vnam prioritatem naturæ, pro qua receperit esse naturale; (quod esse necessariò debet præsupponi ad beatitudinem supernaturalem, & ad quamcumque aliam formam supernaturalem: cùm sit causa materialis, seu subiectum, in quo talis forma recipitur. Insuper, & cùm quævis causa debeat saltem prioritate naturæ præcedere suum effectum) & aliam posterioritatem naturę, pro qua recipiat talē formam. Hanc conclusionem defendit Scotus in 2. d 5. q. 2. §. Respondeo vers. Et dico, & communiter Authores.

19 Vnde infertur, potuisse Angelum creari beatū, seu in primo instanti sui esse habere beatitudinē supernaturalē à Deo infusam, voluntate merè passivè se habente. Itē potuit Angelus in illo primo tunc habere beatitudinē supernaturalē promeritā per opera solùm in prioritate naturæ illā præcedentia: vt notabam num. 17. Et ratio est, quòd pro illo tūc voluntas Angeli est capax recipiendi beatitudinem, sivè à se elicitam, sivè à Deo infusam.

DVBIVM IIII.

20 AVctores in præsenti vnum, aut alterum disputant in speciali de Angelorum visione beata. Et meritò: quia cùm iam constet ex dictis in hoc capite, Angelos meruisse supernaturalem beatitudinem. Item cùm constet ex dictis capite primo, visionem beatam, saltem connotativè ingredi beatitudinem: quæ ad visionem beatam Angeli possunt disputari, in præsenti sunt disputanda.

21 Igitur petes quartò, an Angeli beati noverint in Verbo, aut generalius, in statu Beatitudinis diem iudicij? Respond. negativè. Quia *de die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum nisi solus Pater* Matth. 24. *num.* 35. Ita D. *Thom. Abul. Sotus, & Argentina, quos citat, & sequitur Suar. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 16.

22 Sed D. Bonau. *in* 4. *dist.* 48 *art.* 1. *q.* 3. refert circa hoc varias opiniones Patrum, & Theologorum, & ipse probabilius existimat, Angelos superiores videre in Verbo diem iudicij; alios vero inferiores illum ignorare. Richardus etiam *in* 4. *dist.* 43. *art.* 6. *q.* 2. varias sententias refert, & nihil determinat. Et Caiet. in illum locum *Matth.* 24. videtur inclinare in sententiam quæ Angelis concedit notitiam diei iudicij, dum particulæ illi, *neq; Angeli cœlorum* addit *notitia naturali*. Thomas autem de Argentina *d.* 48. *art* 3. *con clus.* 2. solum affirmat, probabiliter sustineri posse Angelos non cognoscere diem Iudicij. Sotus demum *dist.* 48. *q.* 2. *art.* 2. *dub. vltimo* solùm dicit, esse probabilius. De quo videatur prædictus Suar. *num.* 15. *&* 16. Vnde constat, nostram sententiam neque esse de fide, neque omninò certam.

23 Igitur obijcitur contra cõclusionem, quòd D. August. *in Enchiridio cap.* 36. *aut* 62. dicit Angelos scire numerum prædestinatorum: sed hoc mysterium est magis occultum: ergo scient etiam diem iudicij. Respond. negando consequentiam: liberum enim est Deo, illlud mysterium revelasse; & non istud. Quod nos colligimus ex Scriptura dicente, diem illum ignorare Angelos: necnon & ex hoc, quòd verba Scripturæ sunt propriè intelligenda, si non sit aliquod inconveniens: vt est ferè proloquium.

24 Obijcitur secundò, quòd Angeli in statu Beatitudinis vident hunc articulum fidei: (*aliquando futurum est generale iudicium*) ergo cognoscunt quando futurum est. Respondetur negando consequentiam quæ, si teneret, convinceret, nos etiam illũ cognoscere. ¶ Dices, quòd Angeli cognoscunt evidenter illud mysterium; nos autem solùm per fidem. Respondetur, quòd, etsi con-

concedamus, Angelos in decreto diei iudicij futuri, illum intueri, occultatur illis distantia medians inter hunc diem, & illum; & ideò non cognoscunt, quando erit. ¶ Instabis, quòd etiam hæc distantia est cognoscibilis in decreto ergo illam cognoscunt evidenter. Respondetur negando consequentiam: cùm enim Scriptura dicat, Angelos non cognoscere illum diem, dicendum est decretum distantiæ mediantis inter hunc, & illum diem Angelis fuisse occultatum.

DVBIVM. V.

25 PEtes quintò, an in Angelis beatis reperiantur dotes gloriæ? Respondetur affirmative. Quia Angeli beati non minùs propriè, quàm homines beati, contrahunt matrimoniū consumatum cum Deo: ergo sicut in hominibus reperiuntur dotes gloriæ, sic in Angelis. Antecedens constat: non enim alio modo homines dicuntur sponsari cum Deo, nisi quia sicut in corporalibus vir, & fœmina fiunt vna caro propter corporū adhærentiam: ita fit vnus spiritus cum Deo propter spiritualem adhærentiā; iuxta illud 1. *Chor.* 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo.* Sed non minùs Angelus beatus adhæret Deo per amorem: ergo fit vnus spiritus cum illo: & cōsequenter desponsatur cum illo: atque adeò illæ perfectiones, seu ornamenta, quæ dicuntur dotes gloriç in hominib⁹ beatis; debēt etiam dici in Angelis. Hanc nostram sentētiam defendit Ægid. de Præsentatione *lib.* 11. *q.* 3. *art.* 2 *quam citat, & sequitur noster* Felix 1. *p. Tent. tract. de Beatit. cap.* 5. *diff.* 1. *numero* 2.

26 Sed noster *Ric. Vazq.* Mōt. & *Salas*, citati à Felix ibi *n.* 6. dicunt, prædictas perfectiones, seu ornamenta in beatis reperta nō habere rationē dotis respectu Angelorum. Quia Angeli neque respectu Dei, neq; respectu Christi habent rationē spōsæ. Hoc tamē gratìs dicitur loquendo saltē respectu Dei; vt *num. præcedenti* probabamus. Sed obijcit Richard⁹: Angeli fuerunt creati in gratia, ergo non convenit eis ratio spōsæ. Patet consequentia: quia ad rationē sponsæ requiritur, quòd aliquādo nō fuerit sponsa. Resp. (admisso antecedēti solum probabili secūdū Scotū, iuxta dicta *c.* 11. *diff.* 1. *à n.* 2.) negando consequentiam. Ad probationem dico, contrarium cōvincere instantiam Beatę Virginis, quæ verè fuit sponsa Dei; & tamen fuit producta in gratia. Quare ad hoc vt aliqua persona sit sponsa Dei, solùm requiritur, vt gratìs assumatur in matrimonium. Quod autem ista gratuita assumptio in consortium bonorum sponsi fiat in primo instanti, in quo sponsa habet esse, vel in alio, est

mortem exercuerat Christus D. à primo instanti conceptionis multos actus diversarum virtutum: (præcipuè amorem erga Deum, & proximum, & actus religionis) sed quilibet eius actus erat sufficiens, immo & superabundans pretium pro prædestinatione omnium Angelorum, & hominum: ergo, adhuc admisso, quòd in statu executionis in re exhibita desponsatus fuerit cum Angelis, non erat expectandum ad effusionem sanguinis, & animæ; sed in primo instanti suæ conceptionis debuit fieri ista desponsatio. Patet consequentia: quia in illo primo instanti dedit pretium sufficiens, & superabundans pro prædestinatione omnium electorum. Maior autem est indubitata; & minorem docet Scotus *in 3. dist. 19. §. In ista quæstione vers.* Tamen, quatenus affirmat, quòd opus meritorium Christi Domini *ex circumstantia suppositi, & de congruo ratione suppositi habet quamdam rationem extrinsecam; quare potuit Deus acceptare illud in infinitum.* Respõd. negando consequentiam: quia etsi quilibet actus Christi Domini fuit pretium sufficiens, immo, & superabundans pro prædestinatione omnium Angelorũ & hominum; tamen non fuit acceptatum aliquod opus Christi Domini, vt cõpletè meritoriũ, quousque passio, & mors Christi D. fuit in re exhibita: immo neque Christus D. aliquod opus obtulit seorsim, sed omnia simul, eo quòd novit, disposuisse Deum, quòd mors, & passio fuerint consumatio; & complemẽtum suorum meritorum.

31 Itaque philosophamur in præsenti de desponsatione Angelorum in re exhibita; sicut de merito Christi D. philosophabimur in tractatu de Incarnatione. (Deo dãte) Ibi enim statuunt Authores, Christum D ab instãti Incarnationis plura merita exercuisse & etiam per totum vitæ cursum. Cùm tamen Patres, & Scriptura passim tribuant nostram redemptionem, & fructũ illius morti, & passioni Christi D. quærunt, si ante mortem, & passionem fuerũt tot opera meritoria Christi D. cur passioni, & morti potiùs, quàm alijs operibus tribuitur nostra redemptio? Cui dubitationi respondent, rationem esse, (omissis alijs, quas reijcit Vazq. in illo *tract. disp. 7. c. 4.*) quòd passio, & mors fuerũt consumatio, & complementum meritorum Christi D. sine qua morte, & passione non esset cõpletum meritum: non quidem defectu valoris aliorum operũ, sed quia Deus disposuit, quòd Christus D. per omnes operationes simul sumptas operaretur nostram redemptionem. Et ideò Christus D. cognita hac divina dispositione, non obtulit singula merita, seu opera meritoria

 seor-

seorsim, sed omnia simul. Vnde concludunt, provenire ex divina dispositione, atque ex intentione Christi Domini non offerentis singula opera pro nostra redemptione, quod ipsam Christus D. non meruerit per singula opera virtutis.

32 Sic ergo philosophamur in præsenti. Fatemur enim, in primo instanti cõceptionis elicuisse Christum D. & per reliquum vitæ tempus plures actus virtutum, in quorũ quolibet erat sufficiens, & superabundans valor ad hoc, vt in statu executionis in re exhibita propter singulos illorũ prædestinatis omnibus cõferret gratiam: & consequenter cum illis desponsaretur. Tamen ex dispositione divina factũ fuit, vt prædicta gratia solùm conferretur propter omnia merita simul coniuncta cum passione, & morte Redemptoris: & consequenter vsque tunc non fuit celebrata desponsatio cum aliquo prædestinato. Et meritò; cũ Prędestinatorum desponsatio cum Christo D in eo consistat, quòd illis meruerit gratiã ad cõsequẽdum prędestinatîonis terminũ, seu gloriam. Quare, cùm meritũ Christi D. non fuerit cõsummatũ, aut completũ vsque ad passionem, & mortem ipsius, vsque tunc non fuit celebrata alicuius Angelorum, aut hominum cum Christo D. desponsatio.

33 Insurges adhuc: Christus Dominus in statu prævisionis meruit omnibus prædestinatis gloriam essentialem, & gratiam per merita abstrahentia à carne passibili, seu â passione, & morte: ergo tunc prævidit Deus illa merita omninò cõpleta, & consumata independenter à passione, & morte Christi Domini. Patet consequentia; quia decretũ prędestinationis fuit prius, & independens à decreto mortis, & passionis: illa enim decretata est in alio posteriori, præviso iam peccato Adæ, & ad reparandum gratiam per illud deperditam: & consequenter dicimus Scotistę, quòd, Adamo non peccante, veniret Christus D. propter executionem decreti prædestinationis electorum. Tunc sic: respectu Angelorum non fuit interrupta gratia: ergo non fuit necessariũ, vt exhiberetur passio Christi Domini, vt cum illo desponsarentur Angeli; sed vi primi actus amoris, quo in primo instanti suæ cõceptionis dilexit Deum, meruit Angelis in executione in re exhibita prædictam gloriã, & gratiã: & consequenter tunc despõsati fuerunt Angeli cum Christo Domino: homines autẽ desponsati sunt, quando effudit sacratissimum sanguinem, & animam: quia ad reparandum istorũ gratiam decreta fuit illius mors, & passio.

34 Respond. negando consequentiam subsumpti: quia etsi vi

vi primi decreti decreta fuerit gloria essentialis, & gratia Angelorum, & hominum prædestinatorum independenter à morte, & passione Christi Domini: tamen visa iam passione, & morte Christi Domini decrevit Deus, nulli in executione in re exhibita conferre talem gloriã, & gratiam nisi propter illa eademmet merita consummata, completa, & quasi modificata per eximium opus mortis, & passionis filij sui. Ad modum, quo etsi gloria prædestinatorum decreta fuerit ante prævisa merita; tamen vi alterius posterioris decreti quasi modificatum fuit illud primum taliter, vt eademmet gloria in executione in re exhibita, non daretur, deficientibus meritis adultorum.

35 Ex dictis à *num*. 20. habemus, Angelos Beatos non cognoscere diem iudicij. Item quod perfectiones, seu ornamenta in statu beatitudinis reperta, quæ respectu aliorum Beatorum dicuntur dotes gloriæ, sic etiam debent dici respectu Angelorum Beatorum: quia matrimonium spirituale reperitur inter Deum, & Angelos beatos non minùs, quàm inter Deũ, & Beatos homines. Insuper habemus, hoc spirituale matrimoniũ etiam celebrari inter Christum D. & inter Beatos Angelos non minùs quã inter Christum D. & homines.

36 Hæc tria sunt, quæ in præsenti disputant auctores de Angelis Beatis. Perquirere autem, quot sint hæ dotes gloriæ? Quæ cõditiones ad dotem gloriæ requirantur? Et multa alia, quæ ad perfectã intelligentiã dotis gloriæ sunt necessaria, meritò in præsenti omittunt auctores, & remittunt ad tractatum Beatitudinis: quia nõ habent specialem difficultatem in Angelis, sed cõmunia sunt omnibus Beatis. De quibus legatur noster Felix *tract. de Beatitudine c.* 5. Addo tamen, quòd, etsi auctores loquantur de dotibus animæ, quæ communes sunt animabus, & Angelis gloriosis; etiam sunt concedendæ corporis dotes Angelis gloriosis in sententia, quæ affirmat, Angelos esse corporeos: quam sententiam etiam nunc temporis esse ab omni censura immunem diximus *capit*. 1. *difficult*. 1. *numero* 12. vbi addidimus, adhuc esse probabilem.

DIFFICVLTAS III

De morulis repertis inter creationem, & terminum Angelorum.

1 VOx Latina *morula* diminutiva est vocis *moræ* significatq, parvã tẽporis dilationẽ:

vt ſuppono cũ Calepino, & cæteris Grammaticis. Ex quibus Theologi ſumpſerunt vocem *morulam* ad ſignificandum illud temporis intervallum repertùm inter creationem Angelorum, & illorum terminum.

2 Meritò autem Theologi prædicta voce *morula* vtuntur ad illud ſpatium ſignificandũ: quia communior, & probabilior ſententia affirmat, Angelos cũ hoc mundo viſibili ſimul fuiſſe creatos. In qua ſententia breviſsimũ fuit illud temporis intervallum. Tamen in ſententia, quæ negat, tunc fuiſſe creatos Angelos (quã â calumnia vindicabamus *cap.* 1. *diff.* 3. *à n.* 16 Immo eſſe probabilem defendimus ibidem *à n.* 18.) adeò ſtrictis morularum terminis non ſumus adſtringẽdi. Hinc mihi diſplicet Suar. *lib.* 2. *c.* 2 *n.* 2 affirmans quòd omnes Theologi docent, ſanctos Angelos intra breviſsimam moram conſummaſſe ſuum meritum, ac immediatè poſt conſummationẽ premium æternæ, ac ſupernaturalis beatitudinis recepiſſe. Diſplicet ergo: quia etſi hoc verum ſit in communi illa, & probabiliori ſententia: non in oppoſita. Et ideo immeritò dicit Suarez, ſic omnes docere. Igitur in prædicta communiori ſententia ſit.

DVBIVM I.

3 PEres primò, vtrùm Angelorum morula menſuretur per noſtrum tempus aut per illius inſtans? Reſp. affirmativè. Quia nos Scotiſtæ non admittimus tempus diſcretum: vt conſtat *ex cap.* 9. *diff.* 2. *à num.* 19. ergo extrinſecè per noſtrum tempus, aut inſtantia illius Angelorũ morulæ ſunt menſurandæ. Et conſequenter per noſtrum tempus, aut per inſtantia illius cognoſcemus quantum duraverit Angelus in via, & quantum duraturus ſit in termino per æternitatem.

4 Dices. ante mundum viſibilem fuerunt creati Angeli: (vt probabiliter defẽdim⁹ *loco & n.* 2 *citato*) ſed tunc non erat tempus noſtrum: ergo tunc Angelorum morulæ non menſurabantur tẽpore noſtro, aut illius inſtantib⁹: ergo neque modò: Patet hæc vltima cõſequentia: non enim apparet veriſimile, vt aliquãdo & non ſemper mẽſurentur tẽpore, aut illius inſtante. Reſp. negãdo ſecundã cõſequentiã. Ad probationẽ dico, morulã Angeli tunc menſurari tẽpore imaginario. ſicut corpus poſitũ extra primam ſphęram, ſeu cœlum empyrium circumſcriberetur loco imaginario. Itaque verum eſt, non eſſe veriſimile, quòd, exiſtente tempore, morulę Angelorum aliquando menſurentur illo,

illo, & aliquando non. In suppositione autem, quòd tempus deficeret verum, reale, & existens, mēsurarētur tēpore ficto, & imaginario; hoc est, tunc imaginaremur, morulam mensurari cum tanto tempore, aut instante, quã tum est tempus, aut instans, cũ quo mensuratur de facto. Sicut si ponatur corpus in vacuo, imaginamur, tantum spatij occupare, ac occupat nunc positum in vero loco.

DVBIVM II.

5 PEtes secũdò, quid cogat ad concedendum aliquam morulam in Angelo? Respondetur cogere ipsorum actualem existentiam extra caussas. Itaque cùm certum sit, Angelos fuisse productos: vt suppono *ex cap. 1. diff. 1. num. 1.* certũ debet esse, per vnicam saltem morulam durasse: (loquor de morula, quę correspondet instãti) etenim fieri nequit, quòd res aliqua sit existens extra causas, seu extra esse possibile, & quòd saltem per vnicum instans non duret: aliàs verificaretur, quod pro illo instante existebat, & non existebat: existebat inquã) quia est extra possibilitatem, vt supponitur: & non existebat, quia in nullo tempore, aut illius instante habebat actualem existētiam.

DVBIVM III.

6 PEtes tertiò, quid cogat ad ponendum plures morulas in Angelis? Respondetur, cogere diversitatem statuum, quos in Angelis admittunt omnes.

DVBIVM IIII.

7 PEtes quartò, quot sint status Angelorum? Respondetur, esse tres, aut quatuor status, sub quibus in principio suæ creationis fuit Angelus. In sententia enim, quę affirmat, Angelos creatos fuisse in gratia sanctificante, (quam probabiliter defendimus *4p. 11. diff. 1. à num. 2.*) tres status habuerunt Angeli. Primus fuit creationis, & sanctificationis simũl, seu in quo recepit tam esse naturale, quàm supernaturale gratię sanctificantis, & reliquorum habituum, seu donorum, quæ simul cum gratia sanctificante infunduntur. In hoc statu cępit Angelus meritoriè operari ad consequutionē glorię, postquàm se disposuerat ad recipiendum gratiam sanctificantem, & postquàm iam illã fuerat consequtus: nullus enim status admittendus est in Angelo, in quo non operetur: hoc quippè tàm nobilissimam creaturam dedeceret.

8 In hoc statu omnes Angeli

li fuerunt vniformes: quia tàm boni, quàm mali receperunt à Deo esse naturale cum omnibus suis perfectionibus naturalibus. Item omnes receperunt gratiã excitantem supernaturalem; cui omnes respondentes se disposue runt ad receptionem gratiæ sanctificãtis merẽdo illam de congruo, & gloriam de condigno. Hac spectant dicta c. 11. *diff.* 1. *à num.* 18. vbi statuimus, omnes Angelos fuisse vniformes in sua creatione. Item ibidem dicta *à num.* 27. vbi probavimus, Angelos habuisse gratiam sanctificantẽ per propriam dispositionem.

9 Secundus status fuit perseverantiæ respectu bonorum, & prævaricationis respectu malorũ. In quo statu boni persistendo in gratia sanctificante, & bonis operibus supernaturalibus charitatis, religionis, gratitudinis, &c. meruerunt augmentum gratiæ, & gloriæ. Mali autem prævaricati sunt à gratia, & bonis operibus. Quòd iste status sit diversus a primo, negabit nemo attẽdens, quàm diversum sit, malos amisisse gratiam, & amicitiam Dei, & in illius odium incidisse. Quod autem boni perseverando habeant novum statum, constat ex hoc, quod fatentur omnes longè diversum statum habere rem, dum conservatur, ac quando producitur. Item in hoc statu boni de condigno meruerunt augmentum gratiæ sanctificantis, & de congruo confirmationem in illa. In primo autẽ statu meruerunt de congruo infusionem gratiæ.

10 Tertius demum status fuit, in quo, finito iam statu merendi, perventum est ad terminũ; & boni receperunt pro præmio gloriam; & mali pro supplicio æternã damnationem. Nullus autem dubitat, hunc statum esse diversum saltem à statu merendi: cùm in hoc non possit esse meritum, saltem de lege ordinaria. (Christo D. excepto, dũ fuit in hoc mundo)

11 In sententia verò, quæ affirmat, Angelos creatos fuisse in pura natura, (quam probabiliter propugnavimus *cap.* 11. *diff.* 1. *à n.* 11.) addendus est alius status: & ideò in hac sententia sunt quatuor status. Primus est, in quo Angelus recepit esse naturale cũ omni sua perfectione naturali tàm physica, quàm morali; & operatus est eximios act⁹ naturalis ordinis. Tùnc enim perfectissimè cognovit Deum authorem naturæ, & circa ipsum elicuit act⁹ naturales charitatis, seu amoris super omnia, religionis, gratitudinis, subiectionis, seu obedientiæ, &c. Secũdus status est in quo Angelus recepit gratiam supernaturalem excitantem; cum qua operando se disposuit ad recipiendum gratiã sanctificãtem, & reliquos habitus, seu dona, quæ simul cũ prędicta gratia infun-

funduntur. Itē recepta gratia operatus fuit excellentissimos actus huius status, nempè cognitionis Dei auctoris supernaturalis, amoris, religionis, gratitudinis, obedientię, &c. Tertiùs status in hac sententia est perseverantiæ bonorū, & pręvaricationis malorum. Et demum quartus est, in quo tàm boni, quàm mali pervenerūt ad terminum; & boni receperunt pro præmio gloriā, mali autem pro supplicio æternam damnationem.

DVBIVM V.

12 PEtes quintò quantitatem horum statuū, seu quantum duraverit vnusquisq; illorum? Resp. vltimum per totā æternitatem esse duraturū. Quia *ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Matth. 25. n. 45.* Vnde constat, quòd prę mium bonorū, & supplicium malorum in æternum est duraturū. Et quāvis prædicta verba de bonis, & malis hominibus sint dicta; ex eodem capite constat, idē esse dicendum de Angelis malis propter illa verba *n. 41. discedite a me maledicti in ignem æternū, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Et quamvîs ibi non ita expressè dicatur, æternum esse præmium bonorum Angelorum, satìs clarè intelligitur ex eo, quòd nō minùs præmiator est Deus, quā vltor: quare, si in ęternū punit malos Angelos; in ęternū etiā præmiat bonos. Itē si præmium iustorum hominum est perpetuū; etiam & Angelorum.

13 Secundus stat⁹, seu status perseverātiæ bonoru, & prævaricationis malorū nō fuit instātaneᵘ, sed duravit per aliquod tēpus. Et quāvîs huius nō possit assignari efficax ratio, congruit tamē sic philosophari; vt malis cōcedatur tēp⁹ cōmodi⁹ pœnitēdi; & bonis maior occasio merendi per longiorem perseverantiam in bonis operibus.

14 Prim⁹ stat⁹ (in sentētia, quæ tres tantū admittit) etiā duravit per aliquot tēp⁹. Quia etsi tā esse naturale, quā supernaturale gratię excitātis, & sanctificātis, & aliorū habituū, seu donorū supernaturaliū, quę simul cū gratia infundūtur, contulerit De⁹ in primo instāti; cū tamen in isto statu cœperint Angeli multos, & diversos act⁹ virtutū exercere, minùs cōgruè seu cōmodè illos exercuissēt in vnico instāte. Cùm quælibet potētia finita nō ita perfectè operetur circa diversa, quā applicādo totū suū conatū circa idē. Vnde iā in proloquiū prorupit: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*: quod & de quacūq; potētiā finita & limitata est intelligēdū. Ne ergo dicam⁹, eximios act⁹ charitatis, religionis, gratitudinis, obediētię, &c. quos Angel⁹ in hoc statu cœpit operari, elicuisse min⁹ perfectè, dicēdū est nō in eodē instāti, sed pro diversis instātib⁹ illos elicuisse; & cōse-

quen-

quéter, quod iste stat⁹ duravit p omnia illa instantia, necnō & per omnes illas tẽporis partes, quæ p prædicta instantia continuãtur.

15 Demum, si concedantur quatuor status, primus erit in quo Angelus recepit esse naturale cum omni sua naturali perfectione, & operatus est exim os actus naturalis ordinis: vt explicuimus *num.* 11. Et de duratione huius status omnino pariformiter philosophandum est; sicut de statu precedenti propter eamdẽ rationem.

16 Habemus ex dictis *à num.* 7. tres, aut quatuor status habuisse Angelos in suo principio. Item habemus, nullum horum statuū per vnicum instans durasse. Vnde constat id, quod *num.* 6. dicebamus, nempè diversitatem statuum, quos in Angelo reperimus, nos cogere ad admittendū in illo plures morulas; nec vnam sufficere, si mórula correspondeat vnico instanti nostri temporis. Sin veró affirmetur, morulam primam consumere aliquod tempus, nihil cogeret ad admittendum plures morulas; nam in brevissimo tempore potuit Angelus pertransire quotquot status in illo possunt considerari, quoadusque perveniret ad gloriam, seu ad statū premiationis.

17 Hæc quasi summatim dixerim de Angelorum statibus, & morulis: existimoque omnia esse ad mentem Scoti *in* 2. *d.* 5. *q.* 1. *à §. Ad quæstionem, & q.* 2. *per totum § De tertio articulo, & in Reportatis in* 2. *d.* 4. *à § De tertio articulo.* Quibus ferè omnibus subscribunt multi Scotistæ, & non pauci Thomistę, præsertim Suarez *lib.* 6. *per tria priora capita, Vazquez disp.* 229. *præcipuè à c.* 6. *& Becanus tract. de Angelis cap.* 3. *q.* 2. *&.* 3. Quia tamen nonnulla ex his, quæ de Angelorum statibus & morulis quasi rudi Minerva statuimus, contentiosam apud auctores habent disputationem, ad pleniorem intelligentiam moralarū Angelorū aliquantulum in illorum examine immorabimur.

DVBIVM VI.

18 PEtes sextò, an Angeli acceperint gloriam in primo instanti suæ creationis? Respōdetur negative. Quia obstat diversitas statuum; vt constat ex dictis *à num.* 7. Secundò, quia ex opposito non benè percipitur, quomodò fuerint viatores Tertiò, quia mali numquam habuerunt gloriam: aliàs illam nō amisissent. est enim perpetua & inamissibilis saltem ex dispositione divina. (vt suppono ex tract. Beatitudinis) Ita sentiunt communissimè.

19 Sed Ludovicus Vives *in Scholijs ad D. Augustinum lib.* 11. *de Civitate Dei c.* 9. existimat, in primo instante bonos Angelos fuisse Beatos: & obijcit in primis om-

omnia illa testimonia Aug. quæ adduximus, & solvimus *diff.* 1. à *num.* 15. Deinde arguit sic: totum negocium sanctorum Angelorum potuit consumari in vnico instanti temporis: ergo frustra ponuntur plures morulæ nostro tempori successivo, aut eius instantibus correspondentes. Antecedens probatur, quia in vnico instanti reali temporis possunt distingui plura instantia, seu prioritates, & posterioritates naturæ, pro quibus possunt assignari diversæ operationes; immo & illarum effectus, seu præmium: effectus enim, & causa simul tempore, aut instāti valent coexistere: vt patet in sole, & luce ab eo producta; in igne, & suo calore; &c. Respondetur distinguendo antecedens: absolutè, concedo: congruenter, nego.

20 Itaque absolutè loquendo nulla est implicatio in hoc, quòd in primo instanti reali tēporis Angelus crearetur, infunderetur ei gratia sanctificās mereretur gloriam, & illam reciperet. Et hoc convincit probatio antecedentis. Tamen sic evenisse in præsenti materia non congruit: congruū quippè est, quòd aliquantulum duret status viæ Angelorum: vt malis concederetur opportunior pœnitendi occasio; & bonis merendi per perseverantiam in bonis operibus accretio. Insuper, & vt sic perfectiùs operaretur Angelus totum suum conatum applicando circa idem, quàm simul circa diversa obiecta: vt *num.* 14. expēdebamus. Et ideò etsi Scotistæ (quibus subscribunt multi alij) nullā repugnātiam inveniamus in hoc, quòd meritum gloriæ, & ipsa gloria sint simul tempore, aut instante; aut quòd in statu beatitudinis reperiatur meritum; affirmamus tamen, meritum, & beatitudinem in homine aut Angelo non posse simul reperiri de lege ordinaria; (Christo D. excepto, dum erat in statu viatoris) quidquid sit de potentia absoluta.

21 Sed hùc aliqualiter spectat solutio aliquarum auctoritatū, quibus suaderi videtur, Angelos malos gloriam fuisse adeptos sivè in primo instanti, sivè in alijs, aut tempore viæ. Quare antequam ad alia progrediamur, expedit, vt à solutione istarum auctoritatum nos expediamus. Et ideo sit.

DVBIVM VII.

22 PEtes septimò, an mali Angeli gloriam fuerint aliquando consecuti? Respondetur negativè. Quia gloria est inamissibilis: (saltem de lege ordinaria) ergo si Angeli mali illam fuissent aliquādo assecuti, numquam ab illa cecidissent.

23 Sed contra, quòd *Ezechielis* 28. de Lucifero dicitur, quòd fuerit *in delicijs paradisi*, & ambulaverit

verit *in medio lapidum ignitorum: sed per delicias paradisi* intelliguntur gaudia beatitudinis;& per *lapides ignitos* Angeli Beati, qui fervent charitate:ergo Lucifer ante lapsum fuit verè beatus: & à simili alij Angeli mali; immo & à fortiori:reliqui enim alij ceciderũt inducti exemplo Luciferi. Respondetur negando minorem: vt enim benè notant multi,præcipuè Becanus *cap.3.q.1.num.5. per delitias pararadisi* intelliguntur eximia illa dona naturæ, & gratiæ,quibus prçditus fuit Lucifer ante lapsum: & per *lapides ignitos* intelliguntur sancti Angeli viatores, qui charitate erga Deum erant inflammati.

24 Obijcitur secundò D. Augustinus *lib. de Correct. & gratia cap.10.* expressè docens, Angelos malos ante lapsum fuisse Beatos. Respondetur,non loqui de perfecta beatitudine,quæ cõsistit in clara Dei visione & fruitione, sed de felici statu,in quo creati sunt Angeli. Quo pacto primi parentes etiã fuerunt Beati iuxta Augustinum. Et hanc esse Augustini mentem, constat tùm ex loco citato, vbi expressè dicit, aliquid fore addendum eorum Beatitudini, si in veritate stetissent. Tùm etiam ex 11. *de Civitat. capit.* 18. vbi dicit, malos Angelos, antequàm caderent, non habuisse perfectam,sed aliqualem beatitudinem.

25 Obijcitur tertiò auctoritas Divi Bernardi *sermone* 17. *in Cantic.*:vbi dicit,malos Angelos ante lapsum vidisse futura in verbo, seu in essentia divina: ergo ante lapsum habuerunt visionem Beatam: & consequenter fruitionem., quç ad claram Dei visionem sequitur; & in qua nos Scotistæ constituimus formalem Beatitudinem. Respondetur cum Becano *ibi num.* 4. quòd Divus Bernardus non asserẽdo,sed potiùs procedit inquirendo. Respondetur secundò cum eodem, per cognitionem in verbo non intelligi visionem Beatam,sed quamcumque revelationem, aut aliud genus cognitionis factæ à Deo movente ad cognitionem aliquam. Quod autem Angelus cognoverit (etiam dum erat in statu viæ) creaturas non solùm in se ipsis, sed etiam in verbo, probabamus *cap.* 4. *diff.* 2. *à num.*32.

DVBIVM VIII.

26 PEtes octavò,an Angeli boni in secundo instanti cõsecuti fuerint gloriam? Respondetur negativè. Quia tùnc erat status operandi meritoriè,aut demeritoriè ergo erat status viç,& non termini. Antecedens autem suppono ex dictis *n.*9.Hanc conclusionem defendimus Scotistç *cum Doctore hîc n.*

17.

17. *citatis. Item D. Th. 1. p. q. 64. ar. 6. Gab. & Greg. quos citat, & sequitur Suar. lib. 6. c. 1. num. 6.* dicens, frequentiùs sic sentire Thomistas, præcipuè *Capreolum, & Ferraram.* Ita etiam sentiunt multi alij pręcipuè Becanus *c. 3. quæstion 2. n. 4.*

27 Sed oppositum tenuit D. *Th.* tenētque *D. Bonav. Richardus, Marsilius, Mairon, Albertus, & Caietanus*, quod & probabile reputant *Argentina, & Maior citati à Suar. ibi n. 2.* Est autem aliquod dissidium inter authores huius sententiæ. Ferrara enim, Marsilius, &c. dicunt, Angelos in secundo instāti nihil meruisse, sed tantùm accepisse gloriam, quam in primo instanti meruerant. Aliqui autem cum Caiet. dicunt: Angelos in primo instanti inchoasse meritum; & in secūdo consummasse, simulque accepisse groriam. Sed, quidquid sit de hoc discrimine, conspirant hi autores contra nostrā conclusionem in hoc, quòd Angeli boni adepti sunt gloriam in secundo instanti. Et obijciunt: nullū fuit impedimētum, quo minùs Angeli in secūdo instanti acciperent gloriā: ergo verisimile est, illam tunc recepisse Resp distinguendo antecedens: absolutè, concedo: congruenter, nego: & ideò negatur cōsequentia. Itaque nulla est physica, metaphysica, aut logica repugnantia in hoc, quòd in secundo instāti Angeli receperint gloriā promeritā in illo instanti, aut in antecedenti: hoc tamē nō cōgruebat: vt *n. 20.* dicebamus.

28 Obijciunt secundò: in eodē instante sunt conversio peccatoris in Deum per contritionē, & infusio gratię sanctificātis: ergo in secunda morula Angeli boni fuit meritum, & beatitudo. Patet consequentia: quia cōtritio meritoriè causat gratiam: sicut opera meritoria ab Angelo elicita in secundo aut quocumque alio instante causant beatudinem. Respōdetur quòd propter hoc argumētum deberêt auctores huius sententiæ affirmare, quòd in primo instāte suæ creationis Angeli boni adepti sunt gloriā: vt dixit Ludovicus Vives *n. 19.* citat⁹. Igitur negāda est cōsequentia, seu paritas propter diversas dispositiones, quæ nobis ex scriptura, & Patribus, atq; Doctoribus innotescūt. Itaque disposuit Deus viatori cōferre gratiam in eodē instāte, in quo cōteritur. Quam dispositionem divinam colligunt Patres, & Doctores ex illo *Ezechielis 18. num. 21. si impius egerit pœnitentiam &c. vita vivet, & non morietur*: & ibidem *num. 13. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor novū, & spiritū novū. Et quare moriemini domus Israel?* Quod pręcipuè docet Trid. *ses. 14. c. 4.* à verbis illis: *docet præterea.* Collationem autē glorię propter opera meritoria distulit Deus vsque ad primū instās post mortem. Quod vno ore fatētur

Patres, & Doctores: adduntque hanc divinam dispositionē providentissimam fuisse; vt sic in bonis operibus perseverando iustus altiorē gloriæ quotidie coronam mereretur.

29 Hanc ergo dispositionum diversitatem, quam in hominibus viatoribus reperimus, transferimus ad Angelos viatores: dicimusque, ex diversis dispositionibus divinis provenire, quòd neque in primo creationis Angeli instante, neque in secundo ei contulerit Deus gloriam; etsi nulla naturalis repugnantia reperiatur in hoc, quòd simul tempore, aut instante sint causa, & effectus, seu meritum, & gloria. Congruentiæ autem huius dispositionis fuerunt, vt maius foret Angelorū præmium; necnō & vt perfectiùs operaretur vni obiecto, & non multis simul attēdendo, vt notabamus *num.* 14. *&* 20.

30 Hinc constat, explicatione indigere id, quod alij prędicto argumento respondent: dicunt itaque, meritū, & gloriam non posse esse simul, quia habēt oppositas conditiones: meritum enim connotat, merentem esse in statu viæ; illum autē, qui fruitur gloria, esse extra statum vię, & pervenisse iam ad terminum, & patriam. Igitur verum est, quod meritum, & beatitudo habent conditiones repugnantes: oppositio autem illis provenit non ex natura rei, sed ex divina dispositione. Disposuit enim Deus quòd status merendi, & status glorię non compatiantur, (regulariter: secus enim contigit in Christo Domino viatore) cùm tamen nullam naturalem oppositionē habeāt. Sicut neq; illā habēt macula peccati mortalis, & gratia sanctificās (secundùm nos Scotistas) & tamen propter divinā dispositionē naturaliter, seu de lege ordinaria opponuntur.

40 Obijciunt tertiò, peccator qui cū sola attritione reciperet absolutionem sacramentalē in vltimo instanti suæ vitæ, simul mereretur, & acciperet gratiā, & gloriam; (suppono, nihil luendum in purgatorio habere) ergo ita data fuit in secundo Angelorum instanti gloria cū merito. Respondetur negando antecedens: gloriā enim reciperet post vltimū instans vitę.

41 Dices, supponamus, quòd primum non esse verborum sit primum non esse vitæ illius adulti, seu instans mortis: tunc enim simul concurrerent meritū, gratia, & gloria: ergo sic contigit in Angelo viatore. Patet consequentia: si enim semel admittatur, aliquando simul cōponi meritū, & gloriā, frustra negabitur, sic contigisse in Angelo viatore. Respondetur negando antecedens: in illo enim tunc neque datur meritū, neque gratia: quia tunc iā non est viator adultus

tus ille; cùm non habeat vitam. Vnde constat, nullomodo vrgere hoc argumentum. Si enim forma sacramentalis recipitur à vivente, confert quidem gratiã & tũc sunt simul meritũ, & gratia: gloria autẽ cõferẽda est in alio tũc, quando iam subiectũ nõ vivat. Sin verò forma finiatur super subiectum mortuum, tunc non causatur gratia sacramentalis: quia ista (sicut & sacramenta ipsa) solùm confertur habenti vitam corporalem.

42 Obijcitur quartò: meritum boni Angeli non fuit interruptum: ergo fuit vnica actio continuata: ergo tantùm duravit per vnicum instans. Patet hæc vltima consequentia: quia tempus discretum, quo mensurantur actiones Angeli, componitur ex instantibus: instantia autem huius temporis non sunt indivisibilia; (sicut sunt instantia nostri temporis) sed durant toto intervallo, quo perseverat actio Angelica, quæ per illud instans mensuratur. Resp. negando vltimam consequentiã: ad probationem dico, nos Scotistas non admittere tempus discretum: vt constat ex dictis *c. 9. diff. 2. à num.* 19. Igitur meritum Angeli (actus v. g. quo dilexit Deum super omnia) cæpit in primo instãti suæ creationis, & perseveravit toto temporis nostri inetervallo, pro quo duravit secundus status, quem explicuimus *n. 9. & 13.*

DVBIVM IX.

63 PEtes nonò, quomodò cœperint, & finierint Angelorum morulæ? Dico primò: si prima duravit per temp⁹, & etiam per vltimum instans illius; secunda incœpit per tempus: quia duo instantia non sunt simul, seu immediatè vnum post aliud. Dices: Angelus malus peccavit in secunda morula: sed peccavit in instante: (quia est motus à forma in eius privationem: & aliàs subiectum est indivisibile) ergo secunda morula cœpit in instante. Respondetur negando minorem ex cuius probatione solùm infertur, quòd actio peccaminosa Angeli petebat produci in instanti: quia tamen vnum instans non est immediatè post aliud, per accidens producta fuit in tempore, non adæquatè, sed inadæquatè; & cõsequenter indivisibiliter. Sicuti, si perfectè sphericum moveretur per partem spatij, inadæquatè, & indivisibiliter, illam tãgeret. Et declaratur à simili: sicut enim, quia Deus est agens liber, potest conferre gratiam alicui immediatè post primum instans sui esse: (in quo instãti supponamus, fuisse in peccato originali) ita Angelus, quia est liber, potuit protrahere suam actionem (diligendi Deũ v. g.) vsque ad instans terminativum partis

 tem-

temporis inclusivè; & posteà in parte temporis, quæ immediatè sequitur ad illud terminativum, incipere alium statum.

44 Dico secundò: si prima morula duravit per tempus, non tamen per vltimum illius instās, secunda morula, seu status Angeli incœpit in instanti. Quia actio meritoria Angeli (amor v. g. Dei super omnia) fuit continua, seu continuò duravit à primo instanti vsque ad vltimum status merendi: ergo debuit incipere immediatè post desitionem prioris morulæ, seu status: ergo, si prima morula, aut status desivit in parte temporis, secunda debuit incipere in instante terminativo illius partis.

¶ Dices: ergo Angelus in instāti peccavit. Respondetur omittendo. Omitto; (inquam) quia, etsi pro comperto habeam, potuisse sic contingere; quid tamē de facto cōtigerit; nescim⁹: quia status, seu secūda morula duravit per aliquod tēpus: (ex dictis *n.* 14.) sed nihil cogit affirmare, peccasse in primo instanti illius temporis, aut in aliqua parte illius: ergo quid de facto contigerit, nescimus.

45 Dices, nulla virtus creata potest agere in instanti: ergo Angelus non potuit peccare in instanti. Antecedens probatur argumento, quo vtitur Aristoteles 6. *Physicorum* dicens, quòd, si aliqua virtus agit in tempore, maior virtus aget in instanti: Sic ergo in proposito: si virtus aliqua creata posset agere in instanti: ergo maior virtus, seu virtus Dei aget breviùs, quàm in instanti. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, argumentum illud Aristotelis tenere, quando mensura est divisibilis; nam si sit indivisibilis, etiam virtus infinita non poterit breviùs agere.

46 Dico tertiò: si prima morula solùm duravit per vnicum instans, (vt aliquibus placet: de quo Scotus nihil determinat, sed problematicus est: vt constat *ex* 2. *d.* 5. *quæst.* 1. §. *De secundo articulo versic.* *Sed quibus*, verbis illis: *mora prima potest poni coexitisse instanti nostro, vel parti temporis nostri*) vel per aliquod tempus includendo etiam instans terminativum illius, secunda morula seu status cœpit in parte temporis, quę fuit immediata ad illud instans. Quia illæ Angelorum morulæ seu status fuerunt continui: ergò secundus debuit immediatè incipere post desitionē prioris: *vt num.* 44. expendebamus.

47 Ex quibus patet, quomodò desierit secundus status, seu morula Angelorum; & quomodò cœperit tertia, vel quarta morula, aut quartus status in sententia, quę quatuor admittat. De quo Scotus est problematicus: vt patet *ex* 2. *d.* 5. *q.* 1. §. *Ad*

inquirendam versic. Et *ista vltima de quatuor moris* (prosequitur Scotus) *salvat plures status in eis & plures affirmativas auctoritates. Quæ pluralitas si non placeat; quia non habet necessitatem evidentem; saltem ad minus tres istas moras prius assignatas probabile est ponere.* Idem docet *in Report. in 2. d. 4. q. 3. §. De tertio à versic.* Et *de prima mora.*

48 Supersedeo autem à lite inter aliquos Scotistas exorta inquirêtes, quęnã ex his sententijs sit in Scoto magis probabilis? semel enim statuto, quòd vtraque sit illi probabilis, parum refert, huic, aut illi adhærere, præsertim in re, quę cum alijs Scoti doctrinis non connectitur. Et quamvis de hac re non sim disputaturus, fateor tamen, in Scoto me non invenire argumentum aliquod convincens, ipsum in vnam magis, quàm in alteram inclinasse: quamvis Pilosus *disp. 20. art. 8. num. 3.* dicat, Scotum magis probabile iudicasse tres tã tùm morulas totales circa viam Angelorum esse distinguendas. Immo addo, mihi magis placere sententiam, quæ quatuor assignat: quia *salvat plures status & plures affirmativas auctoritates*: vt dicebat Scotus nuper citatus.

CAPVT XIII.

De peccato Angelorum, necnon & de illius pœna.

EGimus de Bonorum Angelorum gloria, & merito, quo illam fuerunt assecuti. Succedit de malorum peccato, atque de pœna per illud promerita desputare.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad Angelorum peccatum.

1 CErtum est, aliquos Angelos peccasse. Quia *in Angelis suis reperit pravitatem. Iob. 4. num. 18.* Hos Angelos vocant *malos Angelos*, hoc est, malitia peccati infectos: *diabolos*, hoc est, criminatores, seu calumniatores: *dæmones*, seu *dæmonia*, hoc est, sapientes ad fallendum: etsi enim vox Græca *dæmon*, aut *dæmonium* significet sapientem absolutè; tamen apud Patres, & Scholasticos sumitur in malam partem, nempè pro sapiente, seu callido ad fallendum homines.

Item malus Angelus dicitur *Satan*, seu *Satanas*; hoc est, contrarius, seu adversarius. Et demum varijs nominibus malus Angelus vocatur passim à Scriptura, Patribus, & Scholasticis. Qubus suppositis, de malorum Angelorũ, Atque de illorum peccato multa examinantur.

DVBIVM I.

2 PEtes primò, ex qua Hierarchia, & ex quo ordine fuerint Angeli, qui peccaverunt? Respondetur, ex omnibus, & singulis Hierarchijs, & choris, seu ordinibus aliquos peccasse. (*cap. 2. diff. 3. à num.* 4. constat, tres esse Hierarchias, & novem Angelorum ordines) Quia Scriptura dœmonibus attribuit nomina diversorum ordinum, & Hierarchiarum: etenim *ad Ephes. 6. numero* 12. eos vocat *Principatus*, & *Potestates*. Insuper Luciferum vobat *Cherub Ezech.* 28. *n.* 14. Cùm ergo *Principatus* spectent ad primam Hierarchiam; *Potestates* ad secundam, & *Cherub* ad tertiam & supremam: vt suppono *ex c. 3. diff. 3. num.* 14. fit plane, ex omnibus & sigulis Hierarchijs aliquos peccasse, seu cecidisse. Difficilius est probare, quod ex singulis ordinibus aliqui ceciderunt, quia Scriptura diabolo non tribuit nomina singulorum ordinum. Tamen sufficiat nobis, quod Patres passim affirmant, homines assumi ad omnes Angelorum ordines, & in omnibus ruinas illorum restaurari. Hanc conclusionem defendunt communiter Scholastici cum Magistro in 2. *distintion* 6.

3 Sed obijcies; quòd Leo 8. dixit, cecidisse decimum Angelorum ordinem: & Magister sententiarum *in 2. d. 9. lit. G* dicit: *Notandum etiam, quod decimus ordo legitur de hominibus restaurandus*: ergo omnes Angeli, qui ceciderunt fuerunt vnius ordinis, nempè decimi. Resp. istas locutiones non esse admittendas. Respond. secundò cum Magistro, has locutiones pie esse interpretandas, nempè tantùm esse novem Angelorum choros, seu ordines: dicitur tamen dari decimum; eoquòd possumus considerare novum alium ordinem quasi componi ex omnibus illis spiritibus, qui ex omnibus, & singulis ordinibus ceciderũt: quia omnes per peccatum fuerunt æquales quãtum ad interitum. Et hunc quasi novum ordinem, qui est quasi decimus, dicũt prędictę auctoritates esse ab hominibus reparãdũ.

4 Obijcies secundò: in scripturis nõ attribuuntur dœmonibus nomina *Seraphin*, & *Thronus*: ergo nulli ex his ordinibus ceciderunt. Resp. negando cõsequẽtiã: nomina enim *Seraphin*, & *Thronorũ* sũpta sunt ab ordine charitatis, & ab inhabitante Deo, seu ab in-

inhabitatione Dei: ac proinde non tribuuntur dœmonibus; in quibus nec charitas est, nec Deus habitat. Nomina autem *Cherub principatus & potestates* sumpta sunt à scientiæ plenitudine, & potentia, quibus alijs antecellunt, & quas per peccatum non amiserunt.

DVBIVM II.

5 PEtes secundò, quantus fuerit numerus Angelorum, qui ceciderunt? Respondetur, esse ingentem. Quia *Apocalipsis* 12. *à num.* 3. dicitur, quòd *draco trahebat tertiam partem stellarũ cœli*: quod de peccato Luciferi secum trahentis tertiam partem Angelorum intelligunt multi; etsi hoc non sit omninò certum. Nullo autem modo potest certò sciri, quantus fuerit numerus Angelorum, qui ceciderũt. Quia neque constat, quantus fuerit numerus eorum, qui fuerũt creati; neque quot illorum ceciderunt. Nam ille locus Apocal. paulo ante memoratus non ab omnibus intelligitur de primo casu diaboli; sed de seductione, qua seduxit multos viros perfectos Ecclesiæ, qui in ea, tamquã stellæ firmamenti sanctitate, & virtute fulgebant. De quo præcipuè videatur Vazq. *disp.* 225. *c*2. *n.* 5. *& disp.* 228. *cap.* 2. *num.* 5.

***

DVBIVM III.

6 PEtes tertiò, an Angeli, qui ceciderunt fuerint inducti à Lucifero? Respondetur affirmativè cum nostris *D. Bonaven. Alensi & Richardo.* Item cum *D. Th. Caiet. Durando, & alijs, quos citat & sequitur Suar. lib.* 7. *c.* 17. *n.* 15. Pro qua sententia *ibi n.* 16. *&* 17. *citat D. Greg. Amb. Aug. Hieronymum, Bernard. Chrysostomum* & alios Patres tàm Latinos, quàm Græcos. Sufficiat nobis Hieronym⁹, qui *ad cap.* 14. *Isaiæ* super illa verba; *Tu terram perdidisti* cũ Lucifero sic alloquitur: *os, quos tibi Deus in correctionem dederat, tu penitus perdidisti.* Itaque præcipuè defenditur hæc sentẽtia propter Patrum auctoritatem. Non enim est aliqua ratio omninò cogens; immo neq; auctoritas aliqua Scripturę, quę hanc sententiam penitus persuadeat, nisi aliàs Patrum auctoritate adiũvetur.

7 Mens etiam Scoti circa hanc nostram conclusionem nõ parum videtur colligi *ex* 2. *d.* 5. *q.* 2. *versic. De tertio articulo à versic. Tertia mora*, quatenus affirmat, quòd *peccatum malorum Angelorum fuit incentivum tentationis in boni*: ergo existimat, quòd peccaverũt mali inducti à primo Angelo; sicut peccassent boni, si consensissent malis. Efficaciùs videtur colligi nostra conclusio ex Scoto *in* 3. *d.* 20. quatenus in prin-

cipio illi⁹ quæstionis adducit sententiam affirmantium, hominẽ debuisse redimi per passionem Christi Domini; non autem Angelum; eo quòd homo peccavit inductus tentatione alterius; Angelus autem non, sed solùm propria voluntate. Quam rationem ipse Scotus impugnat ex illo *Apocalipsis* 12. *Factum est prælium magnum in cælo, &c.* vnde concludit Doctor, *quòd sicut draco pugnavit cũ Michaele: sic eum tentavit.* Et vrgentiùs addit Scotus ad nostrum intentum. *Præterea videtur, quòd draco, id est, Lucifer peccando tentavit alios sibi consentientes.*

8 Vazquez *disp.* 228. *cap.* 2. *à num.* 3. duo affirmat. Primum est, possibile fuisse, Angelos inferiores peccare aliquo modo inductos à superiori. Secundò affirmat, nihil certum in hac re posse definiri *Guilliermus verò Parisiensis, & noster Alphonsus de Castro* relati ab eodem Vazquez *ibi cap.* 1. *num.* 1. affirmant, nullum Angelum inferiorem inductum fuisse à supremo; sed vnumquemque sine alterius suasione, aut occasione ex se ipso peccasse. In quam sententiam aliqui vocant *nostrum Alensem, & Altisiodorensem apud eumdem Vazquez*: eo quòd solùm dixerint, potuisse peccatum Angelorum esse per imitationem. Argumenta autem, quæ ex his Authoribus contra nostram conclusionẽ adducuntur, commodiùs expendam, & solvemus *à n.* 11.

DVBIVM IV.

9 Petes quartò, an Lucifer alios Angelos induxerit non solùm exemplo, sed etiam persuasione? Respondetur affirmativè. Quia peccatum Luciferi fuit in actu voluntatis interiùs consumatum: ergo non potuit ab alijs de facto cognosci, nisi ipsemet illud alijs manifestaret per locutionem: sed non loquut⁹ fuit speculativè tãtũ: ergo practicè, nẽpè ostẽdendo alijs rationes, quæ ipsum movebãt, vt ipsos moveret ad sequẽdũ suam determinationem: vt colligitur ex illis Michaelis verbis: *Quis sicut Deus*; quæ verba sunt responsio ad Luciferi persuasionem. Hanc sententiam defendunt *D. Th. & discipuli eius*: *item Altisiod. & Maior, quos citat & sequitur Suarez lib.* 7. *cap.* 17. *num.* 23. vbi pro hac sententia adducit *Ambros. Chrysost. Nazianz. Cæsariũ, & Originem.*

10 Sed oppositum defendunt nostri *Divus Bonaventura, Alensis & Ricardus*; *item Albertus, Durandus Ægidius & Argentinas citati à Suarez ibi num.* 21. cui sententiæ favent *D. Greg. August. & Bern.* teste eodem Suar. *ibi num.* 22. Et obijciun, quòd sufficienter salvatur

vatur inductio ostendendo alijs suum peccatum, & illos suo exemplo, sine alia persuasione movendo: ergo sine fundamento ponitur alia persuasio. Antecedens constat in peccato scandali: quoties enim corã alijs cõmittitur furtũ v.g. comitto, præter peccatum furti, peccatum scandali; eoquòd ipsummet factum, seu peccatum coram alijs factum est moralis inductio, seu persuasio respectu aliorum. Respondetur concedendo antecedens propter eius probationem; & negando consequentiam. Cũ enim Lucifer maximè optaret, socios, & sectatores sui propositi habere, cum manifestatione sui consilij adiunxit manifestationem rationum, quæ ipsum movebant, vt alios non solùm exẽplo, sed etiam persuasionibus efficaciùs induceret. Quod non leviter insinuant verba illa *Ezechielis 28. in multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate.*

11 Nunc iam commodiùs respondebimus argumentis factis ab auctoribus *num.* 8. relatis contra sententiam, quæ affirmat, alios Angelos à Lucifero fuisse inductos ad peccandum: quam sententiam *num. 6.* propugnavimus. Igitur obijciunt prædicti auctores, nullum pro hac persuasione dari fundamentum. Respondetur, sufficere multos Patres dicentes, alios Angelos à Lucifero fuisse inductos. De quo *num. 6.*

12 Obijciunt secundò: peccatum Luciferi fuit inordinatus amor sui ipsius, & velle beatitudinem supernaturalem inordinatè: sed hoc non potuit alijs persuadere, nisi eos decipiendo; quòd est impossibile: ergo illis non persuasit. Respondetur negando minorem: nulla enim facta deceptione, potuit primus Angel⁹ persuadere alijs, vt prę̃ferrẽt amorẽ sui ipsorũ, amori Dei; aut vt præferrent volitionẽ propriæ beatitudinis voluntati divinæ, qua Deus ordinatissimè, & iustissimè vult, quòd omnis creatura sibi se subijciat, & velit poti⁹ adimpletionẽ divinæ volũtatis, quàm propriæ, sivè circa consecutionem propriæ beatitudinis; sivè circa quodcumque aliud obiectum. Sicut ergo contingit in homine, qui peccat ex malitia, vt sine prævia aliqua ignorantia, aut errore intellectus, peccet præferendo propriam voluntatem voluntati Dei: (in qua inordinata prælatione consistit omne peccatum; & ædificatur civitas diaboli vsque ad cõtẽptũ Dei) ita cõtigit in primo Angelo, qui prę̃ferendo propriam voluntatẽ divinæ peccavit, ædificavitque civitatẽ diaboli amãdo propriã volũtatẽ vsque ad cõtẽptũ Dei; sivè ista Angeli voluntas

terminaretur ad propriã beatitudinẽ, sivè ad vnionẽ hypostaticã, sivè ad quodcumque aliud obiectum. Potuitque Lucifer sine aliqua deceptione proponere alijs Angelis hanc suam prælationem propriæ voluntatis; necnon & rationes, propter quas propriã voluntatem prætulit divinæ, eo animo & intentione, vt ipsi idẽ facerent: & sic eos sui socios, & sectatores haberet.

13 Obijciunt tertiò: omnes Angeli simul tempore cum Lucifero peccaverunt: ergo non fuerunt ab eo inducti. Respondetur (omisso antecedenti) negando consequentiam: nam ad suasionem sufficiebat, quòd in prioritate naturæ Lucifer peccasset. Sicut in eodem instanti reali obiectum, & apprehenditur ab intellectu, & amatur à volũtate mota ab intellectu proponẽte obiectum, & ad illius amorem suadente. Omisi autem antecedẽs; quia de illo extat inter Auctores difficultas dubio sequenti decidenda.

DVBIVM V.

14 PEtes quintò, an omnes Angeli simul tempore peccaverint? Respondetur negativè. Quia sic philosophando faciliùs percipitur, quomodò Lucifer, postquàm peccaverit, incitaverit alios ad peccandum. Itaque Lucifert priùs tempore peccavit; & postea suasit reliquis omnibus tàm bonis, quàm malis ad simile peccatũ; cuius suasionibus consentientes aliqui peccaverunt; alij autem resistentes maximum præmium meruerunt. De qua persuasione draconis, & Michaelis & aliorum bonorum Angelorum resistentia accipitur illud *Apoc. 12. Factum est prælium magnum in cælo.*

15 Nostram conclusionem defendit D. Bonav. *in 2. d. 5. art. 2. q. 2.* & eam satis insinuat Scotus *in 2. d. 5. q. 2. § De tertio versic. Tertia mora*, quatenus affirmat, quòd *probabile est etiam, quòd in secunda mora, in qua fuerunt* (Angeli boni & mali) *difformes in via, fuerunt multæ morulæ: quia mali peccaverunt multis speciebus peccati, scilicet superbia, odio, & invidia; & isti actus ordinatè & non in eodem instanti fuerunt eliciti.* Expendo ergo, quòd existimat Scotus, morulam viæ tàm bonorum, quàm malorum esse divisibilem in multas morulas, seu instãtia temporis: & præterea, quòd etiã existimet, quòd libet diversum peccatum malorum elicitum fuisse in diverso instanti temporis: ergo satis innuit, quòd peccatum primi Angeli priùs tempore fuit patratum, & postea in alijs instãtibus vel in alio instanti reali fuerunt patrata peccata aliorũ: alioquì non affirmasset, morulam illam viæ esse divisibilem in diversa instantia temporis; & consequenter in diversas partes temporis,

ris, quæ mediant inter prædicta instantia. Eamdem doctrinam tradit Scotus *in 2. dist. 2. §. Contra vers. Præterea sicut*, expressè affirmans, *quòd malus Angelus habuit tēpus viæ ita, quòd non tantùm per instans fuit viator, &c.* Nec aliquid refert, quòd *in distinctione illa 5.* dixerit Scotus, quòd *probabile est etiā, &c.* Vnde alicui fortè videbitur, hoc Scotum non absolutè docere. Tamen hoc non obstat; quia *in dist. 7.* verbis citatis absolute id docet. Quare nos *cap. 12. diff. 3. num. 13.* dicebamus, quòd secundus status, seu status perseverantiæ bonorum, & prævaricationis malorū non fuit instantaneus, sed duravit per aliquod tempus.

16 Sed oppositum defendūt D. Thom. *Alens. Altisid. & Ægid. & Dur. quos citant, & sequuntur Suarez lib. 7. cap. 18. num. 19. & Vazq. disp. 238. capit. 3. num. 8.* Itaque affirmant, omnes Angelos inferiores simul tàm inter se, quàm cū Lucifero peccasse, quamvìs peccatū Luciferi priùs natura præcesserit. Et obijciunt, quòd ad persuadendum, sivè per exemplum, sivè per ostensionem rationum sufficit prioritas naturæ: ergo frustra ponitur, inter peccatum Luciferi, & aliorum præcessisse aliquod instans reale temporis. Antecedēs patet: quia persuasio est causa moralis consensus: ergo sufficit prioritas naturæ ad causandum: sicut sufficit in alijs causis. Prætereà id suadet instantia intellectus proponentis obiectum, & ad illius amorem trahentis voluntatem. Quod totum fit in eodem instāte reali temporis. Respondetur negando consequentiam: etsi enim nulla naturali necessitate cogamur ad ponendum morulam viæ Angelorum divisibilem: extat tamen grandis congruentia: vt sic malis detur maior occasio pœnitendi; & bonis merēdi excellentiora præmia: vt dicebamus *cap. 12. diff. 3. n. 14. & n. 20.* Recolantur ibidem dicta.

17 Obijciunt secundò: immediatè post instans, in quo peccavit Lucifer, fuit priuatus gratia sanctificante, & charitate: ergo, quando alijs persuadebat ad simile peccatum perpetrandum cognoscebant alij viribus naturæ illam carentiam, & fortè certissimè cognoscebant, in pœnā peccati fuisse gratiam Lucifero ablatam: ergo alij videntes tantum Luciferi detrimentum terrerentur; ne illi consentirent: ergo dicendum est, quòd non in diverso tempore, aut instanti; sed in eodem, in quo ipse Lucifer peccavit, & nondum amiserat gratiam, & charitatem, persuasit alijs ad peccandum; & quòd alij tunc simul peccaverunt. Respondetur negando vltimam cōsequentiam: quamvis enim motivum illud valde retrahebat alios Angelos, ne Lucifero

cifero consentirent: tamen ita allecti erant nimia æstimatione propriæ naturalis perfectionis, vt illi adhæserint, consenserintque Luciferi suasionibus. Cuius simile in hominibus meserabiliter experimur passim: constat enim nobis firmissima fidei assertione, de qua minimè hæsitamus, per peccatum mortale incurri priuationem gratiæ sanctificantis; amitti ius ad gloriam; incidi in iram Dei; & damnationem æternam; si mors tunc cōtingat; prudenterque iudicamus propter diversa historiarum exempla, & alias persuasiones, multis in tàm misero statu mortem contigisse; posseque nobis contingere, non dubitamus: & tamen sæpè mortalia committimus.

18 Vnde constat, quare *num.* 13. omiserimus antecedens illud: *omnes Angeli simul tempore cum Lucifero peccaverunt*. Non enim illud omisimus, quia existimemus, illud verum esse: sed quia sub opinione est positum; (immo aliqui Scotistæ existimant, probabiliter posse in sententia Scoti defendi) & aliàs ad solvendum, quod ibi intendebatur, illud negare, non est necessarium.

DVBIVM VI.

19 PEtes sextò, ad quæ peccata Angeli fuerint à Lucifero inducti? Respond. quod ad omnia peccata, quæ ipse Lucifer commisit. Quia in omnibus criminibus suis voluit habere socios, & sectatores. Colligitur ex Scoto *num.* 15. *citato*, quatenus *distinct.* 7. affirmat, quòd dæmones plura peccata specificè distincta commiserant. Cùm enim Luciferi malitia sit maior malitia cœterorum, dicendum est, nullum peccatum ab aliquo cœterorum fuisse commissum, ad quod ipse Lucifer non excitaverit.

20 Est tamen notandum, primum peccatum inferiorum Angelorum, ad quod Lucifer induxit, fuisse inordinatam sui amicitiam: (quam Scotus vocat spiritualem luxuriam formaliter, & superbiam virtualiter) vnde originem duxerunt reliqua peccata; nempè inordinata concupiscentia beatitudinis, hoc est, contra regulam divinæ voluntatis: item inordinata concupiscentia æqualitatis Dei; & excellentiæ supra alios: & ex his omnibus invidia, odium Dei, & similia. Quod autem primum peccatum tàm Luciferi, quàm cœterorum fuerit inordinata amicitia sui, probatur ex Aug. 14. *de Civit. cap. vltim.* dicente, quòd *duo amores fecerunt sibi duas civitates: amor sui ciuitatem diaboli vsque Dei cōtemptum; amor Dei civitatem eiusdem vsque ad contemptum sui.* Vnde constat, quòd sicut in bono Angelo radix totius meriti est amor Dei, in

In malis Angelis (& hominibus) radix totius demeriti, seu peccati est inordinata amicitia, seu amor sui germinans vsque ad contemptum Dei: propter hunc enim amorem nostri frangimus legem Dei, seu eligimus, nostrã potiùs voluntatem implere, quã divina mandata facere.

21 Sed contra conclusionem obijcies: non est credibile, Luciferum suggessisse alijs, vt sibi potiùs, quàm Deo se submitterét, tamquam præsidi, & superiori: ergo aliquod peccatum fuit in Lucifero, (nēpè appetentia prę-sidentiæ super cœteros Angelos) ad quod non excitavit cœteros. Antecedens patet: nam honorabilius, est subijcere se Deo, quàm alij creaturæ, etiam si excellentissima sit. Resp. negando antecedens: quamvis enim difficile sit creditu, Luciferũ suasisse tale peccatum Angelis iustis, alijs autem, qui iam commiserant alia peccata, & odio Deũ prosequebantur, facilè persuaderet. In quo sensu intelligo D. Bonav. *in 2. dist. 5. art. 1. quæst. 2* affirmantem, Luciferum suggessisse alijs propriam excellentiam, vt eum præsidem haberent. A qua sententia non multum distant *Gab. dist. 6. q. 1. art. 3. dub. 3. & Maier quæst. 2* [illegible] & eodem modo illam intelligo. Itaque nō est incredibile, Luciferum persuasisse malis Angelis, vt sibi potiùs quã Deo se subijcerent: quãvis aliàs sit incredibile, bonis hoc proponere ausum fuisse. Cuius simile in hominibus passim contingit: perditis enim, & sceleratis hominibus ingentissima crimina suadet, quę iustis, & timoratæ conscientiæ obijcere, non audet.

22 Obijcies secundò: difficile videtur, Luciferum potuisse simul in tot Angelos tot peccatorum genera operari per locutionem factam per conceptus expressionem: ergo omnes Angeli mali non fuerunt inducti à Lucifero ad tot peccatorum genera. Resp. negando antecedens: si enim sol (& quodlibet aliud agēs luminosum) in instanti producit lumen in omnibus, & singulis partibus contentis intra sphęram suę activitatis, quid mirũ, quòd Lucifer (qui naturali activitate cœteris omnibus erat excellentior, & consequenter poterat illos alloqui simul, & separatim) simul omnibus loqueretur? Sicut homo simul potest alloqui omnes, & singulos contentos intra sphæram activitatis suæ vocis.

23 Sed quoniam de Lucifero incidit sermo, quædam quæ specialiter de ipso disputantur attingemus. Immo, cum sit præcipuus omnium Angelorum, qui peccaverunt, cætera omnia, quę de Angelorum peccato restant disputanda, de ipso, aut sub nomine illius proponemus, adverten-

tentes, multa ex ab hinc dicendis, reliquis Angelis apostatis esse communia; vt in specialibus dubijs cursim notabimus.

DVBIVM VII.

24 PEtes septimò, ex qua Hierarchia, & ex quo ordine fuerit Lucifer? Respondetur, fuisse ex suprema Hierarchia, atque ex supremo ordine; immo fuisse supremum omniũ Angelorum. Quia *Iob* 40. *n.* 14. de Lucifero dicitur: *Ipse est principium viarum Domini.* Et *Ezech.* 31. *num.* 8. *cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei: abietes non adæquarunt summitatem eius*: vbi per metaphoram describitur perfectio Luciferi: quæ tanta fuit vt omnes alios spiritus superaverit. Ita D. *Thom. quæst.* 63. *art.* 7. *Richardus Ægidius Durandus, & Sanderus, quos citat, & sequitur Sua. lib.* 7. *c.* 16. *num.* 5. *Quibus adde Becanum cap.* 4. *q.* 3. *n.* 2. *nostrum Pilosum disp.* 21. *art.* 10. *num.* 5. Pro qua sententia prædictus Suar. *ibi num.* 4. *&* 5. adducit D. Greg. Hieron. *August. Bernardum Chrysost. Nazianz. Cyrill. Tertull. & Hugonem Victorinum.*

25 Sed oppositum defendũt nonnulli Patres citati â Suarez *ibi num.* 1. 2. *&* 3. qui affirmant, Luciferum nõ fuisse supremum omnium Angelorum, quos Deus creavit, sed supremum infimi ordinis tertiæ Hierarchiæ, vel forte supremum illius tertiæ Hierarchiæ. Auctor huius sententiæ censetur *D. Damasc. lib.* 2. *capit.* 4. & eam satis insinuarat *Epiphanius*: & consentire videntur *Theodoretus, Rufinus, & Andreas Cæsariensis.* Ex Scholasticis autem D. Tho. *quodlib.* 5. *art.* 7. *ad* 1. opinionem hanc, vt æquè probabilem relinquere videtur: *in q. autem* 63. *art.* 7. solùm dicit, non esse contra fidem. Durand. *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. idem ferè dicit. Suarez demum sententiam hanc celebrem appellat: sic enim loquitur. *In hoc puncto sunt duæ celebres sententiæ.*

26 Igitur contra nostrã conclusionem obijcies: supremus Angelorum peccavit: Ergo meritò infernus gloriari potest, quòd contineat in se supremam creaturam. Respondetur negando consequentiam: vt enim benè vidit Becanus *ibi num.* 4. potiùs debet confundi, quòd contineat ingratissimam, & nequissimam creaturarum Dei. ¶ Obijcies secundò, quòd videtur minùs cõveniẽs, Deum permisisse peccatum in suprema omnium creaturarum. Respondetur, potiùs hoc apparere conveniens, vt inde apertiùs constet, quamcumque creaturam egere gratia Dei.

27 Obijcies tertiò, quòd Lucifer vocatur *Cherub Ezech.* 18. *n.* 14. ergo fuit ex ordine Cherubin: sed super hunc ordinem est ordo Seraphin: ergo Lucifer neque fuit ex ordine supremo, neque supremus illius ordinis. Respon-

pondetur negando consequentias. Fuit enim non solùm ex ordine Seraphico, sed etiam supremus illius ordinis. Ratio autem, quare retinuerit nomen *Cherub*, non vero *Seraph*, est, quòd peccādo amisit charitatem, cuius ardorem significat nomen *Seraph*; non autem amisit plenitudinem scientiæ, qua omnes alios antecellit; & quam nomen *Cherub* significat. Et ideò rectè vocatur *Cherub*, non autem Seraph. Recolantur dicta *n*. 4.

DVBIVM. VIII.

28 PEtes octavò, an Lucifer ita fuerit inter omnes spiritus supremus, vt nullum habuerit æqualem sibi? Respondetur affirmativè: Quia id videntur suadere testimonia Scripturæ *num*. 23. relata. Item testimonia Patrum, quos ibi, citavimus, & quorum verba trāscribit Suarez *lib*. 7. *cap*. 16. *num*. 4. & 5. præsertim expendantur verba D. Greg. qui *lib*. 32. *Moral. cap*. 18. *alias* 24. de Lucifero dicit inter alia. *Hunc primum condidit, quia reliquis Angelis eminentiorem fecit*: expendo comparativum illud *eminentiorem*: comparativum enim non salvatur cum æqualitate alterius. Ita expressè tenet noster Pilosus *disp*. 21. *art*. 10. *n*. 5. & satis innuit Becanus *cap*. 4. *quæst*. 3. *n*. 2, quatenus affirmat, quòd Lucifer omnes alios Angelos perfectione superarit.

29 Sed Suar. *lib*. 7. *cap*. 16. *n*. 10. oppositum affirmat, nempè ad salvandum, quæ de superioritate Luciferi Scriptura, & Patres dicunt, sufficere vt dicatur, esse perfectissimum omniū Angelorum negativè; quia nullus ex Angelorum vniversitate est superior illo in naturalibus; non tamen esse positivè perfectiorē reliquis. Et obijcit Innocentium 3. *in sermone Dominicæ* 1. *Quadragesimæ* dicētem de Lucifero, quòd *prima est creatura, non quòd cunctus præcesserit, sed quam nulla præcessit*: ergo sentit quòd Lucifer in perfectione naturæ non præcessit positivè omnes alios. Respondetur negando consequentiam: loquitur enim potiùs de antiquitate, quàm de naturæ sublimitate.

30 Obijcit secundò, quòd in vna specie Angeli possunt esse plura individua eiusdem naturalis perfectionis: ergo inter Seraphin potuit esse alius æqualis perfectionis cum Lucifero. Respōdetur, ita esse: non enim dubitamus, potuisse Deum æqualē Lucifero creasse. Dicimus tamen, de facto sic non contigisse propter auctoritates Scripturæ, & Patrum *num*. 24. adductas. ¶ Instabis, quòd prædictæ auctoritates sufficienter salvarētur de superioritate negativa; & aliàs extat congruentia illa, quòd videtur

tur minùs conveniens, permisisse Deū quòd perfectissima creatura periret. Respondetur, auctoritates prædictas strictiùs salvari de superioritate positiva: cum sic propriè verba accipiantur. Adde, quòd contra illam congruentiam præponderat alia vrgentior, nempè, vt ex tali permissione apertiùs constet, quãcumque creaturam egere gratia Dei ad perseverandum, seu ad non cadendum.

DVBIVM IX.

CVncta omnia, quæ in hac difficultate restant proponenda, & resolvenda, etsi sub nomine Luciferi proponantur, & resolvantur; cōmunia tamen sunt cœteris omnibus Angelis peccatoribus. Et ideò resolutiones ad illos omnes sunt extēdendæ.

31 Petes nonò, quodnam fuerit primum peccatū Luciferi? Respondetur, fuisse inordinatum amorem respectu sui: hæc enim amicitia est, quæ fundat civitatem diaboli; estque scaturigo, & radix cuiuscumque peccati; vt dicebamus *num.* 20. Ita Scotus *in 2. dist. 6. quæst. 2. § In ista q.* vbi pulchrè explicat ordinē actuum voluntatis; & quomodò ad quodcūque nolle debet præcedere velle: *à nullo enim refugio, nisi quia non potest stare cum aliquo, quod accepio, tamquam cōveniens.* Itē declarat, quomodò velle amicitiæ debet præcedere ad velle cōcupiscentiæ: etenim quia amo Petrum v.g. concupisco illi bonum, quod tibi volo. Vnde sequitur, quòd primum peccatum Luciferi fuit aliquis actus inordinatus amicitiæ. Et prætereâ, cùm hæc amicitia non potuerit esse respectu Dei: quia tunc non esset inordinata. Nec respectu alterius: quia non est verisimile, quòd aliquid creatum amaverit plusquam se; concludit Doctor subtilis, quòd primus actus amoris inordinatus Luciferi fuit actus amicitiæ respectu sui ipsius. Idem dicendum est de alijs Angelis, qui peccaverunt.

DVBIVM X.

32 PEtes decimò, an actus amoris amicitiæ sit distinctus ab amore concupiscentię, quo Lucifer v.g. appetivit suam supernaturalem beatitudinem? Respondetur affirmativè. Quia habent diversa obiecta: amicitia enim respicit personam, cui volo aliquod conveniens: concupiscentia autem respicit bonū, quod alteri volo. Secundò, quia amicitia, & concupiscentia connotant diversas potentias, seu inclinationes eiusdem voluntatis: amicitia enim connotat inclinationem voluntatis, seu qua voluntas propendet ad sequēdum obiectum secundùm regulā rationis. (Propter hoc inclinatio

Ista vocata est affectio iustitię, sumpto nomine ab actu, aut affectu, qui elicitur secundùm hāc inclinationem: etenim hic actus est, in quo primò subiectatur iustitia moralis.) Concupiscentia autem connotat inclinationem, qua voluntas propendet in proprium commodum, aut saltem in commodum alterius. Hanc conclusionem defendunt Scotus *in 2. dist. 6. q. 2. §. In ista quæstione vers. Et circa hoc, & alibi*, Pilosus *disp. 21. art. 8 à n. 5. Fabro in 2. disp. 32. cap. 3. à num. 14. & communiter Scotistæ.*

33 Sed Vazq. *disp. 232. cap. 2. n. 7.* secutus Caietanum, & aliquos alios Thomistas affirmat, amorem amicitiæ, & concupiscentiæ esse eumdem numero actum cum duplici respectu: & consequenter, quòd amicitia, qua Lucifer se amavit indebitè, seu inordinatè, non fuit actus distinctus à concupiscentia, qua appetivit suam supernaturalem beatitudinē, aut aliquod aliud obiectū. Pro qua sententia obijcies: amor amicitię, & concupiscentię est vnicus actus cum duplici respectu: ergo primum peccatum Luciferi fuit simul amor amicitię, & concupiscentię. Probatur antecedens: frustra enim fiunt per plura, quę possunt fieri per pauciora. Sed in eodem actu voluntatis cum respectu ad personam salvatur amor amicitię; & cum respectu ad rem, quam personę volo, salvatur amor concupiscentiæ: ergo frustra multiplicantur actus ad salvandum amorem amicitiæ, & concupiscentiæ: ergo primum Luciferi peccatum nō fuit pura amicitia, sed admixtionem habuit concupiscentiæ. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quòd amor non est de genere relativorum: & sic ad eius multiplicationem non sufficit multiplicare respectus, aut relationes. Cùm ergo omnes concedant duos amores; (amicitiæ scilicet, & concupiscentiæ) debent concedere esse duos actus substantialiter distinctos.

34 Verum est, quòd hi duo actus ferè semper sunt coniuncti: nam eo ipsò quòd Petrum v. g. diligo, volo illi quodcumque obiectum, quod mihi proponitur, vt sibi conveniens: & eo ipsò quòd concupisco aliquod bonum, præsuppositivè volo aliquem, cui tale bonum desidero. Quam actuum, seu amorum coniunctionem intendit explicare Aristotel. 2. *Rethoric. cap. 4.* dicens: *amare esse velle alicui bonum*: non tamen intendit, amorem amicitiæ, & concupiscentiæ esse eumdem numero actum cum duplici illo respectu.

35 Obijcies secundò: amor ami-

amicitiæ, & amor concupiscē-tiæ sunt duó actus: Ergo amor concupiscentiæ erit medium ad consequendum amorem amicitiæ. Respondetur negando consequentiam: amor enim amicitiæ est radix, causa, seu occasio, vnde oritur amor concupiscentiæ: & per quem amorem concupiscentiæ amor amicitiæ perficitur, non in sua substātia: quia secundū totum suum esse substātiale præsupponitur ante ortum amoris concupiscentiæ; sed in suo quasi esse accidentali: qualiter ignis v.g. perficitur â calore à se producto. Vnde constat, quòd persona, quam amo amore amicitiæ, est finis *cui*: bonum autem, quod illi cupio, est finis *qui*, aut *cuius gratiâ*, si amore illius movear ad ponendum media pro illius consequutione. Sin vero bonum concupitum volo, vt consequatur personæ aliud bonū, tunc non induit rationem finis, sed medij.

36 Obijcies tertiò, quòd Scotus *in 2. dist. 6. quæst. 2. in fine* apertè dicit, quòd *si loquamur de primo velle inordinato amicitiæ non erat actus nec passio irascibilis, sed concupiscibilis*: ergo sentit, amicitiam esse concupiscentiam. Respondetur negando consequentiam. Amicitia enim propriè nec oritur a facultate concupiscibili, nec ab irascibili, sed â facultate, seu propensione, qua voluntas propendet in obiectum secundum regulam rationis: vt *n.* 32. notabamus.

37 Dices: ergo diuisio appetitus in facultatem irascibilem, & concupiscibilem non est adæquata. Respondetur concedendo: etenim est subdivisio, seu ibi solùm subdividitur inclinatio, qua voluntas (idem est de appetitu sensitivo) propendet in proprium commodum. Est enim facultas concupiscibilis, quæ sequitur commoda, & proficua: irascibilis autem, quæ expellit nociva: vt benè, & breviter dixit Tartaretus *in 2. dist. 6. quæst. 2. sub finem.*

38 Dices secundò, quare ergo Scotus verbis citatis dixit, quòd velle amicitię erat actus concupiscibilis? Respondetur, solùm voluisse declarare quamdam convenientiam repertam inter facultatem concupiscibilem, & facultatem, seu propensionem, qua voluntas propendet in obiectum secundùm regulam rationis. Conveniunt quippè in hoc, quòd vtraque elicit primos actus: sicut enim actus amicitię non supponit alium, sic actus concupiscibilis, non supponit alium circa commodū, aut proficuum, sed ipsa concupiscibilis elicit primum actum circa cōmodum. Irascibilis autem non habet talem convenientiā: cùm numquam eliciat primum actū circa obiectum proficuum, sed secundarium, nempè expulsivū

nociui, hoc est, illius, quod nocet, seu impedit alicui commodum, aut proficuum. Vnde manet, quod velle, aut actus amicitiæ non est actus facultatis concupiscibilis, aut irascibilis; sed facultatis, vel inclinationis, qua voluntas propendet in iustum.

DVBIVM XI.

39 PEtes vndecimò, an actus amicitiæ, quo se Lucifer amavit inordinatè, sit distinctum peccatum ab amore concupiscentiæ, quo inordinatè appetivit suam supernaturalē beatitudinem, aut aliud obiectum? Respondetur affirmativè. Quia fuit distinctus actus inordinatus: ergo distinctum peccatū. Quòd illa amicitia fuerit distinctus actus, constat ex dictis *à num.* 32. Quòd fuerit deordinatus ille actus, constat ex dictis *num.* 31. Vnde consequenter cōstat, hāc conclusionem esse Scoti, & Scotistarum.

40 Sed Caiet. 1. 2. *quæst.* 62. *art.* 4 *Vazq. disp.* 232. *cap.* 2. *num.* 9. *Suar. lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 14. & alij oppositum affirmant, nempe, quod, etiam admisso, actum illum amicitiæ, quo se ipsum Lucifer amavit, esse distinctum ab actu amoris concupiscentiæ, quo appetivit beatitudinem; non erit peccatum distinctum ab amore concupiscentiæ. Et obijciunt: in puro actu amicitiæ nulla potest esse malitia: ergo actus amicitiæ, quo Lucifer se ipsum amavit nequit, esse peccatum, nisi transeat in aliquē inordinatum affectum concupiscentiæ. Antecedens probatur: nam ille affectus amicitiæ (Luciferi v.g.) est circa obiectum bonū: & ideò, quòd creatura intellectualis amet se ipsam est quid honestum. Resp. negando antecedens: cuius probatio solùm suadet, amicitiam, qua se ipsum Lucifer amavit, non fuisse malam malitia derivata ab obiecto: fuit tamen mala ex parte modi attingendi se: appretiativè enim plus debuit diligere Deum, quam se: cuius contrarium fecit: & ideò illa amicitia sui pessima, & inordinatissima fuit. Quia nō solùm virtualiter, implicitè, aut interpretativè (vt cōtingit in quocūque peccato saltem mortali) sed etiā formaliter, & expressè appretiativè plus se dilexit, quàm Deū per illam amicitiā. Non quidem errando per intellectū, sed perversè operando per voluntatē. Præcognovit enim, Deum esse suum authorem, & se minori amore appretiativo, quàm Deum esse diligendum: tamen suimet ipsius perfectionis allicienti ductus liberè elegit plus appretiativè se quàm Deum diligere: & consequenter quasi virtualiter, implicitè, & interpretativè appetivit sibi esse divinum. Etenim hæc interpretativa appe-

tentia sequitur ex hoc, quòd Lucifer ita se amaverit, vt sisteret in se, tamquam in vltimo fine.

41 Dices, quòd sicut in naturalibus non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: & in credibilibus ad salvandum mysteria fidei non sunt multiplicanda credibilia sine necessitate: vt vno ore fatentur omnes Philosophi illud, & Theologi istud. Ita non sunt admittenda aliqua peccata sine necessitate. Sed nulla est necessitas admittendi, amicitiam illam Luciferi esse distinctum peccatum ab amore concupiscentiæ, quo appetivit supernaturalem beatitudinem: ergo non fuit distinctum peccatũ. Probatur minor: quia charitas expostulat, vt de proximo minùs malè sentiamus. Item quia nihil cogit, vt dicamus, illã amicitiam esse distinctum peccatum ab amore concupiscentiæ supernaturalis beatitudinis, &c. Tertiò, quia non est facile explicatu, in quo consistat illa appretiativa dilectio; seu quomodò in simplici affectu amicitiæ reperiri possit comparativa dilectio, seu quòd Lucifer plus se amaverit, quàm Deum.

42 Pro fusiori notitia secundæ probationis videamus processum repertum in quocumque peccato mortali. Proponitur, inquam, mihi obiectum malum. (verbi gratia sumere vindictam de inimico.) & tale obiectum accepto allectus inordinato amore mei; seu ex affectu, quo me amo, aut volo mihi complacere, accepto, seu volo sumere vindictam: & in tali acceptatione; aut volitione pecco: quia eligo, mihi potiùs placere; quàm adimplere voluntatem Dei. Et in hoc stat, quòd ista amicitia, seu amor sui, vnde oritur prædicta acceptatio, fundet civitatem diaboli: quia ex illo pullulat contemptus Dei, seu non facere eius mandatum, aut voluntatem: vt dicebamus *num.* 20.

43 Hinc constat, quòd amicitia, seu amor tunc solùm dicitur inordinatus, quando eo allectus eligo id, quod est contra legem Dei. Et ideò non præcedit deordinatus ad talem electionem in effectu, vel saltem in affectu. Etenim licitè complacere possum non solùm in bonis naturæ à Deo acceptis, sed etiam in quocumque alio, dummodò non sim paratus, illa, aut aliquod illorum præponere voluntati Dei, seu adimpletioni legis illius. Quare iste amor, complacentia, aut naturalis amicitia mei solùm dicitur, & est inordinata, quando accedit affectus præferendi illam voluntati divinæ, hoc est, frangendi legem Dei propter allicientiam illius amoris. Ex qua do-

doctrina generaliter admissa, infero ad propositum. Peccavit ergo Lucifer amando se inordinatè, quando ex amore sui appetivit obiectum, (quodcumque illud sit: de quo *à numero 65.*) quod debebat, non appetere. Vera ergo est doctrina illa *numeri 41.* nempè nihil cogere, vt dicamus, naturalem amicitiam, qua se Lucifer amavit, esse distinctum peccatum à concupiscentia, qua appetivit supernaturalem beatitudinem, si hanc primò appetivit: De quo à num. 65.

44 Propter dicta *à num. 41.* satis mihi arridet opinio Recentiorum affirmantium, prædictam Luciferi complacentiam sui non esse distinctum peccatum ab appetitu, quo desideravit supernaturalem beatitudinem, si hanc primò appetivit. Immo mihi non est omninò certum, esse contra Scotum. Quamvis enim Doctor Subtilis apertè primam Luciferi amicitiam vocet primum peccatũ; immo de illa quærat, quale peccatum fuerit? Vt constat *ex 2. dist. 6. quæst. 2. §. & vers. Quantum ad secundum.* Fortè tamẽ posset explicari Scotus, & loquitur in sensu causali. Itaque illam inordinatam Luciferi amicitiam, qua se amavit, vocat Scotus peccatum, non quia formaliter sit peccatum: sed quia fuit causa, occasio, aut origo inordinatæ concupiscẽtiæ, qua appetivit supernaturalẽ beatitudinem, & alia peccata ab illo commissa. Ad quod expendo, Scotum *ibi §. In ista quæstione vers. Ex isto* sic excludere. *Prima igitur radix civitatis diaboli fuit inordinatus amor amicitiæ sui: quæ germinavit vsque ad contemptum Dei in quo est cõsumata ista malitia, &c.* Expendatur, quòd Scotus illum amorem vocat radicem contemptus Dei: ac si diceret, quod non est formaliter contemptus Dei, sed solùm radicaliter, causaliter, occasionaliter, aut originativè. Expendatur etiam, dixisse Scotum, peccatum illud inordinati amoris consũmari in cõtemptu Dei: ac si diceret, quòd quandò accedit contẽptus Dei, (interpretativus, qui reperitur in quocumque peccato saltem mortali) fit peccatum formaliter; (sumpta denominatione à suo effectu) anteà autem solùm radicaliter erat peccatum, seu contemptus Dei.

45 Nec omninò conuincit oppositum, quòd Scot. *ibi & §. & vers. Ad argumenta* illũ amorẽ vocet absolutè peccatũ. Posset enim explicari, sicut Trid. *sess. 5 circa finẽ* explicat Apostolũ nõ semel cõcupiscẽtiã vocãtem absolutè peccatum per hæc verba. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse, peccatum*

catum appellari, quòd verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Itaque amorem illũ seu amicitiam fortè vocat Scotus peccatum, non quia peccatum propriè sit, sed quia ex illo ortum habuit peccatum concupiscentiæ, qua Lucifer supernaturalem beatitudinem indebitè appetivit: immo quia inde, tamquam ex radice multa peccata prodierunt. Ipse tamen amor præscindendo à peccato inde originato fortassè non est peccatum formaliter.

46 Igitur forsàn sic posset probabiliter componi Scotus cum communi Recentiorum sententia, quæ affirmat, Luciferi amicitiam erga se ipsum non esse distinctum peccatum à concupiscentia suæ beatitudinis. Quia tamen Scotistæ communiter Scotum aliter intelligunt, nec sine vrgente fundamẽto in illius verbis præcipuè videatur Fab. *in 2. disp. 32. cap. 3. num. 17. & 18.* affirmans, illum inordinatum Luciferi amorem fuisse peccatum: eo quòd per ipsum plus se amavit quàm Deum. Quare peccavit addendo illi actui intensionem, quam debebat non apponere. Legatur etiam Pilosus *disp. 21. art. 7. num. 12.* affirmans, illam Luciferi amicitiam esse formaliter malam, & peccatũ: eo quòd per illam Lucifer se vltimatè amavit propter se, tãquam propter finem vltimum. Et ideò cunctis alijs, & etiã Deo se prætulit.

47 Succumbo ergo communi Scotistarũ placito; cum quibus asserẽdo dico, amorẽ amicitiæ, quo se Lucifer amavit, esse distinctum peccatum ab amore concupiscentiæ propriæ beatitudinis; & respondeo ad instantiã seu argumentum *n. 41.* factũ negando minorem illam. (nulla est necessitas ponendi, amicitiã Luciferi fuisse distinctum peccatũ à concupiscentia suæ beatitudinis) Ad primã probationẽ dico, verum esse quòd charitas expostulat, vt de proximo minùs malè sentiamus: de Lucifero autẽ, & alijs dœmonibus, quorũ malitia fuit ingẽtissima (iuxta illud *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Ps. 73, num. 23.*) semper est malè sentiendum. Hinc etiam patet ad secundam probationẽ. Quãvis enim sufficienter posset salvari dicẽdo, illã amicitiã Luciferi solũ occasionaliter fuisse peccatum; & consequenter esse indistinctũ à peccato concupiscentiæ suæ beatitudinis. Tamẽ, cũ sit iniquissima creatura, & ad vltimũ suæ potentiæ peccàverit in Deũ: fit, vt potiùs ei attribuẽda sint peccata, quàm ab alicuius patratione sit excusandus.

48 Ad tertiã probationẽ. Resp. illã, appretiativã dilectionẽ, qua Lucifer plus se, quã Deũ amavit nos explicare, sicut omnes explicãt dilectionẽ Dei super omnia. Si-

Sicut enim dilectio Dei super omnia est quidam simplex affectus amicitiæ taliter terminatus ad Deum, vt virtualiter includat affectum, seu præparationem animi contemnendi cætera omnia, si necessarium foret, ne relinquatur Deus. Ita illa Luciferi amicitia sui includebat talem animi præparationē, vt, si necessarium foret, contemneret Deū, ne se ipsum amare desineret. Immo hinc prodijt contemptus Dei, &c.

49 Ad illud, quod ex Scoto expendebatur *num.* 44. Resp. merito Scotum amicitiam illam Luciferi vocasse radicem contemptus Dei, non quidem quia existimaverit quòd non fuerit formaliter peccatum, aut contemptus Dei interpretativus: sed quia formalis contemptus non erat: fuitque radix, vnde postea ortum habuit formalis contemptus Dei, & cætera peccata. Ad illud, quod dicebatur *n.* 45. fateor per ly *peccatum* absolutè prolatum posse intelligi aliquādo peccatum solùm causale, aut occasionale: vt sumitur ab Apostolo iuxta explicationem Tridentini relatam. In præsenti autem hoc non habet locum: quia ad illam figuram, seu tropum metonymiam (quæ Latinè dicitur transnominatio: & est, cùm causa pro effectu; subiectum pro adiuncto; aut è contra ponitur) recurrimus: cùm in proprio, & rigoroso sensu verba non possunt sine incommodo accipi. Nullum autem est incommodum in hoc, quòd illam Luciferi amicitiam, qua se inordinatissimè dilexit, vocemus peccatū propriè, & formaliter. Quare Scotus de isto, & non de peccato causaliter, aut originativè est intelligendus.

DVBIVM XII.

50 PEtes duodecimò, an illa Luciferi v. g. amicitia, quæ fuit eius primum peccatū, fuerit superbia propriè dicta? Respond. negativè. Quia superbia propria dicit relationem superioritatis ad alios. Sed illa amicitia, qua Lucifer inordinatè suā excellentiam amavit non dicit formaliter, aut expressè relationem superioritatis respectu aliorum: ergo formaliter non est superbia propriè dicta. Maiorē docet August. citatus ab Angelico Doctore 2.2. *quæst.* 162. *art.* 1. *ad* 2. sic enim loquitur 14. *de Civitat. superbia est perversæ celsitudinis appetitus.* Et 19. *Superbia perversè imitatur Deum: odit namque cum socijs æqualitatem sub illo, sed imponere vult socijs dominationem suam sub illo.* Minor est certa. Sicut enim cōplacentia de re pulchra formaliter sistit in ipsa: completusque conceptus huius complacentiæ aut amicitiæ salvatur, etiam si per possibile, vel impossibile, res illa

illa pulchra esset ita vnica, vt foret incapax comparationis cum alijs, vel ad alia. Ita complacentia illa Luciferi, seu amicitia sui formaliter terminabatur ad propriam excellētiam, & in illa formaliter sistebat.

51 Verū est, quòd ex tali cōplacentia ortum duxerunt superbia, seu appetitus supeditandi alios, & cętera omnia alia peccata. Sicut ex cōplacentia mulieris formosæ, occasionatur aliquando appetitus luxuriæ, raptus, violentiæ, & aliorum criminum. Formaliter tamen illa Luciferi complacentia, aut inordinatus amor sui non fuit superbia: sicuti neque complacentia de pulchritudine mulieris formosæ est formalis appetitus luxuriæ, &c. Confirmatur ex eo quòd immoderatè amare alios nō est superbia: ergo nec immoderatè amare se.

52 Prædictam conclusionem defendit Scotus *in 2. dist. 6. q. 2. § Quantum ad secundum vers. Ideo dico*, & communiter Scotistæ, (Bassolio, & Tart. exceptis) præsertim *Cavellus in Scholio illius §. Fabro disp. 32. cap. 2. num. 8. & cap. 3. num. 21. & Pilosus disp. 22. art. 8. num. 5.* Pro eadem conclusione refertur Gab. *in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 1. & Holchot in 2. q. 3.* de quo videantur Vazq. *disp. 232. cap. 1. n. 6. & Suar. lib. 7. cap. 9. n. 5.*

53 Sed nostram conclusionem impugnant omnes, qui affirmant, primum Luciferi peccatum fuisse superbiam propriè dictam. Pro qua sententia Suar. *ibi num. 7.* adducit *Magistrum sent. D. Thom. Caiet. Thomam de Argentina. Albertum* Magnum, & *nostros Alens. D. Bonav. & Richardum*, quibus subscribunt ipse Suar. *Vazq. ibi cap. 3. num. 12. Becanus cap. 4. q. 4. num. 2. & alij.* Multi tamen istorum non directè impugnant hāc nostram conclusionem: etenim existimant, aut amorem concupiscentiæ Luciferi esse indistinctum ab amore amicitiæ; aut quòd, si est distinctus, primū Luciferi peccatum, non amore amicitiæ, sed cōcupiscentiæ fuit patratum; vt constat ex dictis *à num. 32.*

54 Sed, quidquid sit de hoc dissidio, contra nostram conclusionem obijcitur, quòd *Tobiæ* 5: dicitur. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*: ergo primum Luciferi peccatū (quod fuit initiū omnis perditionis) fuit superbia. Resp. distinguendo consequens: est enim verū de superbia causaliter, aut occasionaliter dicta: falsum autē de superbia formaliter, & propriè accepta. Itaq; illa inordinata amicitia, qua se Lucifer amavit, fuit causa, occasio radix, seu origo, vnde ortum duxerūt formalis superbia, invidia, contēptus Dei, &c. Et ideò tropicè dicitur superbia, sumpto nomine

mine sui effectus; vt dicebam⁹ *n.* 49. Quæ solutio applicanda est omnib⁹ alijs Scripturæ, & Patrũ auctoritatib⁹, quas communi-ter adducunt contra nostrã cõclusionem, præcipuè præcitati Vaz. *à n.* 13. *&* *Sua. à n.* 7. Fateor, aliquãdo Patres loqui de formali superbia. Tamen tunc non loquuntur de primo Angeli peccato: sed absolutè affirmant, in Angelo fuisse impudẽtissimã superbiã. Quod neque negamus, neq; est ad rem.

55 Obijcitur secundò: primum peccatũ Luciferi (formaliter loquendo) non est aliquod ex septẽ peccatis capitalib⁹, nisi superbia: ergo formaliter est superbia. Probatur cõsequentia; quia illa divisio peccati in septẽ peccata capitalia est sufficiens: & consequenter extra illum numerum septemnariũ nullũ peccatũ reperitur. Antecedens autem constat ex eo quòd illud primum peccatũ non fuit luxuria corporalis, gula, aut avaritia: quia ista requirunt corpus. Itẽ non fuit ira, accidia, aut invidia: ergo formalis superbia. Resp. ex Scoto *in 2. d. 6. q. 2. §. Ad argumenta vers. Ad tertium* negando cõsequentiã, & eius probationẽ. Itaq; illa divisio est insufficiens: aliàs infidelitas, & desperatio non essent peccata. ¶ Dices, illam divisionẽ esse sufficientem; quia nullũ est peccatum, quod, saltẽ reductivè, nõ pertineat ad aliquod illorũ septẽ. Sed contra: si enim hoc sufficit; dicemus nos, illũ inordinatũ amorem sui, quo Lucifer se inordinatè amavit, reduci ad luxuriã corporalem propter delectationẽ, quã illa cõplacẽtia, amor, seu amicitia habet annexam.

56 Obijcitur tertiò: superbia videtur peccatũ, quod faciliùs poterat primò committi ab Angelo: ergo primũ Luciferi peccatũ fuit formalis superbia. Antecedens probatur: nam post cognitionem Dei, primò cognovit suã propriã excellentiã; ergo ea ductus appetivit suppeditare alios. Resp. negãdo antecedẽs. Ad probationẽ dico, longè faciliùs fuisse excitari ad immoderatum amorem, complacẽtiã, seu amicitiam circa propriã excellẽtiã, quã ad suppeditãdum alios: si enim illam indebitè non amasset, non appetivisset suppeditare alios.

57 Obijcitur quartò: Lucifer peccavit peccato superbiæ. Sed Angeli peccaverunt vnicũ peccatum: ergo illud tàm in Lucifero, quâm in alijs fuit formalis superbia. Consequentia est legitima. Maior constat ex illo *Ps. 73. num. 23. superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*: quod de malis Angelis accipitur, & consequẽter de Lucifero. Minor probatur; quia si Angeli peccassent pluribus peccatis; aut peccassent simul, hoc est, in eodem instanti temporis: & hoc non, quia

duos actus perfectos nequit voluntas habere simul, sicut neque intellectus. Aut peccassent successivè, hoc est, committendo vnum peccatum in hoc instante tēporis, & post illud instans cōmittendo aliud. Sed neque hoc dici potest: aliàs dæmonum peccatum esset remediabile: (quod cōmuniter non conceditur) cū in secundo instanti possent pœnitere, sicut possent de novo peccare. Resp. ex Scoto *n 2. dist. 6. q. 2. § Ad argumenta vers Ad quartum* negādo minorem, & vtramque partem probationis illius. Itaq; potuit Angelus simul, seu in eodem temporis instanti committere plura peccata. Recolantur dicta *cap. 4. diff. 4. à num. 22 3. & c. 12 diff. 3. à num. 19. & in hoc cap. n. 22* Nec refert, quod illi actus eliciti à voluntate non sint perfectissimi: sufficit enim, quòd habeant libertatem ad imputabilitatem requisitam. Quam habere dubitabit nemo. Insuper potuit Angelus successivè committere plura peccata Huc spectant dicta *cap. 12 diff. 3. num. 13. & num. 21.* Nec est inconveniens, quod Angelus potuerit pœnitere; dùm erat in via. Quare cùm eius peccatum dicitur irremediabile, intelligendum est, quando iam ventum est in terminum.

Recolantur dicta *cap. 7. diff 2. à num. 54.*

DVBIVM XIII.

58 PEtes tertiodecimò, an immoderatus amor amicitię, seu complacentia, qua Lucifer v.g. suam excellentiam amavit, sit formaliter luxuria spiritualis? Respond. affirmativè. Quia excessus in quacumque materia dicitur luxuria: ergo excessus, quo Lucifer complacuit in sua naturali excellentia, fuit spiritualis luxuria. Antecedens suadetur authoritate probatissimorum in lingua Latina. Sufficiat nunc Calepinus sic de luxu loquens: *Luxus non solùm pro re Venerea, sed etiam, & ferè semper propriéque pro omni superfluitate, & nimia profusione, & sumptione cibi, vestitus, & aliarum rerum cura dicit solet*. Eodem modo loquitur de luxuria, & luxurioso; & inter alia adducit illud Virgilij *il. 1. Georg. Luxuriem segetum tenera depascit in herba*. Et illud Quintiliani: *Muliebris, & luxuriosus cultus non corpus exornat, sed detegit mentem*. (in proœmio lib. 1.) Quare concludit Calepinus, quòd aptè dicitur: *luxuriosa frumenta, luxuriosa vitis; luxuriosa pabul*, quando plus æquo crescunt, seu lasciviunt.

59 Ad rem ergo: si prima sui institutione vox *luxus*, *luxurie*, aut *luxuria* significat superfluitatem in quacunque materia corporea aptè ... cotus per trans-

translationem ad res spirituales dixit, quòd excessus ille, quo Lucifer cōplacuit in sua naturali excellentia, & perfectione, fuit luxuria spiritualis. Adde cū Tartar. *in. 2. d. q. 2. §. Sed cōtra* quòd *luxuria capitur dupliciter: vno modo pro inordinata delectatione carnis. Alio modo luxuria est omnis inordinata delectatio circa quodcumque obiectum sive carnale, sive non.*

60 Ex quibus mihi persuadeo, luxuriam spiritualem non esse determinatam speciem peccati, sed per multas divagari. Sicut enim in corporalibus excessus in vbo, & potu est luxuria pertinēs ad gulam; excessus in re venerea est luxuria pertinens ad lascibiā; excessus in audicia est luxus spectans ad temeritatem; excessus in appetitu laudis est luxus spectans ad inanem gloriā; excessus in acquirendo, & conservando divitias est luxus spectans ad avaritiam; &c. Ita in spiritualibus excessus, seu nimietas credendi est luxus pertinens ad levitatem cordis; excessus in sperando est luxuria pertinens ad temeritatem; excessus complacendi in propria excellentia est luxus spiritualis pertinens ad vitium oppositum naturali amicitiæ sui ipsius. (quia destruit medium, in quo consistit virtus moralis) Et ideò benè stat, quòd illa complacentia propriæ excellentiæ (in qua consistebat primū Luciferi peccatum) sit peccatū contra naturalem amicitiam sui ipsius, & simul sit luxuria spiritualis. Sicut excessus, seu immoderata delectatio *in speculatione conclusionis geometricæ ad luxuriam reducitur:* (inquit Scotus *in 2. d. 6. q. 2. §. Quantum ad secundum versic. Ideo.* Verum est, quòd in antiquis originalibus totus versiculus iste *Ideo*; necnon & versiculus *item* nō ponitur; (teste Hugo Cavello in margine) & tamen simul spectat ad virtutem curiositatis: destruit enim per excessum virtutem studiositatis. Vnde reijcio nostrum Fabrum *in 2. disp. 34 cap. 3 n. 18. & 20.* dicentem, luxū spiritualem esse determinatum genus peccati.

61 Conclusionem nostram *num. 58.* defendit Scotus nuper citatus, *Cavellus ib., Fabro disp. 22. cap. 2. n. 7. & 20. Pilosus d. 5. 21. art. 8. n. c. & communiter Scotistæ*; nostro Herrera excepto, qui *in 2. disp. 17. q. 3. concl. vlt.* dicit esse quæstionē de nomine, an illa Luciferi amicicitia, seu complacētia sui debeat reduci ad spiritualem luxuriam, vel superbiam? Impugnant tamen dictam conclusionem ferè omnes, qui dicunt, primum Luciferi peccatū fuisse superbiam formalē, quos 53. civitamus, & quorū ratio nes ab illo numero adduximus, & solvimus. Sed adhuc obijcit Caiet. *&* Molina. *1. q. 63. art. 2. ...* solùm eam delectatio nē, quæ oritur à rebus venereis, spectare ad

potiùs sub nomine Luciferi egimus de primo omnium Angelorum crimine) quod amore amicitæ, aut complacentia sui cõmisit: succedit agendum de alijs peccatis, quæ amore concupiscentiæ patrata inveniuntur in Angelorum republica tàm ab ipso, quàm ab alijs. Et quãvis sub nomine Luciferi dubia proponem⁹, de cœteris omnibus ferè omnia procedere, animadverto.

65 Petes quartò decimò, quodnam obiectum primò cõcupierit Lucifer, v.g. postquam se inordinatè amavit? Respondetur, primò appetivisse suam supernaturalem beatitudinem. Quia affirmat Augustinus, *Angelos fuisse desertores supremi boni; quia per elationem vellent sibi ad beatam vitam sufficere*: 22. *de Civit. cap.* 1. Secundò, quia supernaturalis beatitudo est maximum bonum proprium: ergo illud, quod primò concupivit, fuit propria beatitudo. Hanc conclusionem defendunt Scotus *in* 2. *d.* 6. *quæst.* 2. *§. In ista quæst. versicul. Quantum igitur, & Scotistæ. Item nostri Alensis Ricardus & Ioannes Bassolis. Ex alijs autem D. Thom. Altis. Albertus, Caietan. Ægidius Durand. Hervæus, Argẽtine, Maior, Capreol. Gab. Mars. & Holcot.* citati à Vazquez *disp.* 235. *cap.* 1. *num.* 1. vbi addit, se nõ dubitare, in hac sententia fuisse *D. Gregor. August. & Amb.* Ipse tamẽ Vazq. *ibi n.* 5 etsi fateatur Luciferum sic potuisse peccare; & sic peccasse, sibi esse probabile ob tantorum virorum auctoritatem: addit tamen, sic de facto contigisse, certa aliqua ratione, aut traditione non posse confirmari. Idem fortè sentit Suarez: quia *lib.* 7. *c.* 11. totus est ad probandum, Luciferum potuisse peccare indebitè appetendo suã supernaturalem beatitudinem. Quid verò de facto contigerit, non declarat.

66 Sed contra conclusionẽ obijcies: nullus intellectus errat circa prima principia: (*ex* 2. *Metaph. tex.* 1.) ergo neque voluntas errare potest circa beatitudinem, seu circa vltimum finem, nempè illum appetendo: ergo Lucifer appetendo suam beatitudinem neque erravit; neque errare potuit. Prima consequentia constat *ex* 2. *Physicorum capitulo* 12. & *ex* 7. *ethic. textu.* 8. & 9. verbis illis: *Sicut principium in speculabilibus: ita finis in agibilibus, vel operabilibus.* Respondetur distinguendo antecedens: per simplicem apprehensionem, cõcedo: per compositionem, aut attributionẽ, vel divisionẽ, nego. Itaq; nequit intellect⁹ nõ apprehẽdere veritatẽ alicui⁹ primi principij; aut nequit errare in apprehẽsione veritatis, quę ei proponitur evidẽter. Potest tamen dubitare de aliquo attributo illius; necnon, & potest illi attribuere aliquod prædicatum ipsi non conveniens; aut potest aliquod

quod prædicatum, quod in re illi convenit, negare. V. g. circa Deum clare ostensum nequit errare intellectus Beati per apprehensionem: quia (supposita libera motione, & concursu concomitante) necessariò apprehendit illum; sicut est in se: & sic in præ-prædicta apprehensione errare non potest. Cum hoc tamen bene stat, quod erret circa Deum clare visum seu circa visionem beatam attribuendo ei aliquod ipsi non conveniens, aut negando ei aliquod ipsi conveniens. Hac ratione firmiter statuunt Theologi, nostram beatitudinē supernaturalem consistere in clara visione, & fruitione Dei; & tamen dubitant, an consistat formaliter in visione? an in fruitione? Et hac ratione erramus Scotistæ negantes consistere in visione; (si fortè in re consistit in illa) & errant Thomistæ attribuentes visioni formalem rationem beatitudinis, si verè in illa non consistit, sed in fruitione: vt Scotistæ æstumamus. Pariformiter philosophandum est de voluntate. Etsi enim non peccet, aut peccare nō possit absolutè, aut simpliciter appetendo beatitudinē; peccare tamē potest, & de facto peccavit Lucifer eā appetendo indebitè; vt dicam *à num.* 69. Huc voco Scot. *in 2. d. 6. q. 2. § Ad videndum vers. Aliter.*

67 Obijcies secundò: boni Angeli affectu commodi voluerunt beatitudinem: sed mali peccaverunt sic appetendo: ergo & boni peccaverunt. Respondetur distinguendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Itaque boni debitè, aut ordinatè (hoc est secundùm regulam rationis, & subijciendo se voluntati divinæ) illud cōmodum appetiverunt: mali autem illud appetiverunt indebitè: vt *à num.* 69. explicabimus. Sic intelligo Scotum *ibi à versic. Ad tertium.*

68 Obijcies tertiò: beatitudo naturaliter appetitur ab omnibus: (secundùm Aug. 13. *de Trin. cap.* 5.) Sed appetitus naturalis est rectus: cùm sit à Deo: ergo voluntas consona huic appetitui recta est: ergo Lucifer non potuit peccare volendo beatitudinem. Confirmatur: quia nostra beatitudo est maximè amabilis; immo tenemur ad illam aspirare seu illam sperare: ergo amor circa illam nequit esse peccaminosus: nequivit ergo peccare Lucifer eam appetendo. Respondetur ex Scoto *ibi § Ad videndum* præcipuè *versic. Secundū hoc*, quòd, quando voluntas, vt libera sequitur appetitum naturalem cum omnibus circunstantijs requisitis secūdùm regulam rationis, & iustitiæ, tunc est recta; si vero deficiat aliqua circūstantia, tunc voluntas non est recta. Vnde in forma Respond. distinguēdo minorem: est enim ve-

vera de appetitu naturali sumpto pro potentia, aut naturali inclinatione falsa autem de appetitu naturali sumpto pro actu, seu exercitio talis potentiæ, seu naturalis inclinationis: etenim iste actus tunc solùm est bonus, quãdo elicitur secũdùm regulã rationis: secus autem si, quando elicitur, deficiat ei aliqua circũstantia secundùm regulam rationis, & iustitiæ. Quod patet in appetitu videndi, loquendi, & viuendi, &c: cuiuscumque enim istorum actus potest esse malus, si ei deficiat aliqua circũstantia secundùm regulam rationis petita. Et ideò Martyres vltrò se tradebant morti: quia tunc postulabat ratio, appetitum vivendi cohibendum esse ab exercitio suorum actuum.

DVBIVM XV.

69 PEtes quintòdecimò, quomodo potuerit peccare Lucifer v.g. appetendo suam supernaturalem beatitudinem? Respondetur, potuisse, & de facto peccasse illam indebitè appetendo: quodcumque enim bonum ordinatè debet appeti.

70 Præcipua autem difficultas consistit in explicando modum huius inordinatæ, aut indebitę appetentiæ. Nobis dicendum est, tribus saltem modis potuisse contingere, quòd Lucifer v. g. inordinatè desideraverit suam beatitudinem, nempè eam appetendo intensiùs, & citiùs quàm Deus disposuerat, aut sine meritis: peccavit ergo Lucifer, quia appetitum naturalem de sua supernaturali beatitudine habenda non coercuit, aut nõ commensuravit cum divina voluntate; sed contra illius dispositionem voluit beatitudinem consequi. Aliquo ex his modis potuisse peccare Luciferum docent Scotus *in 2, d. 6, q. 2. §. Ad videndum versic. Potest autem.* & communiter Scotistæ; immo & reliqui autores: etsi enim aliqui vnum, aut alium ex his modis non approbent; approbant tamen aliquem illorum: & consequenter Scoto, & nobis subscribunt. Nõ enim determinavit Scotus aliquem ex prædictis modis; sed solùm docuit, Luciferum potuisse peccare concupiscendo immoderatè suam supernaturalem beatitudinem aliquo ex prędictis modis; *vel fortè modis alijs* (addit ibidem) Quarè etsi teneamur defendere, illos tres modos peccandi fuisse Lucifero possibiles: nullo tamen modo tenemur determinare, (vi autoritatis Scoti) quonam illorum de facto peccaverit.

71 Sed age: examinemus singillatim illos tres modos, & illa, quæ contra illos obijciũtur solvamus.

De-

Declaratur, & propugnatur primus modus.

72 PRimò potuit peccare Lucifer v.g. appetendo suam supernaturalem beatitudinem intensiùs, seu maiori conatu, quàm sibi conueniebat, aut erat licitum. Cùm enim sit finitus, finita intensione, & conatu debuit suam beatitudinem appetere, seu tendere in obiectum beatificum. Quare potuit peccare hanc maiorem intensionem desiderando: vt magis constabit ex solutione argumenti Vazquez. Et quasi à priori ex eo, quòd non apparet repugnantia in hoc, quod sic potuerit peccare.

73 Sed contra hunc modum insurgunt aliqui cum Vazquez *disp.235.c.2. n. 2.* amare obiectũ intensè non est malum, quando amare obiectum nō est malum: sed velle beatitudinem non est malum: ergo neque illam velle intensè. Respondetur, concesso toto, nihil concludi contra Scotum, & nos: non enim dixit Scotus, potuisse peccare Luciferum appetendo beatitudinem intensè, sed intensius, quàm conueniebat sibi. Quod sic explicat Tartaretus *in 2. d. 6. q. 2. vers. Ideo: Potuit Lucifer peccare per excessum quantum ad intensionem appetendo sibi intensiorem, & perfectiorem beatitudinẽ, quàm cæteris, immo & quàm ipsi Deo.* Neque obstat, quòd cognouerit, esse impossibile, sibi inesse perfectiorem beatitudinem, quàm in Deo. Sicut enim affectu inefficaci potuit appetere æqualitatem Dei: (in qua æqualitate impossibilitatem præcognoscebat) potuit etiam perfectiorem beatitudinem sibi, quàm Deo desiderare.

74 Respondetur secundò, concesso toto, nihil concludi; quia Scotus ibi per ly *intensiùs*, aut *maiori conatu* non intelligit intensionem gradualem, sed appretiativam. Quod colligo ex his, quæ docet *in 3. d. 27. §. De primo dico, quod illud vers. Dico igitur*, vbi docet quòd debemus diligere Deum super omnia *extensivè*, & *intensivè*, hoc est, *appretiativè*, vt notat noster Cavellus in Scholio illius §. vbi benè expendit, quòd Scotus verbis illis (*Sicut teneor diligere Deum super omnia alia extensivè; ita etiam maiori affectu, quàm aliquod aliud*) non loquitur de maiori amore graduali, sed de maioritate appretiativa. Potuit ergo Lucifer peccare suam supernaturalem beatitudinem appetendo *intensiùs* quàm sibi conveniebat, hoc est, præferendo suam beatitudinem ipsi Deo, seu plus appretiãdo suam beatitudinem, quàm omnia alia; immo & quàm Deum ipsum. *Et in hoc est summa perversitas voluntatis: quæ est vti fruendis; & frui vtendis secundũm Aug. lib. 83. quæst. quæst. 30.* conclu-

cludit Scot. *in 2. distin. 6. quæstione 2. §. Ad videndum versiculo Potest.*

Propugnatur secundus modus.

75 SEcundo modo potuit Lucifer v. g. peccare appetendo suam supernaturalē beatitudinem citiùs, quàm sibi conveniebat; (quod peccatum vocāt quantum ad accelerationem) vt si vellet eam statim habere, cùm tamen Deus voluerit, eum habere illam post statum viæ. Quòd hic modus peccandi fuerit Lucifero posѕibilis, constat ex eo, quòd non apparet aliqua repugnantia in illo.

76 Sed contra hunc modum obiicit Vazquez *ibi num.* 14. ridiculum esse dicere peccasse Angelum hoc modo, nempè desiderando, citiùs beatitudinem obtinere, quàm Deus disposuerat. Sed hic Vazquez incautus risus digno etiam exploditur risu. Debuit enim hic auctor aut imposѕibilitatem in hoc modo peccandi asѕignare: (quod satis difficulter consequeretur) aut, supposita posѕibilitate, aliquam incongruentiam adducere, quæ suaderet, de facto sic non peccasse. Modestius ergo loqui debuit Vazquez de modo isto; qui à multis vocatur probabilis; & vt sic defenditur præsertim à Suar. *lib. 7. c. 11. num. 2.* vbi *n. 19. 20. &* 21. prædictum modum latè explicat, & pro ipso adducit *Anselmum, Augustin. Gregorium, & Theodoretum.*

Propugnatur tertius modus.

77 TErtio modo potuit peccare Lucifer v. g. volendo, beatitudinem habere ex proprijs viribus, & non adiutus gratia; cùm tamen Deus vellet, eam habere ex meritis: cùm merita sint causa gloriæ. (hunc modum vocat Scotus peccare *quantum ad causam*) Quòd sic potuerit Angelus peccare, constat ex eo, quòd in eo nulla apparet repugnantia. Hunc modum probabiliorem iudicat Vazquez *ibi c. num. 13.* & pro ipso citat ex nostris *D. Bonav. Alex. & Basil.* ex alijs autem *D. Thom. Albertum, & Ægidium.*

78 Sed contra hunc modum obiicit Suarez *lib. 7. cap. 11. à n. 5.* quòd, vt Angelus primus appeteret beatitudinem sine meritis, seu viribus naturæ, deberet præcedere error in illius intellectu. Sed error est effectus peccati: ergo ante primum peccatum non potuit esse. Probatur minor: etenim sine errore non posset Lucifer existimare, eam assequi posse proprijs viribus suæ naturæ. Respondetur negando maiorem: etsi enim cognoverit Lucifer, eā beatitudinem non

non posse haberi viribus naturę, potuit illam appetere inefficaciter, sicut appetijt Dei æqualitatem: quam esse consequutioną sibi impossibilem præcognoscebat. De quo dicemus *à numero* 87.

79 Obijcitur secundò: (à Lorca) supposito, quòd in primo instanti etiã mali Angeli meruerũt gloriam, illã sperando ex gratia Dei, videtur difficile, quòd tàm citò fuerint mutati, vt illam voluerint cõsequi proprijs viribus. Nec facile est, assignare motivũ huius repentinæ mutationis. Respondetur quòd eodem argumẽto probaretur, non potuisse tàm citò peccare. Dicim' ergo, quòd ex apprehensione propriæ exellentię voluit, supernaturalem gloriam sibi dari sine alijs meritis, & tamquam debitam tantæ perfectioni naturæ: immò appetivit (inefficaciter, & quasi conditionatè) in hoc non depẽdere ab aliquo alio. In qua independentia maxima delectatio relucebat, seu ex illa oriebatur. Cũ enim concupisco aliquod bonũ mihi delectabile, magis gaudeo, si sit in potestate mea; quàm in alterius voluntate, & dispositione. Nam, si ab alio depẽdet, ferè semper maneo cum aliqua dubitatione, aut anxietate. Sin vero in mea est potestate, omninò à dubitatione, & anxietate quiesco.

80 Habemus ex dictis *à n. 70.* Luciferũ peccasse de facto; eò quòd naturalem appetitum de sua supernaturali beatitudine habenda per liberam voluntatem non coercuit, aut non fuit moderatus, illum cum divina volũtate commensurando, sed contra illius dispositionem voluit consequi beatitudinem. Quod vocant appetivisse indebitè, aut inordinatè. Habemus etiam, potuisse peccare beatitudinem appetendo intensiùs, aut citiùs quã sibi conveniebat, aut sine meritis. Vnde istos tres modos peccandi esse possibiles Lucifero, affirmamus cum Scoto, nullum tamen de facto determinamus.

DVBIVM XVI.

81 Petes decimòsextò, an inordinatus ille affect' Luciferi v. g. de sua supernaturali beatitudine fuerit superbia? an luxuria spiritualis? Respondetur, non fuisse formalem superbiam; sed luxum spiritualem. Probatur eisdem rationibus qui b' *à n. 50.* & deinceps idem affirmavimus de affectu amicitiæ, quo se Lucifer amavit inordinatè.

82 Itaque non est formalis superbia: quia ille appetitus circa beatitudinem non exprimit formalem relationem superioritatis ad alios: in quo consistit propria superbia. Recolantur di-

cta *à num. illo 50.* Sed præter illa, quæ ibi obijciuntur, & solvuntur, obijcies D. Greg. *lib. 23. Moral. cap. 4.* qui inter modos superbię enumerat præsumptionem; quæ contingit, quando quis existimat, bonum, quod habet, habere à se, & in eo sic apprehenso delectatur Et etiam ponit alium modum superbię, nempè quando quis pro suis meritis aliquid accepisse putat, atque in eo sic complacet: ergo sine relatione excelentię, aut superioritatis ad alios potest dari superbia: & cōsequenter Lucifer appetendo beatitudinem sine meritis consequendam vt suę naturę debitam peccavit peccato superbię propriç. Respondetur negando consequentiam de superbia formali; & concedendo de causali, aut occasionali. Solùm enim originativè, & causaliter prędicti modi dicuntur superbia; nempè quia ex pręsumptione oritur superbia; sicuti & ex complacentia alicuius, quod quis putat pro suis meritis accepisse: vt in simili dicebamus *num. 54.* Videatur Scotus *in 2. d. 6. quæst. 2. § Quantum ad secundum, & § Ad argumentum.*

DVBIVM XVII.

82 PEtes decimoseptimò an peccaverit Lucifer appetendo vnionem hypostaticam? Respondetur affirmativè. Quia de eius superbia sic est prę sumendum. Secundò quia sic videntur docere D. Bern. & alij Patres videndi apud Suarez *lib. 7. cap. 13. num. 15.* Præcipuè expendo quòd Bern. *serm. 17. in cant.* dicit, credibile esse, Lucifero in statu viæ revelasse Deum hominum prædestinationem ad eamdem felicitatem cum Angelis communem: & statim subdit de Lucifero: *ipse autem, si hoc præscivit, in livore suo invidit, & molitus est, habere subiectos socios dedignatus.* Vnde satis suadetur; sensisse Bernardum, Luciferum invidisse vnionem hypostaticam, seu eam indebitè appettendo peccasse. Nam si ex eoquòd Lucifer præsciverit, homines in parem gloriam fuisse assumendos, colligit Bernardus, credibile esse Luciferum doluisse, & ex invidia hominum peccasse. Multò magis credi potest, quòd, si præscivit, hominem aliquem futurum esse excelentiorem ipso, non solùm in gloria, sed etiam in gratia vnionis, & in personæ divinæ maiestate; indignatus propterea fuerit; obmurmuraverit contra Deum, eoquòd tantam vnionē non potiùs cum natura Angelica, quàm cum humana disposuerit: doluerit que vehementer; & contabuerit invidia. Quòd autem Angelus viator noverit ex revelatione Incarnationis mysterium constat *ex cap. 4. dif. 4. à n. 74.* vbi statuimus habuisse fidē

huius mysterij. Et confirmatur ex illo *ad Hebraeos* 1. *num*. 6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, adorent eum omnes Angeli eius.* Vnde satis apertè videtur colligi, quòd in prima Angeli conditione statim fuerit illi revelata Incarnatio Verbi; & quòd tunc Angelorum aliquot noluerint, Christū Dominū adorare, & se ei subijcere, immo illius hominis felicitati invidētes peccaverint. Id enim insinuat ly *iterum*; necnon & illa verba *adorent eum omnes Angeli*: vbi videtur insinuari, quòd, quando Deus in Angelorum creatione eis ostendit Christum futurum, aliqui noluerunt illum adorare.

83 Hanc conclusionem defendunt *Viguerius*, *Catherinus*, *Valentia*, *Dionysius Cartus.* *Ruardus*, *Molina*, *& alij*, *quos citat*, *& probabiliter sequitur Suarez lib.* 7. *capit.* 13. *num*. 18. Eandem conclusionem defendit Becanus *cap*. 4. *q*. 6. *num*. 2. *Polosius disp*. 21. *art*. 8. *n*. 7. dicens eam supponere Scotum in 3. *d*. 7. *q*. 3. quatenus affirmat, ante prę̨scientiam peccati fuisse prę̨destinatum Christum Dominum; vnde benè infertur, quòd, si revelata fuit Angelo viatori vnio hypostatica, potuit inde sumere occasionem peccandi illam indebitè appetendo, seu invidendo, obmurmurando cōtra Deum. Idem resolvunt communiter, & nos resolvimus de reliquis Angelis. Quia omnibus fuit revelata Incarnatio: vnde omnes sumpserunt occasionem peccandi modo dicto.

84 Sed obijcitur, quòd vnio hypostatica fuit prædestinata, seu decretata post prę̨visionem peccati Adę̨, & consequenter diaboli, qui ad illud tentaverat: ergo non potuit revelari ante peccatum diaboli, & quando Lucifer erat viator. Respondetur negando antecedēs: vt enim docet Scot. *in* 3. *d*. 7. *quæst*. 3. ante prę̨scientiam peccati prę̨destinatus, seu decretus est adventus Christi Domini. De quo latè agemus (Deo dante) in tractatu Incarnationis.

85 Obijcitur secundò: appetitus de vnione hypostatica est de bono honestissimo: ergo Lucifer non potuit peccare illam appetendo. Respondetur distinguendo consequens: solùm enim colligitur, non potuisse peccare malitia deriuata ab obiecto: benè tamen malitia deriuata in actum ex modo attingendi obiectum: ex superbia quippè desideravit vnionem hypostaticam, tamquam sibi debitā, & nolendo se subijcere dispositioni divinę̨, sed contra illam obmurmurando, & homini invidendo.

86 Obijcitur tertiò: vnio fuit Angelis revelata vt futura absolutè per efficax decretū Dei ergo impos-

posſibile fuit, Angelum ſibi illã appetere, niſi erroneè iudicãdo, illam ſibi eſſe poſsibilem per vires naturæ. Reſpondetur negando conſequentiam: etſi enim iudicaverit, impoſsibilem ſibi eſſe, potuit, & de facto illam ineſficaciter appetivit. Sicut appetivit ęqualitatem Dei.

DVBIVM XVIII.

87 PEtes decimòoctavò, an Lucifer v. g. potuerit appetere æqualitatẽ Dei in natura? Reſpondetur affirmativè. Quia hæc æqualitas eſt bonum concupiſcibile: ergo potuit ab Angelo appeti, ſeu cõcupiſci amore, ſeu affectu inefficaci. Patet cõſequentia: hoc quippe effectu poteſt amari quodcumque ab intellectu oſtẽſibile, etiamſi ſit ſimpliciter impoſsibile. De qua in eficaci voluntate dixit Ariſtoteles 3. *ethic. cap.* 2. quòd *voluntas eſt impoſsibilium*. Secundò, quia Auguſt. *lib.* 83. *quæſtionum quæſt.* 30. dixit, quòd creata *voluntas poteſt frui vtendis, & vti fruendis*: ergo poteſt frui ſe ipſa, tamquam ſummo bono; quod eſt concupiſcere æqualitatem Dei. Hanc concluſionem tenet Scotus *in* 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. §. *Quia tamen* & per totam ferè quæſtionem. Scoto ſubſcribunt, præter Scotiſtas, *Gabriel, Maior, & alij, quos ſequun-tur Vazquez diſputat.* 234. *capit.* 2. *à. numero* 6. *Suarez lib.* 7. *capit.* 12. *num.* 14. *Becanus cap.* 4. *q.* 5. *n.* 5. *& multi recenciores.*

88 Sed oppoſitum defendunt D. *Thom. D. Bonavent. Alenſis, Durandus & alij citati à Vazquez ibi cap. num.* 2. *& Suarez num.* 3. Et obijciunt: æqualitas Dei in creatura eſt chimerica: ergo nequit apprehendi ab intellectu ſine errore: ſed in Angelo non fuit error ante peccatum: (eſt enim pœna illius) ergo non potuit appetere illam. Reſpondetur ex Scoto *ibi* §. *Ad argumenta verſic. Si igitur* negando primam conſequẽtiam. Itaque ſine errore poteſt intellectus apprehendere æqualitatem Dei cum creatura. Et ratio eſt, quòd in apprehenſione non eſt mendacium; ſed in iudicio, aut in compoſitione, & diviſione. Quando autem æqualitas Dei cum creatura primò proponitur alicui; tunc non apprehendit totum illud complexum per modum vnius; ſed apprehendit ſingulas illas partes diviſas; & poſteà voluntas (quæ etiam eſt potentia collativa; ſicut intellectus) illas coniungit, inefficaciter appetendo, ſeu deſiderando, quòd vna coniungatur cum alia, v. g. quòd æqualitas illa Dei inſit creaturę. Qua ratione potuit peccare Lucifer appetendo ęqualitatem Dei in natura.

89 Vnde patet, quòd ſolùm in

secunda (aut forte etiã in tertia) intellectus operatione reperitur error; non autem in prima operatione, seu simplici apprehensione, sivè apprehendat complexum, sivè incomplexum: quia tunc intellectus nihil affirmat, aut negat; neque deducit vnum ex alio. ¶ Dices, quod in prima operatione potest reperiri deceptio: vt patet in apprehẽsione iridis; cuius color non est verus sed apparens; in virga fixa ad exitus aquarum, quæ apprehenditur fracta: &c. sic ergo potuit Lucifer decipi apprehendendo, æqualitatem Dei sibi posibilem esse. Respondetur deceptionem prædictam non posse reperiri in Angelo, aut anima separata: quia vident res; sicut sunt in se. Quare circa res naturales (saltem) sibi præsentes non patiuntur deceptionem; sicut illam patiuntur sensus circa sensibilia.

90. Obijciunt secundò. Lucifer non peccavit ex ignorantia, aut ex pasione: ergo ex electione. Sed circa imposibile non est electio: (*ex 3. ethic. cap. 5.*) ergo peccare non potuit appetendo Dei æqualitatem. Respondetur ex Scoto *ibi versic. Ad argumenta* distinguẽdo minorem: est enim vera de actu voluntatis respiciente media ad consequendum finem aliquem: & de ista loquitur Aristot. ibi: & merito, nullus enim cordatus quærit media ad consequendum, quod apparet imposibile. Falsa autem est prædicta minor sumpta pro actu voluntatis consequẽte plenam apprehensionem intellectus: qua ratione quis dicitur peccare ex electione, quando non est pasio perturbans rationẽ, aut non est ignorantia. Et hac ratione dixit Philosophus 3. *ethic. cap. 2.* quòd *voluntas est imposibilium.*

91. Dices, quòd *electio* minùs propriè accipitur pro actu inefficaci: ergo voluntariè sic sumitur à Scoto ad effugiendum argumentum. Antecedens supponitur ex tractatu de actibus humanis; vbi dictitant, quòd electio occupatur circa illud medium, quod iudicatur magis cõveniens ad consequendum finẽ. Resp. negãdo cõsequentiã, quidquid sit de antecedente, & eius probatione; Scotus enim sumpsit ly *electionem* eo modo, quò frequenter accipitur, quãdo qui peccat, non ex ignorantia, aut ex pasione dicitur peccare ex electione. Adde, quòd solùm in hac acceptione sumpta electione; tenet consequentia argumẽti; ex hoc enim quòd quis non peccet ex pasione, aut ex ignorantia, solùm infertur, quòd peccet liberrimè, seu actu voluntatis consequente plenam apprehensionẽ intellectus: minimè autem infertur, quod peccet ex electione sumpta pro actu efficaci

caci versante circa media : aliàs non esset peccatum, liberrimè complacere de obiecto pravo.

92 Vnde constat, quàm immeritò Vazquez *disp.* 134. *cap.* 2. *num.* 8. reprehensibilem iudicet Scotum, eoquòd doceat, electionem esse impossibilium. Fallitur tamen; quia Scotus ibi sumit electionem pro actu liberrimo voluntatis, & qui elicitur, nulla passioné perturbante rationem; nec non & sine ignorātia: de quo liberrimo actu voluntatis, qui est inefficax, seu simplex complacētia, dixit Aristoteles 3. *ethic. c.* 2. quòd *voluntas est impossibilium*.

93 Obijciunt tertiò: quod non est ens, non est appetibile: sed Angelum esse æqualem Deo in natura non est ens: ergo non est appetibile, adhuc inefficaciter. Probatur minor: quia quod involvit contradictionem non est ens: sed hanc involvit, quòd creatura sit ęqualis Deo: ergo, &c. Respondetur distinguendo maiorem: solùm enim est vera de volitione absoluta, seu efficaci nō autē de conditionata, in efficaci, aut simplici complacētia: per hanc enim potest quis appetere non ens: sive *non ens* sumatur pro carentia veræ entitatis, vt si quis appeteret cęcitatem, mortem, annihilationem, &c. sive sumatur pro ente impossibili; vt si quis optaret proprijs viribus converti in leonem, v. g. Hinc, concessa minóri, neganda est consequentia: solùm enim sequitur, & hoc convincit probatio minoris, quòd illud ens complexum (*Angelum esse æqualem Deo in natura*) non sit appetibile per actum efficacem, seu respicientem existentiam illius: cùm sit enś impossibile, & circa impossibile nullus ponat mediū. In hoc sensu intelligo Scotum *in* 2. *d*. 6. §. *Ad argumenta versic. Ad secundum*.

94 Obijciunt quartò Anselmum *lib. de Casu diaboli cap.* 4. de dœmone sic loquentem: *non enim ita obstrusæ mentis erat, vt nihil aliud simile Deo cogitari posse, nesciret*: ergo existimat, quòd malus Angelus non potuit appetere æqualitatem Dei in natura: Respondetur cum Vazquez *disp.* 234. *cap.* 2. *n.* 14. negando consequentiam: quia illa verba sunt quidem Anselmi, sed non ex propria persona, sed ex persona discipuli, quē in illo dialogo introducit interrogantem: quibus verbis Anselmus respondet, neque concedens id, quod discipulus obiecerat, neque illud negans; sed illud tantùm asserens, in quo Angelus peccasse sibi probabilius videatur.

95 Obijciunt quintò Arist. 9. *ethic. cap.* 21. dicentem, quòd vnusquisque naturaliter appetit sibi bona: si tamen in aliud transmutaretur, non desidera-

ret, sibi bona, quod est impossibile: ergo etiam est impossibile appetere esse aliud. Respondetur cum Vazquez *ibi num.* 15. sensum esse (secundùm expositionem Frustratij in commentarijs, & Lambini in Scholijs illius loci) quòd si homo v. g. in lapidem converteretur, tunc nõ appeteret bona, quę conveniunt homini, sed quę conveniunt lapidi: vt hac ratione ostendat Aristoteles, vnumquemque appetere, quæ iudicaverit convenientia suo statui.

96 Denique obijciunt Augustinum 3. *de libero arbitrio* dicentem, quod nullus potest appetere non esse: (de quo extant etiam multæ aliæ auctoritates) sed Angelum esse æqualem Deo, includit, Angelum non esse: ergo non potuit appetere æqualitatem Dei. Probatur minor: quia Angelus non potest esse Angelus nisi sit inferior Deo. Respondetur, maiorem esse veram de voluntate, qua quis ordinatè vult: non autem de voluntate non ordinata. Sic destinguit Scotus *in 2. d. 6. q. 1. § Ad argumenta versic. Ad illud*: vbi nota, non loqui de voluntate ordinata moraliter sed physicè: sic enim loquitur: *quia voluntas ordinata non est volendo aliquid, & non volendo illud, quod necessario sequitur ad ipsum; sive sit sibi intrinsecum, sive non.*

DUBIUM XIX.

97 PEtes decimò nonò, an Lucifer de facto peccaverit appetendo æqualitatem Dei in natura? Respondetur affirmativè. Quia *Isaiæ* 14. *num.* 14. dicitur *similis ero altissimo.* Quæ verba etsi dicta sint à Rege Babylonis Nabucho-Donosore, à multis trãsferuntur ad primum Angelum ad significandum magnam illius superbiam. De quo pręcipuè videatur Vazquez *disp.* 232. *cap.* 4. *à num.* 18. Item *Ezech.* 28. *num.* 2. dicitur *dixisti in corde tuo; Deus ego sum.* Quę verba etsi dicta sunt à Principe Tyri, communiter ad Luciferum transferuntur ad significandũ eius procacissimam superbiam. De quo etiam videatur Vazquez *ibi à n.* 24. Et ratiò conclusionis est, quòd de incredibili Luciferi superbia hoc est præsumendum. Huc spectant dicta *n.* 47. Hanc conclusionem sicut & præcedẽtem extendo ad quoscũque Angelos malos. Quia omnes sunt iniquissimi; & ideò de illorum malitia sic est presumendum.

98 Sed Suarez *lib.* 7. *capitulo* 12. *à numero* 21. *Vazquez disput.* 23. *capitulo* 4. *à num.* 17. *Beranus capit.* 4. *quæst.* 5. *num.* 3. & multi alij existimant, de facto Luciferum non peccasse appetendo æqualitatem Dei in natura: quamvis enim aliqui ex his auctori-

ctoribus expreſsè loquantur de primo Luciferi peccato; cùm tamen affirment, nullum ſcripturæ teſtimonium convincere, Luciferum appetiviſſe æqualitatem Dei. Item cùm Patres, qui id videntur affirmare, explicent de appetitu implicito, & interpretativo in quocumque peccato reperto ſatis videntur ſentire, Luciferum, dum fuit in ſtatu viæ, nô peccaſſe appetendo Dei æqualitatem. Sed, quidquid ſit de hoc, pro hac ſententia poteſt obijci, ſine neceſsitate, immo & contra regulas charitatis admitti tale peccatum: vt expendebatur *num.* 41. Reſp. negando propter dicta *num.* 47.

DVBIVM XX.

99 PEtes vigeſimò, an ad peccatum præceſſerit neceſſariò aliquis error, ignorantia, aut inconſideratio in primo Angelo v.g.? Reſpondetur negativè. Quia Lucifer fuit *plenus ſapientia. Ezech.* 28. *num.* 12. & proptereà ibi *num.* 14. vocatur *Cherub.* Secundò quia ad perfectionem Angelicæ naturæ ſpectat operari ex plena advertentia, ſine aliquo errore, aut ignorantia: cùm hoc adhuc in hominibus poſsit reperiri: vt ſuppono cum Scoto, Scotiſtis & multis alijs, qui contra Thomiſtas affirmant, ſine aliquo defectu intellectus reperiri peccatum. De quo præcipuè videatur noſter Felix 2. *p. tent. tra. de Peccatis cap.* 7. *diffic.* 1. *præſertim à num.* 8. vbi pro hac ſententia, præter Scotiſtas, citat *Nominales, Suarez, Molinam, Valent. Becanum, & Hurtadum.* Qui omnes à fortiori debent defendere noſtram concluſionem; ſicut illam expreſſè defendunt Valentia *t.* 1. *diſp.* 4. *q.* 14. *puncto* 2. *Becanus c.* 4. *q.* 9. *à n.* 2. & multi alij.

100 Sed Thomiſtæ tria docent. Primò, omne peccatum voluntatis procedere ex aliquo defectu intellectus. Secundò, triplicem defectũ poſſe eſſe in intellectu, nempè ignorantiam, errorem, & actualem inadvertentiam. Tertiò, Angelum non peccaſſe ex ignorantia, aut errore; ſed ex inadvertentia: ac proinde non peccaſſe ex parte obiecti, quaſi ignoraverit, aut malè iudicaverit de bonitate obiecti; ſed ex parte modi; quia non advertit ad modum, quem in appetendo obiectũ ſervare debebat. Ex his ergo ad rem obijciunt Thomiſtæ: voluntas ſemper ſequitur intellectum: ergo non poteſt errare, niſi erret intellectus: ergo ad peccatum Luciferi aliquis defectus præceſsit in eius intellectu. Reſpondetur negando conſequentias: quia ſenſus antecedentis eſt, quòd voluntas non poteſt ferri in incognitum; quare debet intellectus operatio preire ad operationem voluntatis; ſeu quòd, quando voluntas

est operatura, necessariò debet operari circa obiectum ab intellectu propositum: non autem intenditur in antecedente illo, quòd si intellectus nõ errat, aut deficit, nequeat errare, aut deficere voluntas.

101 Obijciunt secundò: Lucifero debuit proponi obiectũ, circa quod peccavit, magìs delectabiliter cognitum, seu per cognitionem magis intensam, & magis alliciens efficaciter, quàm obiectum, quod retrahebat à peccato, (nempè hoc, *iustum, & rationabile est, servare legem Dei, aut Deum non offendere*) sed illa maior intensio cognitionis, aut alliciẽtia obiecti sufficit, vt dicatur in Lucifero præcessisse inconsiderationem obiecti honesti: ergo ad peccatum Luciferi præcessit aliquis defectus in intellectu. Respondetur negando maiorem: potuit enim esse peccatum in Lucifero, & de facto sepè est in nobis, etiam si vtrumque obiectum, fuerit æquè intensè, aut efficaciter propositum: immo potuit appeti obiectum minùs efficaciter propositum: hoc enim spectat ad libertatem voluntatis. Adde, quòd ad exercitiũ libertatis solùm requiritur propositio vnius obiecti cum advertentia operationis.

102 Respondetur secundò (omissa maiori) negando minorem: non enim sufficit, vt aliqua cognitio, aut consideratio dicatur defectuosa, & inconsideratio, quòd non sit ita perfecta, & intensa, sicut alia. Vt patet in homine, qui non dicitur imperfectus; eo, quod sit minùs perfectus, quâm Angelus. Igitur quæcumque cognitio repræsentans totum suum obiectum dicitur perfecta; quamvìs sit minùs intensa gradualiter, & minùs efficaciter alliciens quàm alia. Quando autem vna cognitio (vt quatuor v.g.) comparata cum alia intensiori dicitur minùs perfecta, quâm illa, ly *minùs* (idem est, si dicatur imperfectior illa) non denotat in ea carentiam perfectionis, quæ sit privatio; sed quæ sit negatio: & consequenter, cùm talis perfectio non sit ei debita, prędicta res absolutè non dicitur imperfecta. Sicuti neque Angelus dicitur absolutè imperfectus; quãvìs aliàs sit minùs perfectus, quã Deus; neque homo dicitur imperfectus; quamvìs aliis sit minùs perfectus, quàm Angelus.

DVBIVM XXI.

103 Peres vicesimò primò, an Lucifer v.g. potuerit peccare in primo instãti suæ creationis? Respondetur affirmativè. Quia habuit æqualem libertatem in illo instanti, ac in alijs: sed in alijs peccavit: ergo potuit peccare in primo. Propter hanc rationem fatentur (adhuc mul-

multi ex adversarijs) potuisse mereri in primo instanti; immo & quòd de facto meruit. Secundò probatur; quia voluntas Angeli in primo instanti fuit creata: ergo defectibilis; ergo peccabilis: ergo potuit tunc peccare. Ita Scotus *in 2. distinct. 5. q. 2. §. & vers. Teneo igitur*, & Scotistæ; necnon, & *Greg. Gab. Ocham, Maior, Molina, Valentia, & Henricus,* quos citant, & partim secuntur Vazquez *disp. 236. cap. 3. à numero* 10. quatenus ei displicent omnes rationes oppositæ sententiæ: & Suarez quatenus *lib. 3. cap. 9. à num. 3.* dicit, Angelum in pura natura creatum potuisse peccare in primo instanti contra legem naturalem: *& lib. 7. c. 20. à num. 12.* expendit, & refutat omnes rationes oppositæ sententiæ, & tandem *à num. 47.* resolvit, potuisse Angelum peccare in primo instanti de potentia absoluta; non tamen de potentia ordinaria.

104 Sed Angelum non potuisse peccare in primo instanti defendunt nostri *D. Bonav. Alensis, & Ricardus. Item D. Thom. Caietan. Albertus, Capreolus, Ferrara, Hervæus, Holcot, Argentina; & Henric.* (quamvìs etiam citetur pro nostra sententia) Fuitque sententia *Hugonis à S. Victore, & tribuitur D. Anselmo lib. de casu diavoli cap. 12* vt notant præcitati Vazquez *ibi cap. 2. num. 8. & Suar. num. 9.* Igitur pro hac sententia obijciunt: primum velle Angeli non fuit ab Angelo, sed à Deo producēte Angelum: ergo non potuit esse peccatum. Antecedens docet D. Ansel. *lib. de Casu diaboli cap. 12.* teste Vazquez *ibi num. 18.* Fundamentum autem, quo vtitur Anselmus, est, quòd, vt quis dicatur movere se ipsum ad aliquam voluntatem non sufficit elicere actum voluntatis, ad quem se ipsum movere dicendus est, sed opus est, habere priùs alium actum voluntatis, ex quo moveat se ad sequentem: quare inquit: *Quod ergo nihil vult, nullo modo potest se movere ad volendum.* Et hinc colligit Anselmus, primam voluntatē Angeli esse à Deo: quòd & prosequitur *cap. 13. & 14.*

105 Respondetur ex Scoto *in 2. dist. 5. q. 2. § Respondeo vers. Dico* negando antecedens. Ad probationem dico, sic sensisse Anselmum; & quamvìs Scotus *ibi vers. Ad Anselmum* explicet eum dicendo non loqui de Angelo eo modo, quo de facto existit; sed de Angelo à se ficto, qui priùs esset vna essentia nuda non habens formaliter potentiam volitivam: vel si haberet potentiam volitivam, esset sine affectione commodi. Qui quidem Angelus non posset habere primum velle (hoc est, aut potentiam volitivam, aut affectionem commodi) à se, sed illam debebat recipere à Deo. Quamvîs, inquam, Scotus sic nitatur explicare

care D. Anselmum: tamen communiter auctores Anselmi fundamentum non admittunt; precipuè Vazquez *disp. 236. cap. 3. num. 21. Suar. lib. 7. cap. 20. num. 30.* & multi alij. Et meritò: vt enim notavit Scotus *in illo vers. Dico*, & cum eo communiter, si ad primam volitionem, deberet præcedere alia, planè sequeretur processus in infinitum. Quare voluntas dicitur velle aliquod obiectum; quia elicit actũ, quo illud vult, non autem quia habet aliam priorem volitionem, qua se impellat ad eliciendum illam volitionem: sicut potentia visiva dicitur videre obiectum, quia elicit actum, quo tale obiectum videt; non autem quia habet aliam visionem priorem terminatam ad visionem obiecti. (Abstinemus modo à quæstione illa metaphysica; an velle, videre, intelligere, &c. consistat in productione volitionis v. g. ? An in eius receptione? an simul in hoc, quòd potentia, media volitione tendat, seu attingat obiectum? Quidquid enim sit de hoc, certum debet esse quòd saltem causaliter potentia attingit obiectũ: eo quòd producit actum volendi, videndi, &c.)

106 Obijciunt secundò, idẽmet assumptum, sed aliter probatum. Sic ergo argumentatur. Si Angelus peccasset in primo instanti, sequeretur, Deũ esse auctorem peccati: ergo non potuit Angelus peccare in primo instanti. Probatur sequela; quia omnis operatio, quæ incipit cũ re ipsa, cuius est operatio, tribuitur illi, à quo res ipsa producitur. Respondetur negando sequelam; & eius probationem: quia illuminatio solis incipit cũ sole; & tamẽ non tribuitur Deo, sed soli. ¶ Dices, quòd Arist. dixit, gravia, & levia non moveri à se ipsis, sed à generanti: ergo quia prima operatio tribuitur illi, à quo res illa producitur. Respondetur, intelligi Aristotelem de motione mediata, non de immediata: itaque quia grave, & leve receperunt esse, & potẽtias motrices à generante; ideò dicũtur ab ipso moveri. De quo latè agitur 7. *Phys.* & tractat Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 10.*

107 Obijciunt tertiò: Angelus in primo instanti non potuit habere deliberationem: ergo neque peccare. Probatur antecedens: quia deliberatio requirit cognitionem multarum rerum; quæ cognitio nequit esse in instanti. Respondetur ex Scoto *in 2. dist. 6. quæst. 2. §. Respondeo vers. Arguitur etiam quartò* negando antecedens, & eius probationem: quia ad deliberandum sufficit distincta cognitio vnius rei, circa quam potest esse bona, & mala operatio: vt patet in cognitione finis, quem deliberatè prosequor. Præterea in vnico instanti pos-

possunt esse multæ cogitationes, seu cognitiones rerum etsi non ita perfectæ, ac si tãtùm esset vna, sufficientes tamen ad hoc, vt voluntas circa quodlibet illarũ obiectum operaretur.

108 Obijciunt quartò: quãdo duę mutationes sic se habẽt, vt terminus *ad quem* vnius sit terminus *à quo* alterius, illæ mutationes nequeunt esse in eodem instanti. Sed sic se haberent creatio Angeli, & eius peccatũ: ergo non possunt esse simul. Resp. negando maiorẽ: (etiam cũ D. Th. 1. *p. q.* 63. *art.* 5. *in corpore*, vbi oppositum nostræ cõclusionis defendit; refutat tamen hanc rationem) quia sufficit, quòd vna præcedat aliam in prioritate naturæ: sol enim illuminat in eodem instanti, quo creatus est.

¶ Dices, quòd mutatio est trãsitus à privatione ad habitum, vel è contra: Sed peccatum est mutatio à gratia ad privationẽ illius: ergo peccatum nõ potuit poni ab Angelo in primo instanti. Consequentia est legitima: minor est certa: declaratur maior, ex non albo enim fit album; & ex albo fit non album. Resp. quòd in eo casu non esset propriè mutatio; quia ad istam requiritur, quòd subiectum in aliqua duratione priori, seu prioritate durationis habeat habitũ; & posteà privationem, vel è contra: & cùm Angelus ante primum instans sui esse, non habuerit esse, neque habitum gratiæ, si peccasset in primo instante, illud peccatũ non fuisset mutatio propria: vt in simili de animatione in resurrectione docet Scotus *in* 4. *dist.* 43. *q.* 5. §. *De tertio vers. Et si quæras.*

109 Obijciunt quintò nullus peccare potest, nisi apprehẽdat bonum apparens: sed ante hoc semper apprehendit bonum verum: ergo Angelus in primo instanti debuit operari circa bonum verum: ergo non potuit pecare. Resp. (omissis omnibus alijs) negando vltimam consequentiam: quia circa bonũ verũ potest dari peccatum: aut quia inordinatè amatur, aut defectu alicuius debitæ circumstantiæ, aut ex malo vsu libertatis creatæ; quæ, cùm sit defectibilis, potest deficere à prosecutione cuiuscumquè boni quomodocũque propositi.

110 Obijciunt sextò: Angelus in primo instanti habuit gratiam sanctificantem: ergo tunc non potuit peccare. Patet consequentia: quia peccatum, & gratia non possunt esse simul, saltem de lege ordinaria. Resp. (admisso antecedenti solũ probabili; vt constat ex dictis *c.* 11. *diff.* 1. *a numero* 2.) negando consequentiam. Ad probationem dico, quod in eodem instante patrationis peccati mortalis destruitur gratia, quamvis in posteriori naturæ. Et

ideò

ideò numquam sunt simul de facto. In nostro verò casu non posset destrui gratia: quia quæcumque res debet existere saltem pro vnico instanti: aliàs verificaretur, quòd existeret, & non existeret: existeret, (inquā) vt supponitur: non existeret autem, quia in eodem instanti suæ productionis destruitur. Quare in nostro casu gratia de per accidens non destrueretur in illo instanti, sed immediatè post illud. Aut Angelus de per accidens non posset peccare, nempè quia pro illo primo instanti est inamissibilis gratia: & cùm aliàs Angelus non possit simul componere peccatum, & gratiam; pro illo tunc peccare non potest de per accidens. Hoc autem non est contra nos, qui absolutè, & non facta suppositione collationis gratiæ, quærimus, an Angelus potuerit peccare in primo instanti sui esse? Adde, quòd hoc argumento nō probatur, non posse peccare venialiter.

DVBIVM XXII.

111 PEtes vigesimòsecundò, an Lucifer v.g. de facto peccaverit in primo instanti? Respondetur negativè. Quia in Epistola Iudæ *num.* 6. supponitur Angelos malos priùs fuisse in gratia verbis illis: *Angelos verò, qui non servaverūt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, &c.* Vbi solùm videtur esse sermo de domicilio, & principatu innocentiæ. Alia autem testimonia, quæ adhoc probandum solent adduci, minoris sunt efficaciæ: quia illorum aliqua non locuntur in sensu literali de Angelis; huiusmodi sunt illud *Isaiæ 14. Quomodo cecidisti Lucifer &c.* Et illud *Ezeh.* 28. *In delicijs paradisi Dei fuisti.* Sed quod in his locis ad litteram non sit sermo de Lucifero notabamus *num.* 97.

112 Ratio autem huius conclusionis efficax est, quòd Angeli non possunt cōponere gratiam sanctificantem cum peccato mortali pro aliquo tempore, aut instanti: quod quidem fecissent, si in primo instanti peccassent. Cùm enim gratia pro illo instanti non possit destrui; (vt *num.* 110. expēdebamus) fit, vt pro illo instanti essent simul gratia, & peccatum mortale. In sententia verò quæ negat, (probabiliter quidem, vt cōstat ex *cap.* 11. *disic.* 1. *num.* 2. & à *num.* 11.) Angelos fuisse creatos in gratia, nulla firma ratione potest probari, Angelum non peccasse in primo instanti suæ creationis. Non tamen est recedendum à communissima sententia affirmante, tunc non peccasse Luciferum, aut alium Angelum. Tùm, quia non vrget aliqua ratio, aut testimonium pro opposita sententia. Tùm, quia pro

pro ista opinione stant ferè omnes auctores. Immo D. Thom. *quæst.63.art.5. in corpore* sic de opposita sententia loquitur: *á Magistris hæc opinio, tamquam erronea rationabiliter reprobata est*. Et D. Bon. dicit, ad hæresim proximè accedere; & fuisse damnatam ab Episcopo Pariesiensi cum omnibus Theologis illius Vniversitatis. De quibus præ cæteris videatur Vazquez *disput.236. capitulo* 1.

113 Sed Augustinus Eugubinus *lib. de Perenni Philosophia c.* 38. affirmat, Angelos â principio suæ creationis peccasse. Pro qua sententia citat quemdam Theodorum Theologum Latinum, eamque vt probabilem priùs defenderat Alex. 2 *p.q.98. memb.* 11. Et ei favere videtur Augustinus locis citandis. Pro qua sententia obiicies illud *Ioann.* 8. *nu.*44. vbi de diabolo dicitur *ille homicida erat ab initio*: ergo in initio, seu primo instanti suæ creationis peccavit. Respondetur negando consequentiam: quia ibi est sermo de principio creationis, non Angelorum, sed hominis: vt notabamus *cap.*11. *diff.* 1. *num.*13. Et ferè idem respondet Vazquez *disp.*236. *cap* 1. *num.*4. Immo aliqui existimant ex his verbis immediatè sequentibus (*in veritate nō stetit*, hoc est, in sanctitate, qua conditus est) probari nostram conclusionem.

114 Obijcies secundò D. Augu*st.lib.*11.*de Genesi ad litteram c.* 23. dicentem, diabolum cecidisse non ab eo, quod acceperat, sed ex eo, quod acciperet, si subdi voluisset: ergo peccavit antequam in secundo instanti acceperit gratiam sanctificantem. Respondetur negando consequentiam: quia August. ibi non loquitur de gratia, sed de statu beatitudinis, ad quem pervenisset Lucifer, si subdi voluisset Deo. Vtrùm autem ex statu gratiæ? An puræ naturæ, in quo ante peccatum fuerat? Non tractat ibi Augustinus: vt notat præcipue Vazq. *disp.*236.*c.*1.*n.*7.

115 Obijcies eumdem Augustinum *lib.*11. *de Civitate Dei c.* 13. docentem, eum, qui existimat Angelos ab initio suæ creationis voluntate propria peccasse, non sentire cum Manichæo: quia iste docuit, Angelos non solùm propria voluntate, sed etiam natura malos esse: ille autem solùm assereret, Angelos ab initio suæ creationis propria voluntate tantum malos fuisse, & cecidisse: Vt enim admonet Augustinus *lib. illo* 21. *de Genesi c.* 23. si Angelus natura sua malus factus esset, non diceretur cecidisse. Respondetur concedendo totum. Nos enim sentētiam Eugubini nō explodimus ex eo, quòd sentiat cum Manichæo: sed ex eo, quòd sine sufficienti fundamento opponatur communissimo Theologorū torrenti.

ti. Quare non mihi apparet ratio, ob quam prædicta sententia acriori nota, quàm temeritatis posśit damnari. (si damnanda est) Dicere autem cum Vazq. *ibi num.* 6. quòd opponitur concilio Bracharensi 1. *can.* 7. non habet fundamentum: quia concilium procedit cõtra Manichæũ, & Priscillianum: vt ex adductis ab ipso Vazq. est manifestum.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad pœnas, quas mali Angeli patiuntur propter peccata.

1 SVppono, omnem pœnã in dœmonibus repertã ortum duxisse à peccato. Quia nulla alia causa potest in illis aśsignari: cùm in Angelis bonis nulla pœna modò sit in patria; aut aliquando fuerit in via. Item suppono, multas in dœmone pœnas reperiri. Prima est obcœcatio intellectus. Secunda obduratio, aut obstinatio voluntatis. Tertia pœna damni. Quarta pœna sensus. Quinta tristitia ex illis resultans.

De quibus extant sequentia dubia.

De pœna obcœcationis Angelo inflicta.

DVBIVM I.

2 PEtes primò, quid sit intellectus obcœcatio, & aggravatio? Respondetur, esse pravam dispositionem intellectus ad iudicandum de credendis, & agendis. Metaphora excœcationis sumpta fuit ab oculis; & metaphora aggravationis ab auribus: nam vterque iste sensus ad intellectum transfertur: etenim etsi in corporalibus visio, & auditio per diversas potentias fiãt; in spiritualibus tamen per vnam & eamdem potentiam intellectivam fit auditio, & visio. Igitur sicut, qui aliter percipit obiecta per potentiam visivam, ac ipsa sunt in re, dicitur excœcatus: ita qui illustratione Dei sibi communicata (quæ aliquando fit per sanctam cogitationem, aliquando autem per externam prædicationem; aliquando verò per miraculum) non vtitur iuxta intentionem, & finem, quo sibi à Deo communicatur, sed paśsione, aut malitia ductus post prædictam illustrationem iudicat de agendis, aut credendis aliter, ac Deus vult, seu intendit, dicitur excœcatus. Et sicut qui somno oppresśus, per potentiam auditivam non perci-

cipit, quæ sibi dicuntur, nec ad ea attendit; dicitur gravari somno: ita, qui ad id, quod sibi loquitur Deus per sanctam cogitationem, aut per externam prędicationem, vel miraculum non attendit, aut non respondet, dicitur spiritualiter gravari.

3 Theologicè ergo loquendo dicitur obcæcari, & gravari, qui aut penitus, aut difficilè percipit veritatem quam Deus loquitur; aut fortè (vt ego existimo) qui etsi illam percipiat, ipsi non plùs acquiescit, ac si non perciperet. Quod Paulus *ad Rom.* 1. vocat traditum esse in reprobum sensum. De quo videatur noster Felix *tratt. de Peccatis cap.* 8. *diff.* 6.

DVBIVM II.

4 PEtes secundò, an intellectus dæmonis in pœnam peccati fuerit obcœcatus, aut obtenebratus adeò, vt nullam veritatem cognoscat? Respondetur negativè. Quia in eo manserunt naturalia integra: vt cõmunissimè docent cum Dionysio *de Divinis nominibus capit.* 4. Et consequenter dicendum est, mansisse in dœmone omnem scientiam habitualem pertinentem ad ordinem naturæ, quam habuit ante peccatum; necnon & omnes species rerum naturalium, quas in sua creatione recepit infusas. Quia neque istæ species, neque illa scientia habent oppositionem cum peccato; & aliàs pertinent ad ordinem naturæ: ergo sine fundamento diceremus, illas amisisse post peccatum.

5 Addè, quòd dœmones cognoscunt aliquas veritates supernaturales iuxta illud *Iacobi* 2. *dæmones credunt, & contremiscunt*: & illud *Lucæ* 4. *exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei; & increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant, ipsum esse Christum.*

6 Immo probabile putat Pilolus *disput.* 22. *art.* 5. *num.* 5. (cui subscribo) in dœmone mansisse speciem divinæ naturæ. (quam Angelo viatori fuisse datam diximus *capit.* 4. *diff.* 3. *à num.* 84.) Quia illa grauissima pœna, seu remorsus cõscientiæ, quã patiũtur iuxta illud *Isaiæ* 66. *vermis eorum non morietur*, aptiùs salvatur cum permanentia prædictæ speciei: cognoscendo enim clarè Deum, acerbior erit prædictus remorsus de tanto bono perdito. Præterea nullum apparet incommodum in hoc, quòd talis species conservetur in illis: sicut in Sacerdote damnato ad maiorem confusionem, & pœnam conservatur character in inferno.

7 Ex quibus concludendũ est; dæmonis excæcationẽ præcipuè esse ponendam in hoc, quòd

quòd eius intellectus est in perpetua, & intensissima ignis consideratione impediente perfectam cõsiderationem actualem cuiuscumque veritatis practicę, aut speculativæ. Quia sic salvātur duo communissimè asserta, nempè, & in dœmone mansisse integra naturalia; (hoc est, non amisisse aliquam potentiam naturalem; immo neque naturalium scientiam; vt communiter explicant) necnon, & quòd circa quamcumque veritatem māsit dœmon aliqualiter obcæcatus. Ita Pilosus ibi *num.6.* deducens ex Scoto hanc conclusionem.

8 Sed contra omnia ista obijcies. Primo: dœmon non potest se ipsum perfectè cognoscere; ergo non habet scientiam rerum naturalium. Patet consequentia: quia ipsemet Angelus est ens naturale, provt naturale distinguitur à supernaturali. Antecedens autem supponit Pilosu ibi ex Scoto *in 4. dist. 50. q. 6. lit.* B. Respondetur negando cõsequentiam: quamvis enim dęmon habeat omnia principia necessaria ad se perfectè cognoscendum: sicut ad cognoscendū alias res naturales: & quamvis defacto se, aut alia cognoscat perfectè; in illa tamen cognitione, nec perseverat, nec quiescit; quia à perpetua ignis consideratione statim retrahitur, rapitur, & vehementissime perturbatur.

9 Obijcies secundò, quòd multi Patres asserunt dæmonem esse privatum participatione gratiæ spiritualis, & cœlestis illuminationis: ergo amisit habitus inditos in sua creatione, & præcipuè speciem divinitatis. Respondetur negando consequentiam: quia prædicti Patres locuntur de gratia sanctificante, vel de dispositione ad illam, ad quam connaturaliùs eliciendam dantur habitus supernaturalis fidei, & spei.

10 Obijcies tertiò, quòd in dœmone non manent habitus infusi fidei, spei, & charitatis: ergo neque species divinæ naturæ. Respondetur negando consequentiam: quia prædicta species non datur ad eliciendum actum, qui sit dispositio ad consequendam vitam æternā: quāvis enim Deus reliquisset Angelum in pura natura, seu illum nō ordinasset ad supernaturalem finem consequendum, ei contulisset speciē divinitatis propter perfectionem suæ naturæ. Prædicti autem habitus conferuntur ad meritoriè operandum in ordine ad vitam æternam. Et ideò in illo statu, in quo tale meritum non est futurum, aufertur principium supernaturale talis meriti.

11 Instabis: ergo in patria non solùm evacuantur habitus fidei, & spei, sed etiam charitatis. Respondetur negando, manet

net enim charitatis habitus ad eo naturaliùs eliciendum, non actus meritorios; (etenim tal rem circa gloriam essentialem ibi nullum erit meritum, Deo sic disponente) sed fruitionem, aut dilectionem beatam. Manet item habitus charitatis; quia identificatur cum gratia sanctificante: & ista sine dubio manet, vt beatus sit obiectum dignum reamationis Dei.

DVBIVM III.

12 Petes tertiò, an excœcatio, & aggravatio sint à Deo aliquo modo? (Idem quæritur de obstinatione, aut obduratione; quam explicabimus *à num.* 14.) Respondetur affirmativè. Quia *Isaiæ 6. num.* 10. dicitur: *Excæca cor populi huius: & aures eius aggrava*: & de obduratione est illud ad *Romanos 9. numero* 18. *quem vult indurat.*

13 Dices: ergo Deus est causa peccati, quod commisit Angelus post prædictam excœcationem, aut indurationem. Respondetur negando: quia ad prædictum peccatum necnon & ad conservationem, prioris Deus solùm permissivè se habet, nempè non conferendo auxilium efficax in pœnam peccati commissi: vt docet Scotus *in 2. distinct. 7. §. De secundo, vers. Hæc etiam.* Itaque ista excæcatio, aggravatio, & induratio propriè dicitur esse ab Angelo, qui peccando præbuit occasionem; vt Deus ei non conferret auxilium efficax ad evitandum prædictum peccatum. A Deo autem impropriè dicitur esse: impropriè enim dicor causare id, quod possum impedire, & non impedio; & aliàs impedire non teneor. Igitur Deus dicitur excœcare, aggravare, aut indurare peccatores, quatenus per auxilium efficax poterat impedire eorum peccata, & illa non impedit. Quia tamen ista spectant ad tractatum de Peccatis, & de Angelis nullam habent specialem difficultatem, illa in præsenti omitto; (videatur noster Felix *tractatu de Peccatis cap.* 8. *diff.* 6.) & ad speciales difficultates Angelorum descendo.

De obstinationis pœna Angelo inflicta.

DVBIVM IV.

14 Petes quartò, quid sit obstinatio, aut obduratio? Respondetur, esse pravam dispositionem voluntatis ad cõsentiendum his, quæ Deus vult, & manifestat, aut per sanctam cogitationem, aut per externam prædicationem, aut per miraculum. Metaphora autẽ ista sumpta fuit à duritie corporum, quæ difficilè cedunt divisioni, & im-

presſiones ægrè recipiunt. Igitur durus corde, obduratus, aut obſtinatus ille Theologicè dicitur, qui nimis reſiſtit inducentibus ad bonum. Videatur præcitatus Felix: iſta enim ſpectant ad tractatum de Peccatis. Quare in præſenti potius multa illorum ſuppono, quàm examino.

DVBIVM V.

15 PEtes quintò, an Angelus viator poſtquam peccavit ita manſerit obſtinatus in malo, vt pænitere nequiverit? Reſpondetur negativè. Quia ſine fundamento negaremus ei, dum erat in via, auxilia ſufficientia: & aliàs eius liberum arbitrium non erat inflexibile: vt probabamus *capite 7. diffic. 2. à numero 54.* Huc ſpectant dicta *cap. 12. diff. 3. à n. 20.*

DVBIVM VI.

16 PEtes ſextò, an Angelus poſt viam ita manſerit obſtinatus in malo, vt pœnitere fructuoſè non poſsit? Reſpondetur affirmativè. Quia *in inferno nulla eſt redemptio*: vt canit Eccleſia in ſeptimo reſponſorio defunctorum. Et *Apocalipſ. 20. numero 10. diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulfuris: vbi beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Suntque paſsim teſtimonia ad hoc propoſitum. Ex quibus conſtat, nullum Angelum poſt ſtatum viæ, egiſſe, aut aliquando acturum eſſe pœnitentiam: & conſequenter illum non poſſe (ſaltem potentia conſequente) pœnitere fructuoſè; hoc eſt, taliter vt veniã conſequatur.

17 Vnde exploditur error dicentium, malorum Angelorum damnationem nõ fore perpetuam, ſed ipſos poſt longa tempora acturos eſſe pœnitentiam, per quam, & veniam peccatorum conſequentur; & in cœlum aſcendent: quia illos etiam Chriſtus Dominus ſua morte redemit. Quem errorem Origini attribuunt *Epiphanius, Auguſtinus, & Hieronymus, immo, & VI. Synodus act. 11.* etſi non deſint, qui Originem ab hoc errore excuſent dicentes, vel ab hæreticis fuiſſe libris eius inſertum; vel ſi aliquando illum habuit, in eo non permanſiſſe. De quo legatur Suarez *lib. 8. cap. 7. num. 2.*

DVBIVM VII.

18 PEtes ſeptimò, an voluntas dæmonis ita in malo manſerit obſtinata poſt ſtatum viæ, vt nequeat efficere aliquod opus bonum morale vndequaque benè circumſtantio-

tionatum? Respondetur negative. Itaque potest dœmon aliquod opus morale vndeqnaque bonum efficere. Quia natura Angelica potentior est ad bonum, quàm humana: sed humana potest viribus naturæ elicere opus morale vndequaque bonum: ergo & Angelica, Consequentia est legitima, si supponamus id, quòd ex Dionysio *de diuinis nominibus, capite* 4. dictitant; nempè quod natura Angelica post peccatum mansit integra in naturalibus; hoc est, conservat naturales vires ad efficiendum per potentias naturales quidquid ante peccatum poterat efficere, iuxta dicta *numero* 4. *&* 7. Maiorem autem docet Augustinus *de fide ad Petrum cap.* 5. sic fatus: *si possibile esset, vt natura humana, quæ postquàm à Deo aversa est, bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere posset, multò possibilius hoc haberet natura Angelica, quæ quanto minùs grauatur corporis terreni pondere, tantò magis hac esset prædita facultate, & hoc habere posset.* Minor denique constat ex eo quòd tale opus non excedit vires naturæ, etiam lapsæ in peccatum: vt suppono ex tractatu de gratia. De quó videatur noster Felix *tractatu de Gratia cap.* 4. *diff.* 8.

19 Secundò probatur conclusio ex eo, quòd dœmon potest nolle pœnam, in quantum est læsiva naturæ sine eo, quòd in hac nolitione ponat aliquam malam circumstantiam, sed iste actus est moraliter bonus: ergo potest aliquod opus morale vndequaque bonum efficere. Consequentia tenet. Maior videtur certa: non enim apparet; quid cogat dœmonem ad ponendum aliquam malam circumstantiam in eo actu, Minor etiam videtur certa: est enim conforme rationi, & consequenter moraliter bonum, amare propriam naturam.

20 Hanc conclusionem defendunt Scotistæ, præsertim *Tartaretus*, *Bassolius*, *&* *Angles*, *citati à Suarez lib.* 8. *capite* 8. *num.* 1. citat etiam *Durandum*, & dicit, quòd pro ipsa refertur *Pelbartus*. Quibus addo Pilosum *disput.* 22. *art. vltim. num.* 3. *&* *Fabrum disputat.* 33. *caput* 5. *a numero* 37. Quod, & probabiliter defendit Scotus *in* 2. *distinct.* 7. §. *Quantum ergo vers. Vel si habeat, & in* Report. *ibidem* §. *Ad tertiam quæstionem vers. Secundo dico.*

21 Sed dœmonem non posse efficere opus morale vndequaque benè circumstantionatum, defendunt D. Thom. 1. *p. quæst.* 64. *articulo* 2. *ad* 5. *Magister sentent. D. Bonavent. Albertus*, *Richardus*, & multi alij, quos citant, & sequuntur, præsertim Suarez *livro* 8. *capite* 8. *numero* 4. *&* *Vazquez disput.* 241. *capite* 1. *numero* 2. Auctores tamen

men huius sententiæ bipartiuntur: quidam enim dicunt, dœmonem semper peccare ex malo fine. Alij autem dicunt, eum semper peccare, quia non ponit circumstãtias debitas. Sed quidquid sit de isto dissidio, obijciunt nobis Scotum locis *num.* 20. citatis oppositum docentem. Respondetur esse problematicum; vt constat ex locis à nobis ibi adductis.

22. Addo, quòd nostra conclusio magìs consonat principijs Scoti; nempè illi doctrinæ, quòd Beatus potest peccare. De quo Scotus *in* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 6. § *Dico ergo.* Videatur etiam Felix *tractatu de Beatitudine capit.* 4. *diffic.* 2. Consonat etiam nostra conclusio illi Scoti doctrinæ; quòd Christus Dominus ex vi vnionis non redditur impeccabilis. De quo Scotus *in* 3. *dist.* 12. § *De secundo*, & nos, Deo dante, dicemus *in tractatu de Incarnatione*: Igitur, si in sententia Scoti est certum, quòd Beatus non amisit potentiam peccandi, & consequenter, quòd peccare potest, adhuc stante visione, & fruitione beata, quamvìs aliàs numquam sit peccaturus, & quamvis aliàs sit firmatus, seu confirmatus in bono: certum vtique debet esse, quòd dœmon non amisit potentiam ad benè moraliter operandum, etsi aliàs numquam benè foret operaturus, seu etsi aliàs in malo sit obstinatus. Idem expendo de humana natura Christi Domini: quæ non amisit potentiam peccandi per vnionem ad Verbum. Ad rem ergo: cùm hæc vtraque doctrina certa sit in principijs Scoti: etsi ipsemet Doctor solùm probabiliter defendat, dœmonem non manere necessitatum ad malum: & consequenter posse elicere actum moralem vndequaque bonum. Meritò nos; & communiter Scotistæ hoc absolutè defendimus, tamquam eius doctrinæ magìs consentaneum.

23. Quare, si alicubi doceat Scotus, Angelum bonum iam Beatum non posse velle malum; aut malum Angelum non posse velle bonum; interpretandus est de potestate; aut potentia consequenti; non autem de antecedenti. Itaque eò quòd Beati numquam peccabunt, dicuntur carere potentia peccandi, seu dicuntur impeccabiles: non autem quia peccare, non possint potentia antecedenti. Pariformiter de diabolo est dicendum, si alicubi doceat Scotus, aut aliquis Patrum, non posse elicere actum moralem vndequaque bonum. Solùm, inquam, negatur potentia consequens, seu quòd aliquando facturus sit tale opus: non autem, quòd careat potentia

an-

antecedenti, seu libertate, aut aliquo alio principio ad tale opus requisito.

24. Obijciunt secundò: dæmon est firmatus, seu obstinatus in malo: ergo nequit elicere aliquem actum bonum. Patet cōsequentia primò, quia obstinatus semper est in peccato actuali, vel saltem habituali. Secundò, quia caret auxilio ad benè operandum requisito. Respondetur negando consequentiam. Ad primam probationem dico, nullum actum, aut habitum necessitare voluntatem, ita vt ei tollat potentiam ad oppositum; & multo minùs ad bonū, quod cum illo peccato non opponitur. Ad secundam probationem dico, nullum requiri auxilium gratiæ ad benè moraliter operandum: vt ex tractatu de gratia suppono cum communi sententia contra Vazquez, & paucos alios.

25 Obijciunt tertiò: ad opus perfectè bonum requiritur non solùm quòd sit iustum, sed etiam quod fiat iustè, hoc est propter bonum finem: *ex* 2. *Ethic. cap*, 4. Sed dœmon non potest velle aliquod propter bonum finem: ergo non potest elicere aliquod bonum opus morale vndequaque circumstantionatum. Probatur minor: quia dæmon est obstinatus in malo. Respondetur negando minorē. Ad probationem dico, quòd ex obstinatione non probatur, non posse habere pro fine honestatē, aut bonitatem ipsius virtutis: quamvis enim dæmon sit obstinatus in malo circa Deum, ipsum perpetuo odio prosequendo; non propterea debet se ipsum odio prosequi. Addo, quòd etsi circa quodcumque obiectum esset dæmon in actuali obstinatione, & odio: illa tamen necessitas non esset antecedens, sed consequens: cùm posset liberè cessare ab odio illius obiecti, & posset illud diligere pro instanti sequenti. Immo etsi nō posset simul coniungere odium, & amorem circa idem sub eadem ratione formali; tamen pro eodem instanti, in quo odit Deum, non amittit potentiam physicam ad illum amandum: sicut qui sedet pro eodem instanti habet potentiam standi. Et ratio est, quòd nulla est incompósibilitas inter duas potentias oppositas, seu (propriùs loquendo) oppositorum actuum; aut inter vnam potentiam, & actum oppositæ potentiæ. Ex quibus satis constat, quòd dæmon ad benè moraliter operandum habet potentiam antecedentem; vi cuius absolutè dici potest, quòd potest benè moraliter operari: etsi numquam sit benè operaturus: Sicut peccator, dum actualiter peccat, habet potentiam ad non peccandum,

& absolutè dicitur potens non peccare.

26 Obijciunt quartò: sine generali concursu Dei, non potest creatura aliquid operari. Sed dæmoni (idem est de alijs damnatis) Deus denegat concursum generalem ad opus moraliter bonum: ergo illud efficere non potest. Probatur minor: quia hæc denegatio videtur esse iusta pœna peccatorum. Respondetur negando minorem. Tùm, quia ista denegatio esset perpetua violentia. (quam in pœnam peccati, non renuit admittere Suar, *lib.8.cap.9.num.17.* Sed immeritò: quia sine vrgentissima necessitate violentia miraculosa, & præcipuè perpetua non debet admitti;) Tùm, quia ex Dionysio *lib. de divinis nominibus cap.4.* naturalia dæmonis manserunt integra: non autem possunt manere integra, posita divini auxilij denegatione. Tùm, quia, si iste concursus Dei non spectet ad actum primum, (vt mihi est certum) impotentia proveniens ex denegatione concursus, erit consequens: atque adeò dæmon absolutè dicetur posse efficere opus bonum. Sicut absolutè dicitur ignis verbi gratia calefacere, aut ignifacere, antequàm aliquid de generali concursu Dei cogitemus. Et meritò; quia, vt ignis v. g. dicatur posse calefacere, aut ignifacere, solùm requiritur, quòd in actu primo habeat virtutem calefaciendi, aut ignifaciendi: quam habet omninò independenter à generali concursu: isto enim tantùm eget ad operationem eliciendam. Quare in rigore sermonis dici potuit de illo Babylonis igne non cremante tres pueros, quòd haberet virtutem cremandi; quamvis aliàs defectu divini cōcursus de facto non cremaverit.

27 Instabis: dæmon numquam est benè operaturus moraliter propter ingentem eius obstinationem: vt cum Scoto notant communiter. Prætereà nullum opus bonum ei proderit: cùm iam sit in termino: ergo frustra ei procuratur concursus generalis ad opus bonum. Respondetur, negando consequentiam. Non enim negamus concursum generalem ad benè operandum finaliter reprobo; quamvis certum sit, quòd finaliter non operabitur benè. Prætereà poterat negari quòd dœmon numquam sit benè moraliter operaturus: etenim hoc non est omninò certum: vt patet ex Scoto *in 2. distinctione 7. §. Quantum ergo in fine.* Insuper ex eo quòd dœmon iam sit in termino: & consequenter nullum opus bonum

num ei sit suffragaturum ad eripiendum se ab illo statu; non infertur denegatio auxilij generalis; aut quòd numquam sit tale opus effecturus. Aliàs de beatis diceretur, quòd carent generali concursu; aut quòd non exeunt in actus bonos: si quidem isti, illis non prosunt ad merendum. Addo, difficulter satìs negari, quòd sit opus bonum remorsus conscientiæ de amissione beatitudinis, quam patiuntur damnati; detestatio peccati, quatenus est inductivum pœnæ disconvenientis suæ naturæ; impeditivum beatitudinis, &c.

28 Denique obijciunt multas Scripturæ, & Patrum auctoritates, quibus dicitur, nullum posse benè operari in inferno. Sufficiat illud *Ioan.* 9. *numero* 4. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Et illud *Ecclesiastes* 9. *numero* 10. *neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia erunt apud inferos*. Item D. Greg. 9. *Moral capit.* 48. dicit, in damnatis nihil ordinatè fieri posse. Respondetur cum Piloso *disput.* 22. *artic. vlt. numero* 6. loqui de bono supernaturali, meritorio, seu conducente ad salutem. Respondetur secundò solùm negari potentiam consequentem, seu quòd aliquando benè operaturi sint damnati aliquod opus vndequaque bonum. Non autem negatur potentia antecedens. Hæc enim non est neganda sine vrgente ratione: vt notat Scotus *in* 2. *dist.* 1. 7. §. *Quantum ergo vers. Vel si.* Et ideo in Beatis conceduntur communissimè potentiam generativam, nutritivam, &c. quamvìs aliàs numquam habituræ sint actus.

DVBIVM VIII.

29 PEtes octavò, an dœmon ita sit obstinatus, vt non possit efficere aliquod opus bonum, quo de congruo disponatur ad recipiendum gratiam sanctificantem? Respondetur affirmativè. Quia est in termino: & consequenter extra statum merendi. Secundò, quia ad tale opus non sufficiunt vires naturæ cum communi concursu, sed requiritur auxilium supernaturale gratiæ per Christum. Sed sine aliquo fundamento poneretur tale auxilium in dœmone: ergo sine fundamento concederetur dæmoni potentia ad tale opus. Consequentia est legitima. Maior constat ex Trid. *sess.* 6. *capit.* 5. dicente: *ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præveniente gratia sumendum est.* Minor demum videtur certa: quare enim in damnationis statu ponendum erit aliquid

DVBIVM X.

32 PEtes decimò, an dœmoni inflicta fuerit pœna damni? Respondetur affirmativè. Quia ista est præcipua pœna peccati mortalis.

De pœna sensus Angelo inflicta.

DVBIVM XI.

33 PEtes vndecimò in quo consistat pœna sensus Angelorum? Respondetur, non consistere in hoc, quód aliquid patiantur per sensum: sunt enim insensibiles, seu incapaces sensationis. Sed cõsistit in hoc, quòd à Deo alligentur, seu in voluntarie detineantur in igne, glacie, vel quovis alio id generis afflictivo sensibili, iuxta illud *Psal.* 148. *num.* 8. *igni, grando, nix glacies, spiritus procellarum pars calicis eorũ.* Vnde constat, pœnam sensus in Angelo dici penes ordinem ab obiectum sensibile disconveniens, seu afflictivum, non autem penes ordinem ad sensum, seu sensationem Angeli.

34 Constat etiam ex dictis duobus numeris præcedentibus, Angelos pati pœnam tàm damni, quâm sensus. Et meritò, quia per peccatum se averterunt à Deo, & converterunt ad creaturam. Pœna autem damni correspondet aversioni; & pœna sensus conversioni: vt ex D. Thom. notant communiter, præcipuè Suarez *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 4. sed circa pœnam sensus dœmonum (Idem est de pœna sensus animarum extra corpus existentium) est antiqua, & gravis difficultas. Nõ enim facilè percipitur, quomodo ignis (quem supono esse verum, & corporeum) posit cruciare Angelos, & animas separatas, qui sunt purè spiritus. Hoc tamen iam iam explicamus.

DVBIVM XII.

35 PEtes duodecimò, an ignis inferni cruciet malignos spiritus? Respondetur affirmativè. Quiâ *Matth.* 25. *n.* 41. dicitur. *Ite maledicti in ignẽ æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius* Et D. Gregorius *dialogo* 4. *cap.* 30. *si diabolus eiusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ antequam corpora recipiant, corporea possint sentire tormenta?* Et August. 21. *de Civ. cap.* 10. *Cur non dicemus, quamvis miris, veris tamen modis spiritus in corporeos posse pœna corporalis ignis affligi?*

DVBIVM XIII.

36 PEtes tertiòdecimò, quomodò ignis inferni cruciet Angelos? Respondetur quòd causando in eis tristitiam

tiam. Quia difficulter explicari potest, quid aliud ignis possit in Angelo causare. Ita Scotus *in 4. d. 41. q. 2. à §. Ad quæstionem* & cũ ipso multi alij, etsi non ita clarè loquantur. De quo videantur, præsertim *Vazq. disp. 243. per totã, Suar. lib. 8. cap. 14.*

37 Hinc reijcitur sententia affirmãs, per ignem cruciari dæmones eò tantùm quòd apprehendant se ab ipso cruciari. Quę sententia fuit *Avicenæ 9. Metaph. cap. vlt. Alberti Magni*; & probabilem reputat Bonavent. apud Vazquez *ibi num.* 2. Sed contra, quòd immeritò admittitur in Angelo ista falsa existimatio. Prætereà sic philosophantes non salvant, quòd ignis verè cruciet: quod necessariò est salvandum propter multa Scripturæ, & Patrum testimonia hoc apertè clamantia. Sufficiat nobis illud *Matth. 3. num.* 12. vbi dicebat Baptista, quòd Christus Dominus *paleas* hoc est, reprobos, *comburet igni inextinguibili.* Patres autem passim vocant illum ignem cremantem, & cruciantem. De quo præsertim legatur Suarez *lib. 8. cap. 13. à num* 17. adducens *Cyprianum, Gregorium Augustinum, &c.* & plura Scripturæ testimonia.

38 Sed obijcit hic modus philosophandi Divum Gregorium 4. *libro dialogorum capitulo* 29. vbi de spiritu, qui cruciatur in inferno dicit: *ignem namque eo ipsâ patitur, quòd videtur; & quia cremari se aspicit, crematur*: ergo sensit Gregorius quòd spiritus cremantur ab igne, non verè, sed per solam apprehensionem. Respondetur negando consequentiam: subiungit enim ibi Gregorius *per ignem corporeum mens incorporea etiam in corporea flamma cruciatur*: & infra: *Quamvis colligere ex dictis Evangelicis possumus, quia incendium animæ non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur.*

39 Obijcit secundò, quòd forma apprehensa aliquando nõ minùs animum torquet, quàm si vera esset: ergo ignis per apprehensionem potest torquere Angelum: Antecedens constat multiplici experientia, præsertim somniantium. Respondetur negando consequentiam; Tùm, quia Angelus (saltem naturaliter) nequit ita deludi, vt tã quàm malum, & sibi disconveniens apprehendat id, quod re vera malum, & disconveniens sibi, non est. Tùm, quia sic philosophando non propriè salvantur verba Scripturæ, & Patrum, qui passim affirmant, ignem inferni cremare, & cruciare spiritus; vt *num præcedenti* expẽdebamus.

40 Item reijcitur sententia affirmans, ignem cruciare Angelum immittendo in eum suum calorem, aut aliam qualitatem, non secus ac cruciaret corpus ei imprimendo calorem.

Pro

Pro qua ſententia Suarez *libro* 8. *capitulo* 14. *à numero* 24. adducit *Henriquez & Sotum*. Sed contra hanc ſententiam ſtat, quòd difficulter explicare poteſt, quomodò corporeus ignis producat calorem, aut ſimilem qualitatem in purè ſpirituali.

41 Sed obijcies pro hac ſententia; quòd phantaſma eſt quid corporeum: ſed concurrit ad productionem ſpeciei intelligibilis, quę eſt quid ſpirituale: ergo ſimiliter ignis corporeus poterit producere calorem, ſeu aliam qualitatem ſpiritualem in Angelo, per quam crucietur. Maior eſt certa: minorem docet Scotus *in* 1. *diſt.* 3. *quæſtion* 8. §. *Ad primum verſiculo Ad primum autem*. Reſpondetur negando conſequentiam, aut paritatem: quia phantaſma ſolùm partialiter concurrit ad productionem ſpeciei intellegibilis; ignis verò totaliter produceret calorem, aut illam aliam qualitatem in Angelo.

42 Adderem, ſi ad ſolutionem huius argumenti eſſet neceſſarium, quòd phantaſma adhuc partialiter non concurrit efficienter ad productionem ſpiciei intelligibilis, ſed ſolùm tamquam exemplum, ad cuius ſimilitudinem intellectus agens format ſpeciem intelligibilem. Non enim eſt facile explicatu, quomodo corporeum illud phantaſma concurrat ad producendum ſpiritualem illam ſpeciem intelligibilem, etiam ſi tantùm partialem concurſum ei concedamus. Poſſetque Scotus citatus explicari de cauſa exemplari: ibi enim nòn diſputabat, an phantaſma concurrat efficienter: ſed an obiectum in ſe, aut in ſua ſpecie ſit principalior cauſa cognitionis, quàm pars intellectiva? vel è contra? Quare etſi fateamur, quòd tàm intellectus quàm obiectum ſpirituale, aut eius ſpecies intelligibilis concurrant partialiter efficienter ad producendum notitiam; hoc tamen non eſt neceſſarium fateri de intellectu agente, & phantaſmate reſpectu productionis ſpeciei intelligibilis: ſed phantaſma poſſet dici morale inſtrumentum reſpectu illius; quatenus ad præſentiam phantaſmatis intellectus agens format ſpeciem intelligibilem. Sicut Scotiſtæ cum multis alijs dicimus, ſacramenta eſſe moralia inſtrumenta productionis gratiæ; eo quòd Deus ad præſentiam ſacramentorum producit gratiam. In hunc ſenſum voco Scotum *in* 4. *diſt.* 44. *quæſtione* 2. §. *Ad argumenta verſic. Sed quia* dicentem, quòd reſpectu cremationis animarum *ignis agit, vt inſtrumentum* Dei: & ſubdit: (expende) *ſicut phantaſma ſe habet ad intellectum agentem*.

43 Di-

43 Dices pro sententia Henr. Deum imprimere in Angelo propter eius peccatum quemdam habitum supernaturalem, per quem subijcitur igni corporeo, vt posit ab illo pati. Sed contra, quod, si ille habitus est corporeus, non potest recipi in Angelo: sicut nequit recipi al bedo. Si autem sit spiritualis, manet Angelus æquè improportionatus, ac sine illo ad recipiendũ passionem ab igne.

44 Insuper ex nostra conclusione reijcitur sententia Suarez *lib. 8. cap. 14. à num. 41. Pesantij, & Zumelis* affirmantium, ignem, vt instrumentum Dei, producere in Angelo, & anima separata, qualitatem spiritualem sibi dissonã, (sicut qualitas dolorifica est dissona corpori) aut fœdantem; sicut gratia sanctificans est qualitas pulchrificans Angelum, aut animam. Sed contra, quod corporale non potest (adhuc obediẽtialiter) causare spirituale: aliàs posset assumi quodlibet ad producendum quodlibet: & consequenter posset musca assumi, vt instrumentum ad producendum Angelum. Præterea non facilè explicatur, quomodo illa qualitas sit dissona animæ, aut Angelo. Quia calor v.g. ideò est dissonus aut disconveniens aquæ; quia ab illa aufert frigiditatem, quę est aquæ connaturalis. Sed ista qualitas nihil tollit ab Angelo: ergo non est illi dissona, seu disconveniens. Patet consequẽtia; quia entitas ista spiritualis, si nihil tollit ab anima, potiùs illam perficit, quàm fœdat.

45 Manet ergo firmata & cõfirmata conclusio illa *n. 36.* posita, nempè, ignẽ inferni cruciare Angelum (aut animam separatam) causando in illo tristitiam.

DVBIVM XIV.

46 PEtes quartòdecimò, quomodò ignis causet in Angelo tristitiam? Respondetur, quòd duos modos probabiles assignat Scotus *in 4. distinct. 44. q. 2. a. §. Ad quæstionem*, quos Scotistæ, & multi alij secuntur, & quos nos singulatim propugnabimus.

Primus modus propugnatur.

47 PRimus modus, quo Angelus (& anima separata) torquetur ab igne inferni, seu ab ipso igne in Angelo causatur tristitia, est per detentionem, seu alligationem, quam cum illo igne patitur contra suam voluntatem. Quod sic explicatur, Angelus propter libertatem suam cupit affectu commodi esse in quocumque loco disiunctivè, seu saltem vult non detineri in aliquo determinato loco, præcipue ex sententia Dei. Deus autem in pœnam sui peccati detinet

tinet dœmonem in igne, seu alligat illũ cum igne, itaut ad aliũ locũ nequeat transire defectu generalis concursus, aut alio fortè modo. Quã detẽtionem, seu alligationem dœmon non vult, respuit, & impatienter tolerat: ex qua nolitione detentionis, seu alligationis cum igne oritur tristitia: ista enim *est ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*: vt docet August. 14. *de Civit. cap.* 15 citatus à Scoto *ibi* § *& versi. Ad quæstionem.*

48 Quòd iste modus tristandi sit possibilis, suppono ex dictis. Quòd autem de facto ponendus sit in dœmone probat Scotus *ibi versic. Exemplum* ex D. Gregorio *dialogorum lib.* 4. *cap.* 30. dicente: *si viventis hominis spiritus in corporeus tenetur in corpore; cur non post mortem incorporeus spiritus corporeo igne teneatur?* Igitur cùm eadem sit ratio de Angelo, ac de spiritu, aut anima separata; si ista alligantur cum igne; profectò & Angelus malus de facto detinetur, aut alligatur ad ignem. Sed idem de Angelis expresse affirmat D. Petrus *epist.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. verbis istis: *si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradit cruciandos, &c.* Ex hac ergo alligatione, seu detentione nolita oritur tristitia in Angelo: & propter hoc dicitur cruciari ab igne.

49 Hunc modum causandi tristitiam defendit Scotus *in* 4. *d.* 44. *q.* 2. §. *Ad quæstionem, & cum ipso Scotistæ*: ex alijs autem *D. Th.* 1. *p. q.* 64. *art.* 4. *ad* 5. *D. Bonav. Durand. Maior, Gabriel Palud. Ricard. Ægidius, Caiet. Ferrara, & Capreolus*, quos citant, & secuntur Recentiores, præsertim *Vazquez disp.* 263. *cap.* 4. *à n.* 24. *& Suar. lib.* 8. *cap.* 14. *à num.* 4.

50 Sed contra hunc modũ obijcies: dœmon est spiritus: ergo non potest illi esse cõveniẽs, aut disconveniẽs ignis, aut aliud corpus: ergo non potest pati ab illo. Patet vltima consequentia; quia in corporalibus vnum corpus solùm potest dici pati ab alio sibi disconveniente, seu contrario. Respondetur negando vltimã consequentiam. Ad probationem dico, in corporalibus fortè non esse alium modum patiendi, nisi per contrarietatem corporum, in spiritualibus autẽ patiuntur Angeli, & animæ separatæ nolendo aliquod obiectũ; ex hac enim nolitione causatur tristitia; quę affligit subiectum, in quo recipitur. Cùm ergo ad hanc tristitiam causandam concurrant & obiectum, (quod in proposito est ignis) & nolitio; ab vtroque dicitur causari tristitia, quam patiuntur Angeli, & animæ separatę.

51 Obijcies secundò, quòd, admissa illa alligatione cum igne, ignis esset locus, aut quasi locus dœmonis: ergo formaliter

ter detineret locatum, seu dœmonem per relationem extrinsecùs advenientem; (vt philosophamur Scotistæ) aut per modum quemdam realem, aut per denominationē extrinsecam; secundùm diversa placita: ergo formaliter, & non efficienter (principaliter, aut instrumentaliter; physicè, aut moraliter) affligit dœmonem. Modo sic, Sed non apparet, quomodò prædicta relatio, modus, aut extrinseca denominatio possit affligere, aut cruciare Angelum: ergo nō cruciatur per illā alligationem. Respondetur negando secundā consequentiam. Itaque dœmon odit alligationem ad ignem; & ex tali odio, seu nolitione alligationis oritur in eo tristitia, qua torquetur. Ad quod parum refert, quòd alligatio sit relatio, modus, aut denominatio. Quare etiam est falsa minor subsumpta: quidquid enim sit prædicta alligatio, ipsa vt nolita causat tristitiam, qua dœmon torquetur.

52 Obijcies tertiò: tristitia in dœmone oritur ex nolitione alligationis cùm igne: ergo æquè grandis tristitia oriretur in dœmone, & ipsum affligeret, si ex sententia Dei detineretur in loco iucundissimo, seu ei alligaretur. Respondetur, ita esse, si æquè invitus ibi detinetur: vt apertè probat exemplum adductum à Scoto *in 4. dist. 44. quæst. 2. § Ad quæstionem versiculo Exemplum* Est igitur exemplum hominis desiderantis mori: ille enim tristatur de vita; etsi aliàs vivere sit quid pretiosissimum, & iucundissimum. Itaque vita nolita causat tristitiam in illo.

53 Contra: nolitio est ab ipso dœmone: ergo poterit ipsam suspendere; ac per consequens non tristari. Respondetur distingendo consequens: est enim mihi verum (quidquid renuant aliqui Scotistæ) de potentia physica, seu antecedenti: & falsum de consequenti. In præsenti enim pariformiter philosophor de damnato respectu suspensionis illius nolitionis; ac de beatis philosophamur Scotistæ respectu suspensionis amoris beati. Igitur cùm dœmon ad præsentiam ignis numquam suspendat, aut suspensurus sit nolitionem detentionis in igne, seu alligationis ad illum, numquàm poterit (potentia consequenti) cessare à tristitia: in nullius enim potestate est immediatè tristari, vel non tristari, semel posita apprehensione, & nolitione alicuius noliti: vt acutè observat Scotus *in 4. distinct. 4. quæst. 2. §. Ad quæstionem versiculo Sed vlterius.*

54 Instabis: ex propria nolitione Angeli circa alligationem nascitur tristitia, qua cruciatur: ergo cruciatur à se ipso, & non ab igne. Respondetur negando consequentiam. Quia

etsi

etsi tristitia de morte patris mei v.g. quam intulit inimicus, oriatur ab odio, seu nolitione, quam ego habeo circa illam mortem: tamen in communi modo loquendi non dicitur, quòd ego mihi infero tristitiam, sed quòd mihi illam intulit inimicus, aut mors ipsa. Et ratio est, quòd obiectum odibile est propria causa, à qua oritur tristitia, apprehensio autem, & nolitio talis obiecti solùm sunt approximationes, aut conditiones, vt obiectum causet tristitiam in voluntate. Nec refert, quòd aliquando prædictæ conditiones vocentur causę tristitię: etenim conditiones se tenentes ex parte causæ aliquando sibi vsurpant causæ nomen.

55 Obijciunt quartò: ignis inferni omnes Angelos, & animas detinet æqualiter, seu alligatio ad ignem est æqualis in omnibus damnatis: ergo omnes æqualiter cruciantur tristitia ab illa alligatione orta, seu æqualis tristitia est in omnibus. Respondetur negando consequentiam: quia etsi detentio formalis sit æqualis, non tamen nolitio, ex qua oritur tristitia, saltem tamquam ex approximatione, seu conditione. Obijciunt quintò, quòd multi dæmones sunt in aere caliginoso: ergo non cruciantur alligatione locali ad ignem. Respondetur quòd tunc cruciantur alijs tormentis ex dispositione divina. Respondetur secundò cum D. Thoma quòd apprehendunt se esse ligatos; & sic cruciantur. Respondetur tertiò cum Beda Bellarmino, &c. quòd aliquam partem ignis secum ferunt, cum qua semper sunt ligati.

Propugnatur secundus modus.

56 Secundus modus, quo ignis inferni cruciat Angelum, (& animam separatam) seu quo ab ipso igne in Angelo causatur tristitia, qua torquetur, est per alligationem eius intellectus cum ipso igne in ratione obiecti. Itaque sic Deus alligat potentiam intellectivam Angeli ad considerandum ignem, vt à tali consideratione numquam cessaturus sit; & cùm aliàs Angelus sit liber ad considerandum quodcumque obiectum, & ad cessandum à consideratione huius; odit, seu non vult talē alligationē: ex qua nolitione oritur tristitia, qua cruciatur. Vnde patet, quòd hęc omnia reperiuntur in præsenti. Primò intellectus Angeli ab igne determinatur ad perpetuò considerandum illum in ratione obiecti. Secundò apprehendit talem determinationem ad illam considerationem. Tertiò odit, respuit, seu non vult talem de-

determinationem: quæ nolitio oritur ex affectu cõmodi. Quartò sequitur apprehensio de evẽtu certo talis considerationis internæ, & perpetuæ. Quintò demum sequitur tristitia; qua maximè cruciantur dœmones.

57 Hunc modum tradit Scotus *n* 4. *d*.44 *q*.2. § *De secundo modo*, & cum ipso Scotistę, & multi alij ex auctoribus *num*.49. citatis, qui hunc modum confundunt cum priori: Scotus autem *à versic. Quoad aliquid* aliquot differentias assignat inter hos duos modos alligationis ad ignem. Prima est, quòd iuxta primum modum ignis detinet dœmonẽ formaliter in loco, & Deus effectivè: at iuxta secundũ ignis effectivè detinet Angelum, non vt agens principale, sed vt instrumentum Dei, & virtute ipsius: quia ignis ex natura sua non habet vim ad detinendum Angelum in continua, & perpetua cõsideratione sui: sed ad hanc cõtinuam, & perpetuam considerationem Deus & ignis concurrunt; sicut intellectus agens, & phantasma ad movendum intellectum passibilem: vt notat Scotus *ibi versic. Ideo*. Differunt etiam hi duo modi in hoc, quòd multò magis odit Angelus perpetuã considerationem ignis; quâm detentionem in igne, vt in loco: cùm impediat vsum perfectioris potentiæ. Vnde etiam oritur alia differentia, nẽpè quòd ex illa maiori nolitione originatur maior tristitia, qua cruciatur dœmõ

58 Igitur quòd hic modus alligandi intellectum cum igne in ratione obiecti immutãtis illum sit possibilis, constat ex eo, quòd in hoc non apparet aliqua repugnantia. Et confirmatur instantia illius qui aliquem vehementem dolorem patitur, qui ferè nequit in eo non cogitare. Insuper & exemplo phantasmatis; in cuius præsentia ita determinatur intellectus, vt ipsum nequeat non speculari. Sic ergo alligari potuit vis intellectiva Angeli ad continuò, & perpetuò considerandum ignem. Quòd autem sic contingat de facto probatur locis *num*. 48. adductis, quæ cùm, non distinguant de qua alligatione, seu detentione loquantur, aptè intelliguntur de obiectiva.

59 Sed contra hunc modum philosophandi obijcit sibi Scot⁹ *ibi § De secundo versic. Contra*: ignis agit in intellectum solùm intelligibiliter, hoc est, tamquam obiectum imprimens speciem sui, & consequenter partialiter imprimens, aut efficiens cognitionem sui ipsius: sed talis actio, seu impreßio est conveniens intellectui, seu iuxta inclinationẽ illius: ergo potiùs causabit delectationem, quâm tristitiam: & consequenter in hoc non consistet pœna dœmonis. Respondetur negando consequentiam: quia per tristitiam, quæ in posteriori

riori naturę oritur à nolitione, seu odio ipsiusmet ignis vt cogniti, aut ipsiusmet cognitionis ignis impeditur intellectio, ne causet delectationem, quam nata est causare, & quam aliàs causaret, si subiectum esset capax illius.

60 Dices: ergo saltem apprehensio, vt in priori naturæ posita causabit delectationem. Respondetur cum Scoto *ibi versic. Etsi* negando: quia subiectum illud in eodem instanti reali tēporis habet tristitiam vehementem: hęc autem excludit omne gaudium, non solùm contrarium, sed etiam impertinens *ex 7. Ethic. cap.* 18. Et ratio est, quod, quando duo agentia, seu duo principia agendi simul concurrunt ad agendum circa idem passum, non tàm attenditur ad prioritatem naturæ, quàm ad maiorem efficaciam agendi. Quare cùm cognitio ignis, vt nolita, sit efficacior ad causandum tristitiam, quàm ipsamet cognitio ad causandum delectationem: (vt constat quoties quis tristatur ex apprehensione alicuius noliti, quod aliàs sibi esset iucundum: vt patet in desiderante mortem, qui tristatur ex nolitione conservationis vitæ) fit, vt causet tristitiam, & impediat delectationem; quam aliàs causaret cognitio ipsa nude sumpta, aut si non esset nolita.

61 Obijcies secundò: ignis solùm intentionaliter cruciat: ergo idem potest facere lapis, sol, &c. Respondetur, ita esse, si Angelus æquè invitus determinaretur ad cogitandum de lapide, &c. vt *numero* 52. notabamus de involuntaria detentione in loco iucundissimo. ¶ Notant tamen communiter cum Divo Thom. *quæst. de Anima art.* 21. ignem habere maiorem proportionem ad excitandam tristitiam in Angelo, aut anima separata per immissionem specierum intentionalium; eoquòd species intentionalis ignis, & combustionis circa corporalia causat horrorem, & tristitiam. Et propter hanc proportionem spiritualium ad corporalia assumit Deus ignem, & alia corporaliter afflictiva ad torquendum dœmones: sicut ad lavandum animam per gratiam baptismalem assumpsit aquam propter similem proportionem. Cuius simile in reliquis sacramentis reperitur.

62 Obijcies tertiò: ignis purgatorij est eiusdem rationis, ac inferni, saltem quoad effectum cruciandi spiritum, Sed anima purgatorij non habet nolitionem, & tamen tristatur de alligatione ad ignem, seu de detentione in illo: ergo pœna, seu tristitia in anima purgatorij, & à simili in dœmone, non oritur ex nolitione. Consequentia est

legitima: maior constat per se; cùm tàm in inferno, quàm in purgatorio crementur spiritus: & prætereà colligitur ex illo 1. *Chorint. capite* 3. *numero* 15. *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: vt explicat Ambros. citatus à Suarez *libro* 8. *capite* 14. *numero* 13. vbi etiam citat Augustinum hoc magis confirmantem. Minor demum probatur ex eo, quòd anima purgatorij conformatur cum Deo sibi pœnam infligente. Respondetur negando minorem. Ad probationem dico, quòd, etsi anima purgatorij volitione absoluta orta ex appetitu rationali, seu ex inclinatione, quam habet ad sequendum regulas rationis, se subijciat Deo infligenti illas pœnas: tamen nolitione conditionata (hac scilicet conditione, si esset possibile, aut si Deus sic disponeret) odit illam alligationem cum igne. Et ex hac nolitione oritur tristitia. Vt orta fuit in Christo Domino, qui etsi absolutè se subiecit divinæ voluntati, dicendo, *non sicut ego volo, sed sicut tu*: *Matth.* 26. *numero* 40. iam tamen dixerat: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*. Potest etiam exemplificari in proijciente merces in mare cum tristitia; in sumente potionem amaram. &c. in quibus tristitia illa, & difficultas, qua actiones istas exercent, nascitur ex nolitione quadam conditionali proijciendi merces, & sumēdi potionē, &c. Nota, quòd tàm in istis, quàm in Christo Domino nolitio conditionata ortum ducit ab appetitu commodi, seu ab inclinatione, qua voluntas naturaliter propendet in proprium commodum.

63 Obijcies aliquos Patres dicentes, *animas pati non solùm incendium videndo, sed etiam experiendo*. Respondetur, ita esse: non enim patiuntur tristitiam præcisè videndo incendium; sed ipsum nolendo: posita autem nolitione circa illud, ipsum experiuntur, non per physicum contactum, sed per tristitiam ab ipso, vt nolito derivatam.

DVBIVM XV.

64 PEtes quintòdecimò, in qua parte vniversi sit locus inferni? (in quo loco dæmones cruciantur per ignem; & quem dari desiniūt multa cōcilia) Resp certum esse, infernū esse sub terra, (vt declarat ipsum vocabulum) nempè in centro terræ. Quia sicut locus Beatorum est supra omnia alia loca vniversi, & perfectissimus: ita locus damnatorum debet

debet esse infra omnia loca vniversi, & omnium abiectissimus. Quare dicitur, quod infernum circūdat purgatorij locus: & hūc limbus puerorum decedentium cum originali; & demum istum sinus Abrahæ; qui modò est vacuus. De quo videatur Suar. *lib. 8. à cap. 16.*

DVBIVM XVI.

64 PEtes decimòsextò, an in inferno dæmones, & alij damnati crucientur solum per ignem? Respondetur negativè. Quia *Iob 24. numero 19.* dicitur de damnatis *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*. Quæ verba propriè sunt accipienda. Et ideò Divus Hieronymus *Matthæi 10.* explicando nomen *gehennæ* concludit; *duplicem autem esse gehennam nimij ignis, & rigoris in Iob planissimè legimus*. Ad idem est illud *Psalm. 148. numero 8. Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum pars calicis eorum*. Et ratio est, quòd nullum est inconveniens, quod in diversis partibus inferni sint ignis, nix, & alia afflictiva, vt transeundo damnati de vno ad aliud tormentorum genus, eorum pœna sit acerbior. Igitur cum nullum sit incommodum concedere quòd in inferno sint illa diversa afflictiva; præcitata verba Iob, & Psalmi propriè sunt accipienda.

65 Confirmatur diversis revelationibus, præcipuè illa visione, quam refert Beda *libro 5. historiæ Anglicanæ capite 13.* de quodam ægroto, qui post quamdam revelationem narravit, se vidisse in quadam valle hinc flammas terribiles, illinc nivium, & grandinis rigorosum frigus, & animas hinc inde quasi impetu tempestatis iactari, &c. Et quamvis illa pars visionis de loco purgatorij posteà exponatur; eadem ratio censetur de pœnis inferni.

66 Hanc conclusionem defendunt *Hieronymus loco citato, & alibi, Auctor libri de triplici habitaculo*, (Augustino tributi) *Beda, Petrus Damianus, Haymo Halberstatensis, Hugo Victorinus, Hugo Cardinalis, Hugo Etherianus, Innocentius tertius, Divus Thomas, Paludanus, & Durandus*, quos citat Suarez *lib. 8. cap. 12. à num. 22.*

67 Sed in inferno dæmones, (& damnatorum animas) solùm cruciandos esse per ignem docent *Abulensis, Sotus, & Maldonatus* citati à Suarez *ibi numero 28.* quibus ferè consentit ipse *à numero 25.* Pro qua sententia obijcies, quòd ex præcitatis verbis Iob non satis probatur, esse in inferno ni-

vem; aut illum transitum de calore nimio ad nivis frigiditatem: quia verba illa imperando, vel deprecando peccatori mala, seu incommoda huius vitæ videntur dicta: vt satis manifestant verba illa præcedentia, *Maledicta sit pars eius in terra*. Respondetur ex prædictis Iob verbis plenissimè intelligi in inferno esse pœnam nimij ignis, & frigoris: vt docet Hieronymus *numero* 65. citatus; quidquid alij sine aliquo patrono tantæ auctoritatis dicant prædicta verba aliter intelligendo.

69 Obijcies secundò, quòd Christus Dominus sæpe facit mentionem de pœna ignis inferni; nullibi tamen de pœna nivium & aquarum: ergo quia ibi verè & realiter solùm est prędicta pœna ignis; alię autem solùm metaphoricè. Respondetur negando consequentiam: quia ab auctoritate negativa. Sufficit autem, quòd in alio loco scripturæ contineatur, vt re vera continetur *in c.*24. *Iob n.* 19. *&* *in Ps.* 148. *n.* 8. vt vidimus *numero* 65. Respondetur secundò negando antecedens: satis enim pœnam nivis, aut frigoris nivis declarat Christus Dominus, quoties dicit, quòd in inferno erit stridor dentium: vt dicitur *Matth.* 8. *numero* 12. & alibi. Vt enim dicit Hieronymus *stridor dentium de rigore frigoris oritur*. Et idem affirmat auctor libri *de triplici habitaculo* apud Suar. *lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 23.

70 Dices, quòd hi effectus (*fletus*, *& stridor dentium*) non possunt reperiri in dœmone, aut anima separata: quia nec habent oculos, nec dentes: ergo admisso, quòd in inferno sint non solùm ignis, sed etiam nix, aqua, & grando, solùm habebunt prædictos effectus in corporibus hominum; non autem in dœmone, & anima separata. Respondetur, ita esse, si loquamur de his effectibus, vt ipsæ voces sonant. Cum quo tamen cohærent duo à nobis asserta, & ab auctoribus oppositæ sententię negata. Primum est, quòd in inferno non solùm est ignis, sed etiam nix, &c. vt sic verum sit, quòd damnatus transibit *ad nimium calorem ab aquis nivium*: vt loquitur Iob *numero* 65. citatus. Alterum est, quòd dœmones (& animæ separatæ) cruciantur per tristitiam ortam non solùm ex alligatione ad ignem, sed etiam ad nivem, & alia aflictiva. Si enim in inferno non solùm est ignis, sed etiam nix, gracies, &c. sine aliquo fundamēto dicetur, quòd solùm cruciantur dœmones (& anima separata) per alligationem ad ignem; cùm respectu spiritus non habeat maiorem efficaciam ignis, quàm nix,

aut aliquod corporale afflictivum.

De pœna tristitiæ dæmonibus inflicta.

DVBIVM XVII.

71 PEtes decimòseptimò, quid sit tristitia? Respõdetur esse, quamdum spirtualem molestiam ortam ab his rebus, quæ, nobis nolentibus, accidunt. Ita D. Augustinus 14. *de Civit. cap.* 15. ab omnibus receptus, præcipuè à Scoto *in* 4. *dist.* 44. *q.* 2. § *& versic. Ad quæstionem.* Et ratio est, quòd hunc conceptum formamus de tristitia.

72 Extat tamen antiqua satis, & gravis inter auctores controversia, an tristitia sit operatio voluntatis? an passio in ipsa recepta? *Suar. Vazq.* Lorca, *Montes, & communiter Thomistæ* dicunt, esse operationem. Scotus tamē *in* 3. *distinct.* 15. §. *Aliter à versic. Vlterius, Scotistæ omnes, Nominales, Argentina, Henr. immo & D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 31. *art.* 1. affirmant, esse operationem causaliter, formaliter verò esse passionem: sicut in corporalibus rubor, qui oritur ex verecundia, est passio. Et ratio est, quòd si tristitia esset operatio voluntatis, esset velle, aut nolle: sed neutrum est; quia in Angelo beato, & in Deo est velle, & nolle, & tamen non est tristitia: ergo ista non est actus voluntatis, sed passio in ea recepta. Sed de hoc latè in tractatu de beatitudine. Videatur Felix *in prædicto tractatu capite* 4. *diffic.* 5.

73 Circa modum causandi tristitiam extat etiam nō parva difficultas. Quamvis enim tristitia causetur ab obiecto apprehenso, & nolito, itaut obiectū fiat proximè disconveniens per nolle voluntatis: vt satis insinuavimus *à num.* 47. & est probilior modus apud Scotum: vt constat *ex* 3. *distinct.* 15. § *& versic. Præter illum modum tristandi, qui videtur manifestior*: loquebatur autem de prædicto modo causandi tristitiam. Tamen alios modos causandi tristitiam assignat Scotus ibi, & eos probabiles reputat. Primus est, posse causare tristitiam obiectum naturaliter disconueniens, licèt non sit liberè nolitum. Alius est, sufficere obiectum disconveniens appetitui sensitivo, vt voluntas, cum qua est coniunctus prædictus appetitus, & cui tale disconveniens ostenditur, tristetur; & hoc ob connexionem, seu coniunctionem vtriusque potentiæ in eodem subiecto; nec ad hoc requiri aliquod nolle ipsius voluntatis.

74 Hęc omnia probabilia sunt Scoto, nobis tamen in illorum examine non est immorandum: etenim sunt communia

nia modo causandi tristitiam cuicumque subiecto capaci huius passionis; nec de Angelo habent aliquam specialem difficultatem.

DVBIVM XVIII.

75 Petes decimòoctavò, an in dœmone reperiatur tristitia? Respondetur affirmativè. In quo conveniunt omnes Scholastici; & sat[illegible] constat ex dictis *à num.* 47. vnde probavimus; ignem inferni torquere dœmonem, maximam in eo causando tristitiam.

DVBIVM XIX.

76 Petes decimònonò, an tristitia dœmonis sit ita vehemens, vt excludat omnem delectationem? Respondetur affirmativè. Quia *ex 7. Ethic. cap.* 14. excedens delectatio impedit tristitiam: ergo à contrario sensu excedens tristitia (quam dœmones patiuntur) non secum compatitur aliquam delectationem. Confirmatur instantia Beatorum, in quibus excedens gaudium expellit quamcumque tristitiam: ergo excedens dœmonis tristitia expellit quodcumque gaudium. Hanc conclusionem defendunt *Ocham*, *Gabriel* Banuez, *Ripa*; *Cumel*, *& Molina*, (*apud Suarez libro* 8. *caput* 15. *numero* 21.) *quos sequitur Vazquez disput.* 242. *cap.* 4. *numero* 11. Et satis clarè colligitur ex Scoto *in* 4. *distinct.* 50. *quæstion* 3. § *Respondeo versiculo Sed erit*, quatenus affirmat, quòd voluntas Beati est *incapax tristitiæ propter delectationem perfectam, quæ impedit omnem tristitiam*: ergo à contrario sentit, quòd dœmon erit incapax delectationis propter plenissimam tristitiam, quam patitur.

77 Sed Suarez *lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 26. oppositam sententiam, tanquam probabiliorem, defendit; putatque esse conformiorem Divo Augustino; & Divo Thom. & ipsam secuntur *Alensis, & Gregorius citati ab ipso ibi num.* 6. Et obijcit, quòd dœmones aliquando consecuntur id, quod desiderant v. g. suis tentationibus vincere homines; & mitti in porcos, non autem in gehennam quam timebant *Matth*, 8. *n*. 31. ergo adimpletio talis desiderij, & vitatio illius mali causabit in eis lætitiam. Patet consequentia: quia ex consequutione rei appetitæ causatur gaudium, seu lætitia. Respondetur negando consequentiam: ad probationem dico, quòd nimia tristitia impedit talem causationem.

78 Sed contra quòd Beda *lib*. 5. *historiæ Anglicanæ capit*. 13. narrat revelationes, in quibus osten-

ostensi sunt dœmones ducentes animas in tartarum, ipsis animabus flentibus, *& dæmonibus cachinnis crepitantibus, & multum exultantibus*. Immo *Psalm. 12. numero 6.* dicitur: *qui tribulant me exultabunt, si motus fuero*. Quod de diabolo, & Angelis eius intelligit Augustinus: ergo tristitia dœmonis non impedit in eo aliqualem lętitiam. Respondetur negando consequentiam: quia ex illis revelationibus solùm potest colligi, dœmones phantastice, & quoad nos lętari in corporibus assumptis; non tamen quòd verè in sua voluntate lętentur. Itaque in corporibus assumptis sic se gerunt in tentatione hominum, ac se gerunt illi, qui, obtenta victoria, verè delectantur: re vera tamen nullam recipiunt in voluntate lætitiam propter incapacitatem subiecti; cuius summa tristitia impedit in eo qualemcumque lætitiam.

79 Dices, ex eo, quòd Angeli in corporibus assumptis dabant signa lætitiæ in nativitate Domini, efficaciter colligitur, quod interiùs, seu in voluntate habebant gaudium: ergo ex eo, quòd dœmones exultent in corporibus assumptis, efficaciter colligetur, eorum voluntates habere gaudium. Respondetur negando consequentiam: quia in Angelis gloriosis non est aliquid, quod impedire possit illam interiorem lætitiam: & ideò quoties illam exteriùs, seu in corporibus assumptis manifestant, dicimus, illos etiam interiùs gaudere; & oppositum sine aliquo fundamento diceretur. De demone autem, cùm summa tristitia, quam patitur, expellat quamcumque lætitiam: vt *numero* 76. probabimus, dicendum est, exultare quidem exteriùs, seu in corporibus assumptis: vt præfatæ revelationes Bedæ narrant; predictas tamen exultationes cum nulla lætitia interiori, seu existente in voluntate connecti. Sicut philosophantur, qui dicunt, quòd in Deo non omni voluntati signi correspondet voluntas beneplaciti. De quo videatur noster Felix *in Primo principio tractatu de voluntate capite 5. difficultate 1. à numero 5.* Et sicut passim contingit, quòd quis exteriùs demonstrat oppositum illius, quod habet in animo. Sic ergo dœmones exteriùs ostendunt oppositum illius, quod in eorum latet voluntate.

80 Quod adeò verum mihi est, vt existimem, quod ex victoria, quam ab hominibus, quos tentant, reportant, potiùs eis accrescat tristitia interiùs; quamvis exteriùs

terius, seu in corporibus assumptis se gerant ac si verè gauderent. Et ratio est, quòd in hominibus devictis reperiunt novos tortores, quorum blasphemijs, & prauo affectu de novo tristantur: quamvis aliàs propter odium, quo adversus Deum aguntur, malint, Deo displicere, quàm talem maiorem pœnam evitare.

81 Ex dictis constat, quid respondendum sit locis Scripturæ, & Patrum dicentibus, diabolum aliquando gaudere, aut exultare. Loquuntur enim de gaudio exteriori, apparenti, seu hominibus ostenso in corporibus asumptis. Constat etiam quare prædictum dœmonum gaudium ab aliquibus sanctis vocetur phantasticum. Sicut enim phantasticum dicitur illud, quod in re non est, sed solum habet esse in apparentia: ita illud gaudium dœmonis, cum in eius voluntate non sit, sed solum in assumtò corpore appareat, meritò dicitur & est phantasticum.

CAPVT XIV.

De Angelis Custodibus, necnon & de dœmonibus hominũ tentatoribus.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad sanctos Angelos Custodes.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an aliqui Angeli deputentur ad hominum custodiam? Respontur affirmativè. Quia in *Psalm. 90. num. 11.* dicitur, *Angelis suis mandavit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis; & alibi tàm in Scriptura, quàm in Patribus*: ex quibus sufficiat nobis Augustinus (citatus à Scoto *in 2. d. 11. in principio*) super illud *Matth. 18. num. 10. Angeli eorum &c.* sic fatus: *homines non sunt contemnendi; quia ad illorum custodiam mittuntur Angeli.* Multa alia Patrum testimonia congerit Suarez *lib. 6. cap. 17. à numero 6.* Hanc conclusionem esse de fide certam docet præcitatus Suar. & alij.

DV-

DVBIVM II.

2 Petes secundò, an quilibet homo habeat suum peculiarem Angelum Custodē? Respondetur affirmativè; Quia *Matth.* 18. *num.* 10. *Angeli eorū semper vident &c.* Vnde constat, plures parvulos (de quibus ibi est sermo) habere plures Angelos Custodes. Et propter eandem rationem vnusquisque hominū habet suum specialem Angelū Custodem; vt scilicet, & eum doceat, seu illuminet, circa necessaria ad salutem; necnon & vt eum liberet ab innumeris dæmonū impugnationibus: vt docet Scotus *in* 2. *distinct.* 11. §. *& vers. Ad argumenta.* Sic docēt multi Patres citati à Suarez *ibi â num.* 7. Nobis sufficiat D. Hieronymus ad præcitata Matthæi verba dicens: *Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum.*

3 Hæc conclusio est adeò certa, vt à Piloso *disp.* 29. *art.* 2. *num.* 2. existimetur de fide. Suarez autem *ibi num.* 8. dicit, quòd etsi non sit expressa in Scriptura, aut ab Ecclesia definita; est tamen tanto Ecclesiæ consensu recepta, & in Scriptura prout à Patribus intellecta tàm magnū habet fundamentum, vt sine ingenti temeritate, ac ferè errore negari non possit.

4 Obijcies tamen, quôd vnus homo est sufficienter Rector multorum: ergo vnus Angelus sufficit ad custodiendum multos homines, illosque de facto custodit. Patet consequentia: quia frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Resp. negando posteriorem partem consequentiæ. Quia etsi vnus Angelus sufficiat ad custodiendum plures homines; tamen ad maiorem Dei providentiam; ad hominis dignitatem; ad maius Angelorum solatium pertinet, quemlibet ad cuiuslibet custodiam deputare: cùm sint numero sufficientes; (*ex cap.* 3. *diff. n.* 1.4. *& deinceps*) maximèque lætentur Deo cooperantes ad nostram salutem.

5 Dices: non omnes Angeli, sed solùm spiritus infimæ Hierarchiæ occupantur circa ministeria hominum: (*ex cap.* 3. *diff.* 3. *a num.* 22.) sed hi non videntur esse tot, quot sunt homines simul viventes in mundo isto visibili: ergo vnusquisque non habet suum specialem Angelum. Respondetur negando minorē propter dicta *cap.* 3. *difficult.* 1. *a num.* 1.

6 Obijcies tertiò, quòd, si quilibet homo haberet specialem Angelum custodem, numquam dœmonis tentationibus succumberet. Fortior enim videtur bonus Angelus ad suadendum bonum, quàm malus ad ma-

malum. Respondetur, quòd homo cedit tentationi dœmonis, non ex defectu Custodis; sed quia proprio amore ad implendum suam voluntatem inclinatus; & à sensibilibus allectus potiùs dæmonis suggestioni, quàm sanctis Angeli Custodis inspirationibus acquiescit.

217 Aliunde autem Catholicam veritatem nostræ conclusionis in dubium vertit Calvinus *lib. 1. institutionum cap. 14. § 7.* quē sequuntur Magdeburgenses *in Cent.* Existimat ergo, omnes Angelos singulorum curam habere: & obijcit Calvinus, quòd asignando singulis hominibus singulos Angelos Custodes extenuamus gratiam Dei, & eius beneficia: ergò talis asignatio non est admittenda. Antecedēs probatur: est enim maius Dei beneficium, magísque augetur hominum fiducia, si dicamus, omnibus Angelis fuisse commissum custodire singulos homines. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quòd fortè esset maius beneficium, si omnibus, & singulis Angelis cōmitteretur cura respectu vnius tantùm hominis: secus autem committendo curam de singulis hominibus collectivè sumptis. Tunc enim cura cuiuscumque Angeli partiretur circa omnes homines: &, cùm sit creata prædicta cura, minor esset respectu cuiuscumque custoditi. Ad modum, quo creata potentia circa multa obiecta minùs perfectè operatur, quàm circa vnum iuxta proloquium illud; *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Quod extendendum est ad quamcumque potentiā creatam propter eius limitationem, & finitam virtutem operandi. Vnde proveniret, quòd minueretur hominum fiducia, quam circa Angelos Custodes habemus scientes, nullum specialem nos habere custodem, aut specialiter deputatum ad nostram custodiam. Minueretur etiam circa Angelos custodes hominum devotio propter eamdem causam. Fuit ergo altissima providentia, singulos Angelos pro singulis hominibus deputare, vt & Angelorum circa hominum custodiam maior acrescat solicitudo: & vt hominū circa sanctos Angelos Custodes robustior fiducia, & impigra vigeat devotio.

218 Adde cum Suar. *lib. 6. cap. 17. num. 9.* Catholicos affirmare, ita ab vno Angelo vnum custodiri, vt aliorum auxilio destitutum non affirmemus. Quin potius dicimus, quòd quamvìs propria vniuscuiusque hominis cura specialiter proprio Angelo commendetur à Deo, omnes tamen alij vel ex vniuersaliori custodiendi munere, & superiori administratione, aut ex charitate communi, eiusdem hominis sa-

salutem procurant, vel orationibus, vel etiam officijs, prout occasio tulerit, vel postulaverit. Vnde Origines *homil. 4. in Psalm. 36.* versus finem sic fatur: *Numquam solus est iustus, sed ne vnius quidem, aut duorum, vel trium tantummodo Angelorum societate subnixus est; sed exercitus ei virtutum præsto est.* Hinc provenit, plures Angelos eduxisse Lot de Sodoma, *& posuisse illum extra ciuitatem, & dixisse illi: Salva animam tuam. Genes. 19. num. 17.* Et Gabriel Angelus dicit, Michaelem venisse in adiutorium suum pro populo Dei, *Daniel. 10. n. 13.*

DVBIVM III.

9 Petes tertiò, an Christus Dominus habuerit Angelum Custodem? Respondetur negativè. Quia ab instanti suæ conceptionis fuit perfectè beatus: custodes autem Angeli solùm viatoribus deputantur: solùm enim isti egent illuminatione circa necessaria ad salutem; necnon, & defensione à dæmonum impugnationibus: propter quas rationes providit Deus hominibus Custodes Angelos: vt ex Scoto notabamus *n. 2.* Hæc conclusio est certa.

10 Sed Obijcies, quòd Christus Dominus habuit Angelum tentatorem *Matth. 4. n. 3.* ergo oportuit, vt etiam haberet Angelum Custodem. Respondetur negando consequentiam quia tentatio illa solùm fuit extrinseca, & ad nostram eruditionem. Adde, quòd etsi minùs decēs sit, Christum intrinsecè tentari, tamen, admisso gratis, quòd intrinsecè tentaretur, non egebat Angelo Custode: quia visione clara Dei, immo, & per solos habitus infusos (quos habuit in summo gradu ab instanti suæ conceptionis) ita erat dæmonibus superior; vt nullo alio creato indigeret adiutorio ad quamcumque tentationem dæmonum superandam.

11 Obijcies secundò illud *Psalm. 90. num. 11. Angelis suis Deus mandavit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis:* quod de Christo D. intelligit Glossa. Confirmatur ex illo *Lucæ 22. num. 43. apparuit ei Angelus Domini confortans eum:* ergo de fide est, Christum Dominum habuisse Angelum Custodem. Respondetur negando cōsequentiam: quia actus illi custodiēdi, & cōfortādi Christo Domino ab Angelis exhibiti exponi debent de Christo Capite ratione membrorum: iuxta regulam Ticonij probatam ab Augustino *3. de Doctrina Christiana cap. 31.* qua *illa, quæ membrorum sunt, tribuuntur Capiti, & è contra;* nempè propter vnionem, & coniunctionem considerando Caput, & membra, quasi essent vna persona.

12 Hinc dicendum est, prædi-

dictos Angelorum actus custodiendi, & ministrandi circa Christum Dominũ exhibitos, prout in Evangelio leguntur; verè circa ipsum fuisse ab Angelis exhibitos, non quidem secundum aliquam exigentiam Capitis, sed membrorum. Quare respectu Christi Domini nullum effectũ intrinsecum habuerunt, hoc est, eius corpus, aut animã nõ custodierunt ab aliquo malo â diabolo sibi imminente: neque illum secundùm corpus, aut animam confortaverunt: sed confortatio illa, & custodia fuit solùm extrinseca, & quoàd nos qui lecturi eramus illam historiam; vt inde potiùs cognosceremus ingentem Christi Domini pro hominibus tristitiam; quâm aliquã illius confortationem, aut ab imminenti periculo custodiam.

DVBIVM IIII.

13 PEtes quartò, an omnes alij homines viatores habeant Custodes Angelos? Respondetur affirmativè. Quia omnibus necessaria est illuminatio circa necessaria ad salutem; necnon & defensio à dœmonum impugnationibus. Propter quas rationes Deus destinavit Angelos in Custodes hominum; vt ex Scoto notabamus *num.* 2. Adde, quòd sic extollitur bonitas, & misericordia divina, eiusque vniversalissima circa homines providentia. Quòd satis insinuat verba illa *Exodi* 23. *num.* 21. *Non dimittet te, cum peccaueris*: vbi de Angelo Custode erat sermo.

14 Vnde infertur, Beatissimam Virginem, Baptistã, & alios iustos confirmatos in gratia habuisse Angelos Custodes tàm ad meliùs, & faciliùs operandũ, quã ad illuminationes regulariter suscipiendas.

15 Infertur secundò, non solùm prædestinatos, sed etiam reprobos habere Angelos Custodes. Nec obstat illud *ad Hebræos* 1. *num.* 14. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Quibus verbis videtur affirmari, quòd soli prædestinati, seu illi, qui hæreditatem æternam consequentur, habent Angelos Custodes. Respondetur enim, quòd verba illa *propter eos*, &c. denotant finem, non adæquatum, sed præcipuum, ita vt sensus sit, Angelos mitti in custodiam hominum, præcipuè propter electos, quos Deus præcipuè diligit. Quare sicut cum hac præcipua dilectione stat, vt simul diligat omnes alios: (*vult enim, omnes salvos fieri* 1. *Ad Timoth.* 2. *n.* 4.) ita stat, vt simul velit, omnes alios etiam ab Angelis custodiri. Quare prædicta Scripturæ propositio vera est, sed non exclusiva.

16 Infertur tertiò, non solùm iustos, sed etiam peccatores

rès habere Custodes Angelos. Dices, quòd Didymus apud Damascenum *lib.* 1. *Parallelorum cap.* 7. dicit, quòd *probi, ac sancti viri lucidos Angelos Custodes habent; mali autem tenebrosos*: existimat ergo solos iustos habere Angelos. Respondetur non nimis huius Patris auctoritatem esse attendendam: quia in eo reprehenditur etiam à Sancto Hieronymo, eius aliàs admiratore, quòd Originis errores sequutus sit; teste Bellarmino *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis anno* 361. Respondetur secundò, solùm intendere, quòd in sanctis viris prævalent Angeli lucidi, seu boni; in malis autem Angeli tenebrosi. Itaque quantum ad effectum non acquiescendi inspirationibus, & cedendi tentationibus mali viri ita se habent, ac si non haberent Angelos Custodes, & lucidos; & si solùm haberent Angelum tenebrosum, ac tentatorem. Viri autem boni contrario modo se habent.

17 Sic etiam explicandi sunt Basilius *in Psalm.* 33. dicens, *omni in Christo credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligaverimus*: atque aliqui alij Patres citati à Suarez *lib.* 6. *cap.* 17. *nu.* 13. qui videntur afferere, Angelos Custodes relinquere suos custoditos, quando mortaliter peccant. Tamen cùm hoc opponatur verbis illis Exodi 23. *num.* 21. *non dimittet te, cum peccaveris*: prædicti Patres necessariò sunt explicandi. Igitur non intendunt affirmare, quòd Angelus Custos absolutè relinquit suum Custoditum, quando peccat, sed quòd quantum ad finem per custodiam intentum, idem est, ac si illum reliquisset: cùm eius cura non habuerit effectum in illa occasione, in qua homo non acquiescens inspirationibus sui Angeli Custodis, succumbit tentatori. Itaque Custos relinquit suum custoditum æquivalenter, hoc est, quantum ad effectum, seu finem custodiendi illum ita se habet homo peccās, ac si à Custode fuisset relictus. Non tamen relinquit curam sui custoditi pro alijs occasionibus & materijs. Nisi velis dicere, (quod fortè est verum) Angelos Custodes propter nostra peccata aliquantulum remittere curam.

18 Infertur quartò, primos parentes in statu innocentiæ habuisse Angelos Custodes. (Ita Suarez *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 20. secutus D. Thom. 1. *p. q.* 113. *art.* 4. *ad* 2.) Quia habuerunt impugnatorem: ergo debuerunt habere defensorem.

19 Infertur quintò, non solùm in lege gratiæ, sed etiam in lege scripta, necnon, & in naturali fuisse hominibus deputatos Angelos Custodes. Quia in quacumque lege eguerunt illuminatore, & defensore. ¶ Dices, quòd

quòd Chrysostomus *homil. 3. ad Coloss. & Anastasius Nicenus q. 61. in Scriptura* dicunt; *priùs pro numero Gentium erant Angeli; nunc autem non pro numero Gentium, sed pro fidelium*: sentiūt ergo, quod postquàm promulgata est lex gratiæ, infideles non habeat Angelos Custodes. Respondetur cum Suarez *lib. 6. cap. 17. num. 19.* nec fundamento poni hanc differētiam inter fideles, & infideles: vt constat ex ratione nostræ cōclusionis iā repetita, nempè quod semper homines viatores eguerunt, egent, & indigebunt illum tutore, & defensore. Itē, quod semper voluit Deus, vult, & volet, omnes homines salvos fieri: & consequenter eius providentia resplendet in assignatione Angelorum pro hominum custodia. Quod & suadent verba illa *Matth. 18. num. 10. Angeli eorum semper vident faciem patris*: quia puer ille, quem præ oculis habebat Christus Dominus proferens prædicta verba, non pertinebat ad legem gratiæ: & tamen illum, & similes prospiciens protulit prædicta verba; *Angeli eorum &c.*

20 Infertur sextò, etiam Antichristum habiturum esse Custodem. Quia in hoc maximè resplendet misericordia Dei: est enim pijssima providentia assignare illi hominum perditissimo Angelum Custodem, vt interdum illum impediat, ne omne malum committat. ¶ Dices quòd 2. *ad Thessalon. 2. num. 9.* Antichristus dicitur venturus *secundum operationem Satanæ*. Immo ex Augustino *tomo 9. tract. de Antichristo* habetur, quòd in conceptionis eius initio diabolus simul introibit in vterum matris eius, & virtute diaboli confovebitur, & contutabitur in ventre matris, & virtus diaboli semper erit cum illo: ergo non videtur, sanctum Angelum Custodem habiturum. Respondetur negando consequentiam: illi enim pijssimus Deus Angelum in custodem assignabit, ne plura mala committat, ac sine illo committeret. Adde, quòd si aliquis Patrum expressè affirmaverit, (vt de Damasceno aliqui existimant) Antichristum Angelico præsidio fore privandum: solum intendit, quòd carebit Angelico præsidio secundùm totalem revocationem eius à malo.

DVBIVM V.

21 PEtes quintò, an Angelorum custodia incipiat à conceptione fœtus? Respondetur affirmativè. Quia Anselmus in elucidario dicit, quòd *unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur*. Secundò: ex tunc dæmones conantur humanam vitam extinguere, ne fœtus natus per baptismum ab origi-

ginali labe purgetur: si ergo ex tunc habet impugnatorem, cōgruum est, vt ex tunc habeat Angelum defensorem. Hæc conclusio satis insinuatur à Scoto *in 2. distinct. 11. §. & vers. Ad argumenta, & in R. portat. ibidem §. & vers. Ad primum*, quatenus affirmat vtrobique, Angelum Custodem destinasse Deum, vt defendat â dæmonum impugnationibus. Ipsam conclusionem expressè defendunt Pilosus *disput. 29. art. 4. num. 1. & Suar. lib. 6. c. 17. num. 18.* citans pro hac sententia D. Thom. *in 2. dist. 11, quæst. 1. art. 3. ad 3. D. Bonavent. Gabriel & alios.*

22 Sed aliqui dixerunt, Angelorum Custodiam in baptismate hominis incipere, & obijciunt, quod Angeli Custodes deputantur in custodiam propter eos, qui hæreditatem capiūt salutis: vt dicitur *ad Hebræos 1. n. 14.* cuius verba retulimus *num. 15*: sed homines in baptismo fiūt hæredes salutis iuxta illud *Ioan. 1. num. 12. Quotquot autem receperūt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.* Ergo tunc eis deputatur Angelus, & non anteà. Resp. negando consequentiam: quia etiā homines infideles habent Angelos Custodes: vt probavi *à n. 19.* Quid autem intendat Paulus loco citato dixi *num. 14.*

23 Alij dixerunt, custodiam Angeli incipere cum vsu rationis. Et obijciunt, quod ante vsum rationis homines non sunt capaces Angelicæ illuminationis: ergo non habent Custodes ante vsum rationis. Patet consequentia: quia Angeli Custodes dantur, vt suos custoditos illuminēt. Resp. negando consequētiam. Ad probationem dico, nō solùm dari ad illuminationem, sed etiam ad defensionem custoditi.

23 D. Thom. *1. p. q. 113. art. 5 ad 3.* affirmat, Angelicam custodiam incipere â natiuitate ex vtero. Et obijcit D. Hieronymum (cuius verba retulimus n. 2) dicentem, Angelorū custodiā incipere *ab ortu natiuitatis*. Resp. nō cōstare de qua nativitate loquatur: & ideò potest exponi de vtraque nativitate; scilicet de illa, qua fœtus nascitur in vtero, aut de illa, qua nascitur extra vterū. ¶ Obijcit secundò: dùm filius est in vtero matris, est aliquid illius: ergo Angelus, qui custodit matrem sufficit ad custodiendum filium. Sicut qui custodit arborem, custodit etiam fructum illius. Respondetur distinguendo antecedens: est enim verū, quòd, dùm filius est in vtero matris, est aliquid illius. Falsum tamen est, quòd non sit suppositum, aut persona ab ipsa realiter distincta. Quare, cum ad multiplicationem personarum multiplicentur Angeli Custodes; fit, vt eoipsò ac verificetur,

quod

quòd fœtus est persona à sua matre distincta, debet habere distinctum Angelum Custodem. Confirmatur, quia sicut filius existens in vtero potest à dæmone necari; salva vita matris, debet ab Angelo proprio custodiri. Adde, quòd potest contingere, vt mater licitè sumat aliquid nocivum filij vitæ: vt si ad tuendum propriam vitam sumat medicamentum indirectè tendens in mortem filij. Tūc enim Angelus Custos matris nō custodiret filium: debet ergo assignari proprius Custos filij, qui in omni eventu custodiat filium. Quæ omnia non concurrunt in arbore, & fructu.

DVBIVM VI.

25 PEtes sextò, quamdiù duret Angelorum Custodia? Respōdetur, durare saltem vsque ad mortem. Quia vsque tunc homo eget illuminatore, & defensore. Itaq; durat quoad vsque in tribunali, seu particulari Dei iudicio (quod in instanti mortis exercetur) homo recipit sententiam vindicativam suorum criminum, aut remunerativam bonorum operum. Tunc enim etiam eget defensore, qui eum liberet à dæmonum calumniijs. Adde, quòd in illis, qui in gratia decedunt, & detinentur in purgatorio, durat Angelorum custodia toto tempore; quo durat purgatorium: vbi eos sancti Angeli visitant, & consolantur, & tandem purgatos ducunt in gloriam. Quia omnia ista officia spectant ad Angelorum Custodiam. Quod, & docuerūt Chrysostomus, & Amb. (quorū verba refert Suar. *lib.6. capite 19. num.9.*) & colligitur ex officio Defunctorum vbi, & in officio Sancti Michaelis, ipsi specialiter tribuitur, quòd *perducat sanctas animas in paradisum exultationis*; vtique vel per se, vel per alios Angelos sibi inferiores.

DVBIVM VII.

26 PEtes septimò, an soli homines habeant Angelos Custodes? Respondetur negativè. Quia sunt etiam assignati Custodes pro singulis communitatibus, regnis, & provincijs: vt constat ex Daniel. 10. *n.* 13. vbi fit mētio Principum Persarum atque Græcorum, & Iudæorum; per quos Principes intelliguntur Angeli Custodes illarum Provinciarum: vt notant D. Hieronymus, & alij Patres citati à Suar. *lib.6. cap. 17. nu. 22.* vbi pro hac conclusione citat Aug. & alios.

27 Addit prædictus Suar. ibi *num.* 24. quòd Rex, Papa, & Prælati habent duos Angelos. Ita Origines *hom. 11. in Num.* Quod confirmat ex verbis *Actorum capite*

pite 12. *numero* 15. *Angelus eius est.*

28 Immo Iacobus Granados *tract.* 16. *disput.* 5. *sect.* 5. *à num.* 19. affirmat, quòd in qualibet Ecclesia Catholicorum, non solum vnus sed multi Angeli astant sacræ Eucharistiæ, vt ei debitus honor exhibeatur. Ad quod adducit *Ambros. Chrysost. & Bedam.*

29 Est etiam specialis Custos pro singulis brutorum speciebus; immo, & pro speciebus singulis aliarum rerum visibilium. Ita Origines, Nazianzenus, & alij Patres citati à Suarez *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 25. Sufficiat D. August. *lib.* 83. *quæst. q.* 79. dicens: *Vnaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam: sicut aliquot locis scriptura divina testatur:* & satìs clarè habetur *in cap.* 14. *Apoc. num.* 18. vbi fit mentio de Angelo, qui habebat potestatem supra ignem. Et *cap.* 16. *n.* 5. *dicitur audiui Angelum aquarum.* Et ratio omnium istorũ est, quòd omnia ista sunt necessaria pro hominum salute corporali, & spirituali, & multa perirent propter invidiam dœmonum, nisi Angelorum curæ fuissent commissa. Immeritò ergo Caietanus *super* 1. *p. q.* 110. *art.* 1. *in responsione ad* 2. negat Angelos esse deputatos ad custodiam istarum rerum inferiorum, etiam quoàd singulas illarum species.

DVBIVM VIII.

30 PEtes octavò, an sit necessarium, quòd Custos semper assistat localiter circa suum custoditum? Respondetur negativè. Quia sufficit, quòd habeat notitiam illorum, quæ agũtur circa suum custoditum. Adde, quòd citissimè potest ei præsentialiter adesse, etiam quando est valdè distans. Hanc conclusionem defendunt multi cum D. Thom. 1. *p. quæst.* 113. *art.* 6. *ad* 3. Nota, quòd, quando localiter assistit circa suum custoditum, etiam clarè videt Deum, & illo fruitur iuxta illud *Matth.* 18. *num.* 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Et ratio est, quòd Deus per immensitatem est vbique.

DVBIVM IX.

31 PEtes nonò, an inter bonos Angelos hominum Custodes possit esse spiritualis pugna? Respondetur affirmativè. Quia contingere potest, vt id, quod expedit alumno Gabrielis v. g. sit disconveniens alumno Michaelis, aut è contra. Et tunc Custos suo alumno hoc procurat tàm orationibus apud Deum; quàm inspirationibus apud proprium alumnum, non attendendo; quòd hoc non est conveniens custodito,

seu alumno alterius Angeli. Hac ratione Angelo Custodienti populum Dei resistebat Princeps Persarum. *Daniel. 10. num. 13.* Dices, quòd pro illo Principe Persarum intelligitur malus Angelus impugnator populi Dei: vt insinuat *ibi* D. Hieronymus, & clariùs docet *in capite 29. Ezechielis in principio*, & ipsum sequuntur *Rupertus, & Cassianus* citati à Suarez *lib. 6. cap. 19. num. 13.* Respondetur, Principes illos Persarum, & Græcorum fuisse bonos Angelos, vt docent Dionysius *cap. 9. de cœlesti Hierarchia, Greg. Theodoretus, Lyra, Carthusianus, D. Thom.* & communis sententia. De quo videatur prętactatus Suarez.

32 Nota tamen, Angelos semper pugnare pro gloria Dei, & pro adimpletione eius volũtatis, qua *vult, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire: 1. ad Timoth. 2. num. 4.* Quare tamdiu pugna illorum durat, quãdiù eos latet absoluta Dei voluntas: & ideò numquam dissentiunt circa volitum formale, sed circa volitum materiale; hoc est, motivum dissentiendi, seu pugnandi in vtroque Angelo est velle gloriam Dei, & adimpletionem voluntatis eius: id autem, quod ex hoc motivo volunt, seu procurant, est bonum sui alumni.

DVBIVM X.

33 PEtes decimò, an tristetur Angelus Custos, quãdo frustratur suo fine? (nempe quando suus custoditus non acquiescens suis inspirationibus peccat, vel quando tandem damnatur) Respondetur negativè. Quia status beatificus non admittit tristitiam: vt docet Scotus *in 4. distinct. 50. quæst. 3. §. Respondeo vers. Sed erit.* Dices, quòd Isaiæ 33. *num. 7.* dicitur, quòd *Angeli pacis amarè flebunt.* Et D. Chrysost. *homil. de Ascensione* dicit; *Angelos nostris dolere supplicijs, & quando puniebamur, magna tristitia tenebantur.* Respondetur cum Suarez *lib. 6. cap. 19. num. 12.* has, & similes locutiones esse metaphoricas; per quas significatur Angelorum charitas, & amicitia erga homines; aut quantum peccatorum impietas ipsis displiceat. In quo sensu Deus ipse dicitur aliquando dolere: vt constat ex illo *Genes. 6. num. 6. tactus dolore cordis intrinsecus, &c.* Quæ solutio applicanda est similibus Patrum auctoritatibus adductis ab ipso Suarez ibi.

DVBIVM XI.

34 PEtes vndecimò, an omnes Angeli mittantur ad hominum custodiam, seu vtilitates? Respondetur affirmativè. Quia *ad Hebraeos 1. num. 14. Omnes sunt administratorij spiritus.* Hanc conclusionem tradunt Scotus *in 2. distinct. 10. §. Respondeo, Alensis, Durandus, Gabriel, Marsi. Argentina, & Maion.* quos citat Suarez *lib. 6. cap. 9. num. 3.* & quos ipse sequitur illo capite, & sequenti.

35 Sed D. Thom. *1. p. quaest. 112. art. 2. in corpore, & cum eo Thomistae* affirmant, quòd quatuor primi ordines numquam mittuntur à Deo, aut ad custodiam hominum, aut ad aliquod ministerium, sed hoc totum fit per quinque inferiores ordines. Et obijciunt illud *Daniel. 7. num. 10. millia millium ministrabant ei; & decies millies centena millia assistebant ei:* ergo sunt alij Angeli qui assistentes dicuntur; eo quòd ita Deo semper assistunt, vt numquam mittantur, aut occupentur circa hominum ministeria; & sunt alij, qui ministratores dicuntur. Respondetur ex Scoto ibi, verum esse, dari aliquot Angelos, qui dicuntur assistentes, & alios, qui dicuntur ministratorij: inter quos hæc est differentia, aut assistentes quasi ex officio proprio semper assistant Deo; tamen ex divina dispensatione ad aliquod grave negociū exteriùs mittuntur aliquando: ministratorij verò quasi ex officio sunt assignati pro hominū custodia, & frequenter circa humana; & terrena occupantur exteriùs.

36 Pro pleniori autem intelligentia horum, & præcipuè auctoritatis Apostoli, quæ est fundamentum nostræ conclusionis, notat Scotus ibi quòd distinguenda est duplex missio Angeli. alia enim est interna, & externa alia. Interna dicitur, qua Angelus superior mittitur ad inferiores loquendo, & illuminando eos interiùs Quia secundùm communem processum, & ordinem revelantur maiora Dei mysteria priùs superioribus, quā inferioribus, & isti illuminantur ab illis. Quæ locutio, seu illuminatio dicitur interna missio ad homines: cùm superior loquens alijs Angelis inferioribus; ideò illis loquatur, vt tandem illud mysterium hominibus reueletur. Missio exterior est revelatio facta hominibus ab Angelis inferioribus, seu administratorijs. Vnde apertè cōstat, nullum esse Angelum, qui non possit occupari circa illa, quæ ad homines spectant: sive ista occupatio sit interna, (nēpè loquēdo seu illuminando alium Angelū in-

inferiorem de aliquo ad hominum negotium spectanti) sive externa qua inferior Angelus ipsi homini loquatur. Nec proptereà negamus, quòd supremus aliquis Angelus immediatè aliquando occupetur circa aliquod ministerium humanum: nam Incarnationem nescierunt multi Angeli etiam de primis, & Principibus, quoadusque per Ecclesiam fuit propositum; vt apparet per Apostolum *ad Ephes.3.* (inquit Scotus ibi) *vt innotescat Principibus, & Potestatibus per Ecclesiam, &c.* Huc spectare possunt dicta *cap. 3.diff.3.* ferè per totam.

DVBIVM XII.

37 **P**Etes duodecimò ordinem, seu modum, quo custodia harum rerum corporalium tàm hominum, quàm aliarum rerum Angelis committatur? Respondetur, quòd Angelis committitur custodia personarum particularium, aut rerum minoris momenti: & consequenter rerum irrationabilium, atque insensibilium. Archangelis autem committitur custodia personarum excellentium; vt sunt Papa, Rex, &c. aut committitur annuntiatio magnarum rerum. De quibus latè disseruimus *c.3.diff.3.n.22.* & pro plena horum intelligentia recolenda sunt dicta per totum illud caput. Solùm est advertendum, nos ibi loqui de eo, quod communiter, & quasi ex officio cœlestibus spiritibus cōpetit. Tamen ex divina dispositione potest contingere; & defacto aliquando contingit, quòd supremus aliquis Angelus circa aliquod ministerium humanum immediatè occupetur exteriùs: vt *num.*36.notabamus.

DVBIVM XIII.

38 **P**Etes decimòtertiò, qui sint peculiares effectus huius Angelicæ custodiæ? Resp. varios effectꝰ ab omnibus admitti, De quo præcipuè legatur Sua. *lib.6.cap.19. a n.1.* Quod autem hæc Angelica Custodia debeat habere aliquem effectū in bonū personæ custoditæ, cōstat ex eo, quòd aliàs frustra fuisset â Deo disposita: Et quamvis *n.* 2 duos illos effectus defendendi custoditum, & illum illuminandi assignaverimus cum Scoto: tamē vt in præsenti omnes huius custodię effectus simul habeantur; eos sic numeramus singillatim.

39 Igitur primus effectus Angelicæ custodiæ est avertere â suo alumno externa pericula tā corporalia, quā spiritualia. Quod faciunt interdum avertendo ipsa obiecta, vel agentia extrinseca nobis nociva, nobis ipsis prorsus ignorātibꝰ multoties. Aliquādo verò id præstāt immittēdo co-

gi-

gitationem (per motionem phãtasmatum) per quam ita moveamur, vt imminentem periculi occasionem evitemus: quod, & multoties contingit omnino nobis ignorantibus. Ad hunc effectum etiam spectat tollere impedimenta spiritualis profectus.

40 Secundus effectus est excitare alumnum ad operandum bonum. Quod faciunt, aut proponendo obiecta modo, & occasione convenienti, aut circa proposita suadendo, cõsensumque suaviter extorquendo.

41 Tertius effectus, aut officiũ Angelicæ custodiæ est coercere dæmones, ne tàm graviter tentent, nevè tot pravas cogitationes immittant, aut occasiones peccandi offerant. Immo addit Auctor imperfecti *homil. 5. in Matthæum*, tantã esse potestatem Angeli Custodis supra dæmones, *vt in præsentia boni Angeli, si se a dæmonibus videri permittat, non audeant dæmones tentare homines.* Verum est, quòd Angelus Custos interdum se dœmonibus occultat, vt secundùm Dei dispositionẽ nos tentare permittat. ¶ Dices, effectum istum, seu munus coercendi dæmones ad Potestates pertinere: ergo nequit exerceri ab Angelo Custode; quem suppono esse inferioris chori, immo & Hierarchiæ. Patet cõsequentia: quia inferior nequit sibi vsurpare officium superioris. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico cum Pilosso *disput. 29. artic. vlt. n. 3.* quòd arcere dæmones ex officio, & imperativè spectat ad potestates; executivè verò ad Angelos sibi subditos. Quod & in humana republica sæpe contingit: id enim, quod alicui cõpetit ex officio, alteri exequendum committit.

42 Quartus effectus, aut munus Angelicæ custodiæ est offerre Deo orationes sui alumni: iuxta illud *Tobiæ 12. num. 13. ego obtuli orationem tuam Domino.* (aiebat Raphael Angelus Tobiæ)

43 Quintus effectus est, Deũ deprecari pro suo alumno. Sextus: punire custoditum saltem pœna medicinali. Septimꝰ cum suo alumno assistere extremo iudicio in die mortis. Septimus, si in purgatorio sit detinendus, ipsum visitare, & cõsolari. Octavus, & vltimus, ipsum perducere in regna cœlorum.

44 Ratio autem singulorum omnium est, quòd congruenter omnes, & singulos prædictos effectus Angelis Custodibus attribuimus: & multos statuunt diversi Patres videndi apud Suarez *libro 6. capite 19. à numero 1.*

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad dæmones hominum impugnatores.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an homo viator impugnetur à dæmonibus? Respondetur affirmativè. Quia *datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*: dicebat Paulus 1. *Chor.* 12 *n.* 7. *& ad Ephes.* 6. *num.* 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, &c.* Vnde D. Petrus hortatur fideles ad præparationem huius pugnę dicens: *Fratres sobrij estote, & vigilate; quia adversarius vester diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret; cui resistite fortes in fide*: 1. *cap.* 5. *num.* 8. Ratio autem, quare hanc dœmonum impugnationem permiserit Deus, est, quod cedit in maius meritum, & coronam hominum.

DVBIVM II.

2 PEtes secundo, an singulis hominibus deputetur peculiaris malus Angelus ad tentandum? Respondetur affirmativè. Quia dœmon est Dei æmulator: ergo sicut Deus singulis hominibus singulos Angelos Custodes designat: ita Lucifer singulis singulos designat impugnatores. Hæc conclusio defenditur à Piloso *disp.* 30. *art.* 2. *n.* 1. à *Suar. lib.* 8. *capit.* 21. *à num.* 30. Pro qua citat *Originem*, *Greg. Nissenum*, *Tertullianum*, & alios: estque sententia Magistri sententiarum *in* 2. *distinct.* 6. *&* 11. quam communiter amplectuntur alij Scholastici, saltem eam supponendo: qua ratione eam tenet Scotus, quatenus affirmat Angelos Custodes nobis dari à Deo vt ab impugnationibus dœmonum nos custodiant.

3 Dices: ex omnibus Angelis sola tertia pars cecidit: ex qua tertia parte aliqui, non omnes in aère caliginoso ad exercitium hominum detinentur: ex communi sententia: ergo cùm numerus hominum simul viventium sit tot millium, videtur non posse sufficere numerum dœmonū in aere detentorum ad hoc, vt vnicuique viventium vnus peculiaris impugnator assignetur. Respondetur numerum prædictorum dæmonum detentorum in caliginoso aere superare numerum hominum simul viventium. Nec mirum hoc debet apparere: quia si in rebus corporeis est tam ingens excessus cœlorum respectu terræ; quid mirum quòd in spiritualibus tot millia millium Angelorum creaverit

verit Deus, vt illa pars in aëre relicta superet numerum hominum simul viventium.

4 Dices secundò: sententia est aliquorum Patrum, dœmonem semel aggressum hominem ad tentandum, si victus ab illo fuerit, ita confusum retrocedere, vt ad tentandum illum numquam accedat: ergo non habet homo semper eumdem dœmonem deputatum ad tentandum; aut ex tunc est sine tentatore: vt videtur colligi ex illo *Iacobi* 4. *num.* 7. *Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Respondetur negando antecedens: quod enim affirmant Patres, est, quòd dœmon victus recedit ad tempus: vt apertè habetur de Christi Domini tentatore *Lucæ* 4. *num.* 13. *consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo vsque ad tempus.* De quo videatur *Suar. lib.* 8. *cap.* 17. *a num.* 4. *& cap.* 21. *a numero* 32. Respondetur secundo (admisso antecedenti) negando consequentiam: quia illi Patres exponendi essent de alijs dœmonibus, ad quos non spectat, ex officio, aut deputatione tentare illam personam; sed adiuvant tentatorem illius. Quòd autem non solum dœmon deputatus ad tentandum aliquam particularem personam, sed etiam aliqui alij adiutores illius accedant aliquando, probatur ex illo *Lucæ* 11. *numero* 25. *Tunc vadit, & assumit alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Secundò, quia sicut in quacumque republica concives mutuò se adiuvant, sic credibile est, dœmones tentatores mutuò se adiuvare, & convocare ad tentandum homines.

5 Dices tertiò, quòd supervacanea est deputatio Angeli mali ad tentandum: cùm natura ex se sit prona ad malum, & circa bonum prosequendum habeat tantam difficultatem: ergo ex eo, quòd bonus Angelus Custos assignetur, non benè infertur, etiam esse assignandum tentatorem. Respondetur negando antecedens: etsi enim tanta sit infirmitas humanæ naturæ ad bonum; & tanta pronitas ad malū; tamen per superabundantem Dei gratiam vincitur prædicta infirmitas, & pronitas; iuxta illud *ad Philippenses* 4. *num.* 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

6 Dices quartò: non apparet, à quo fiat designatio dæmonis impugnatoris: ergo nullus dœmon ad hoc designatur. Respondetur negando antecedens: fit enim à Deo permittente propter maius meritum, & coronam hominum; & à Lucifero (cui dœmones subiacent) propter invidiam, & animum perdendi homines.

***

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò, an omnia hominum peccata ex dœmonis tentatione procedant? Respondetur negativè. Quia sic docēt multi Patres citati à Suar. *lib. 8. cap. 19. à num. 18. & à Piloso disp. 30. art. 3. num. 2.* Sufficiat D. Gregor. *lib. 11. Moralium cap. 25.* de homine sic loquutus: *immunda tentatio non aliunde, sed à semetipso nascitur: qua propter in semetipso homo habet vnde tentatur.* Secundò, quia libertas est sufficiens causa peccandi: vt patet in primo peccato Luciferi.

8 Sed aliqui Patres docere videntur, quòd etsi homo ex se sufficiens sit ad peccandum, etiã si à dœmone non tentaretur; tamen defacto omnia hominis peccata ex dœmonis tentatione occasionantur. Sufficiat Augustinus *serm. 68. ad fratres in eremo* dicens: *Cum malum aliquod cogitamus, aut facimus, sivè parum, sivè multum, nulli dubium, quin malignum Angelum hortatorem habeamus.* Et infra: *cum verba otiosa, dicimus, aut quidquam mali facimus, diabolicum consilium est.* Idem docent *Dam. Leo Papa, Cyrillus Hierosolimitanus, D. Hieronymus, & Cassianus* citati à Suarez *ibi à num. 14. & à Piloso ibi num. 3.* Respondetur, rem istam inter Patres esse controversam. Veneramur ergo horum Patrũ auctoritatem; illam tamen sequi non tènemur. Tùm, quia pro nostra cõclusione stant etiam gravissimi Patres: vt sunt *D. Greg. n. 7. citatus, D. Basilius, Chrysostomus, & Nazianz.* citati à prædicto Suarez *ibi à n. 18. & à Piloso ibi num. 2.* Immo & pro nostra conclusione stat ipse D. Augustinus *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 81.* dicens: (hic liber habetur inter opera Augustini: tamen Adrianus Papa, Algerus, & Platina ipsum attribuunt Gennadio Episcopo Massiliēnsi: vt testatur Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.) *Non omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur.* Tùm etiam non tenemur sequi oppositam sententiam, etiã si pro ipsa sint præcitati Patres; quia pro nostra est vrgentissima illa ratiò libertatis creatæ, qua ductus Lucifer sine aliquo tentatore peccatum commisit.

CAPVT XV.

De Hierarchijs malorum Angelorum.

HÆc disputatio affinis est dictis difficultate præcedenti: ex hac enim clarius constabit, à quo deputentur dœmones hominum tentatores.

DIF-

DIFFICVLTAS VNICA.

De Hierarchijs dæmonum, atque de illorum ordinibus.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an in malis Angelis reperiantur Hierarchiæ, & ordines? Respondetur affirmativè. Quia Hierarchia idem significat, ac principatus, hoc est, collectio personarum, inter quas est aliquis dignitatis ordo; & quæ militant sub vno Principe. Præterea ex August. 19. *de Civit. cap. 13. ordo est rerum parium, disparium que vnicuique loca sua distribuens congrua dispositio.* Sed in malis Angelis est quidquid ordo naturalis perfectionis postulat; cùm ibi sit eadē natura spiritualis; & diversitas perfectionis individualis, necnō & moralis, & adq; ministeriorū: ergo in malis Angelis tā Hierarchię, quā ordines reperiūtur.

2 Nec obstat, quòd communiter Hierarchia dicatur sacer Principatus ly enim *sacer* denotat non quamcumque Hierarchiam, sed solùm illam, quæ est in ordine gratiæ. Præter quam est Hierarchia naturalis: in qua attenditur ordo perfectionum naturalium, per quas se excedunt personæ, quæ militant sub vno Principe. Est item alia Hierarchia moralis; in qua attenditur ordo moralis perfectionis, secundum quā se excedunt personæ, quę militāt sub vno Principe. Et sub hac cōtinetur ordo iustitiæ, secūdùm quem in inferno vnicuique infligitur pœna pro mensura suorum delictorum: iuxta illud *Apocalip. 18. num. 7. Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit; tantùm date illi tormentum, & luctum.* Recolántur dicta *cap. 3. diffic. 3. à num. 4.*

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, an in Hierarchia dœmonum sit vnus superior, qui verè sit aliorum Princeps, aut Prælatus? Respondetur affirmativè. Quia sine hoc non salvaretur vera, & propria ratio Hierarchię: vt ex dictis *à numero* 1. patet. Itaque Lucifer est omnium dœmonum Princeps, superior, & Caput. Tùm, quia omnes alios superat in perfectione naturali: ex dictis *cap. 13. diffic. 1. à num.* 24. Propter quòd est Princeps huius Hierarchiæ naturalis, seu in esse naturalis perfectionis consideratæ. Tùm & præcipuè, quia in pœnam peccatorum dœmonum, seu quia Lucifero consenserunt, omnes dœmones illi subiecit Deus; ita ut semper ei obediant, eiusque iussa teneantur adimplere.

4 Di-

4 Dices, non constare de hac Luciferi super alios dæmones superioritate. Respondetur negando. Colligitur enim ex illo *Matth. 25. num. 41. Discedete à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, (hoc est, Lucifero, qui per anthonomasiam intelligitur sub nomine diaboli; eo quod sit præcipuus illorum) *& Angelis eius*: vtique qui eius dicuntur propter subiectionem, quam habent ad illum, tamquã ad suum Principem, & caput. Quod clariùs adhuc constat *ex Matth. 12. num. 14. Hic non eijcit dæmonia, nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum*. Quibus respondit Salvator: *si Satanas Satanam eijcit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum eius?* Hinc Glossa *super. 1. Chorint. capite 15.* dixit: *quandiù durat mũdus, Angeli Angelis; homines hominibus; dæmones dæmonibus præsunt.*

5 Dices secundò: obedientia est species iustitiæ, inclinans subditum ad debitam reddendam superiori subiectionem: sed in dæmonibus nulla est iustitia: ergo neque obedientia ad superiorem: ac per consequens neque Lucifer est aliorum Princeps, aut Prælatus. Respondetur, maiorem esse veram de obedientia, quæ est virtus: non autem de coacta, & involuntaria subiectione; qualis est, qua dæmones subsunt principatui Luciferi; eò scilicet, quòd aliter facere non possunt. Vnde non infertur, quòd Lucifer non sit Princeps, aut Prælatus dæmonum: sed quòd non sit ab illis voluntariè receptus; neque illius iussa voluntariè, sed obmurmurantes exequuntur. Sicut & præcepta à Deo simili involuntarietate, & obmurmuratione adimplent: & tamen ob hoc à Dei principatu, & superioritate eximi non possunt.

DVBIVM III.

6 PEtes tertiò, quot sint Hierarchiæ, & ordines inter Angelos malos? Respondetur quantum ad hoc de malis, sicut de bonis esse philosopandum. Quare sicut tres sunt Hierarchiæ, & novem ordines bonorum: *ex cap. 3. difficul. 3. à num. 7.* ita & malorum. Et ratio est, quòd ex quacumque Hierarchia, & ex quocumque Angelorum ordine, aut choro aliqui ceciderunt: *ex cap. 13. diffic. 1. num. 2.* ergo inter illos conservatur ordo, & Hierarchia. Patet consequentia: quia differentias, naturalesque perfectiones per peccatũ non amiserunt: & consequenter remanent inferiores, & superiores inter illos in perfectione naturali. Insuper in pœnam peccatorum suorum Deus aliquos alijs subiecisse, videtur rationabile: sicut dice-

cebamus *numero* 3. dœmones omnes Deum Lucifero subiecisse.

DVBIVM IV.

7 PEtes quartò, an dœmones cuiuscumque Hierarchiæ, & ordinis subiecerit Deus sanctis Angelis præcipuè Custodibus? Respondetur affirmativè. Quia hæc subiectio videtur necessaria, vt sancti Angeli aptiùs suum munus possint exequi. Item videtur esse debita pœna peccati. Et demum quia *Lucæ* 10. *num.* 17. constat, Deum subiecisse dœmonia suis discipulis: sic enim dicebant, cùm ex prædicatione rediissent: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo, &c.* Vnde ad propositum sic expenditur: etiam si aliàs discipuli erant minoris perfectionis naturalis, quàm dœmonia, Christus Dominus illis dœmones subiecit; eo quòd media prædicatione occupabantur in procurando salutem hominum: ergo vrgentiori ratione dicendum est, nostris Angelis Custodibus, qui sic pro nostra salute invigilant, dœmonia altissima, divina, atque ineffabili providentia subiecisse.

8 Dices: in negligentiam, & culpam superioris cedunt, quæ indebitè per subditos fiunt: sed dœmones multa mala faciunt: ergo, si boni Angeli sunt superiores, & quasi Prælati dœmonum, negligentiæ essent insimulandi sinentes eos indebitè operari. Respondetur distinguendo maiorem: solùm enim est vera, quando superior non habet iustam causam permittendi indebita subditorum opera: secùs autem quando iustam causam habet: alioqui nostra peccata cedent in negligentiam, & culpam Dei, sine cuius permissione non peccaremus. Igitur sicut Deus, ne lędat iura creatę libertatis, & propter alias causas, quas in tractatu Prædestinationis, & alibi assignant Auctores, multa peccata altissima providentia permittit: sic sancti Angeli, etiam si superioritatem habeant in dœmones, iuxta directionem divinę providentię sinunt, eos multa mala operari. Adde, quòd hæc sanctorum Angelorum superioritas non est tanta, vt possint semper dœmonum actiones impedire.

9 Dices secundò: ex singulis Angelorum ordinibus aliqui ceciderunt: ergo multi dœmones erunt superioris naturæ, & perfectionis, quàm Angeli Custodes: ergo respectu illorum non erunt superio-

periores. Respondetur distinguendo secundum consequens: verum quippè est, quòd non sunt superiores vi naturalis perfectionis: sunt tamen vi dispositionis divinæ: qua Deus subiecit dæmonia, etiam perfectioris naturæ, sanctis Angelis; sicut eosdem subiecit discipulis propter rationes, quas *numero* 7. expendebamus. Et hæc de toto Angelorum tractatu dixisse sufficiant. Ad laudem omnipotentis Dei; eius Immaculatæ Parentis; omniumque sanctorum.

FINIS.

IN-

INDEX
CAPITVM, DIFFICVLTATVM, ET DVBIORVM HVIVS TRACTATVS DE ANGELIS.

CAPVT I.
De Angelorum existentia. pag. 3.

Difficultas 1. Qua certitudine gaudeat, Angelos existere. 3.
Dubium 1. An Angelos existere sit naturaliter demonstrabile? 4.
Dubium 2. Vtrùm possit naturaliter ostendi, possibile esse Angelum existere? 7.
Difficultas 2. Vtrùm omnes Angeli receperint esse, seu existẽtiam à Deo immedite? 9.
Dub. An ratione naturali possit efficaciter ostẽdi, omnes Angelos recepisse esse, seu existẽtiam à Deo immediatè? 11.
Difficultas 3. An Angeli creati fuerint ante mundum corporeum? 12.
Dub. 1. An nostra sententia sit definita, & opposita damnata? 16.
Dub. 2. Vtrùm concilium Lateranense potuerit definire nostram sententiam? 20.
Dub. 3. An sit possibile, Deum creasse Angelos ab æterno, 22.
Diffic. 4. An Angeli fuerint creati in cœlo empireo? 24.
Dub. Quid dicendũ sit in suppositione, quòd cœli, & elemẽta fuerint creata, antequã Angeli crearentur? 26.

CAPVT II.
De spectãtibus ad Angelorũ essẽtiã. 27.

Dificultas 1. An Angeli sint spirituales, & incorporei? 27
Dubium 1. Qua certitudine sit tenendum, Angelos esse merè spirituales? 32.
Dub. 2. An saltem sit aliqua cẽsura dignum nunc temporis affirmare Angelos esse corporeos? 32.
Dificultas 2. An in Angelis sit admittenda aliqua compositio? 33.
Dubium 1. An Angelus sit compositus ex materia, & forma? 35.
Dub. 2. An Angelus possit materiam informare? 39.
Diffic. 3. An Angeli sint immortales, & incorruptibiles? 39.

Dif-

Difficultas 4. Vtrùm Angelus ex natura sua sit defectibilis, aut convertibilis in nihil. 43.
Dub 5. Vtrùm Angelus dicendus sit ens necessarium? 45.
Diffic. 5, Vtrùm Angelus differat specie ab anima rationali? 46.
Dub. An intellectualitates Angeli, & animæ differăt spe? 49.
Difficul. 6. Quæ potentiæ sint in Angelo? 52.
Dub. Vtrùm in Angelo sint intellectus agens, & possibilis? 53.
Diffic 7. Quomodo potentiæ Angeli distinguantur ab eius essentia? 56.

CAPVT III.

De numero & distinctione Angelorum. 62.

Difficultas 1. Vtrùm ingens sit Angelorũ numerus? 62.
Dub. 1. An Angeli excedant numerum hominum, qui sunt, fuerunt, & erunt? 63.
Dub. 2. An numerus Angelorum excedat numerum rerũ corporearum? 65.
Diffic. 2. De distinctione Angelorum. 66.
Dubium 1. Vtrùm sit possibile Angelos solùm numero differre? 66.
Dubium 2. Vtrùm de facto dentur plures Angeli solùm numero distincti? 73.
Dubium 3. Vtrùm inter Angelos detur distinctio specifica? 76.
Difficultas 3. De distinctione Angelorum quantùm ad ordines, & Hierarchias? 81.
Dubium 1. Quid sit Hierarchia? & in quibus rebus reperiatur? Et quid sit Angelorum chorus seu ordo? 83.
Dubium 2. Quantus sit numerus Hierarchiarum, & ordinum Angelorum? 83.
Dubium 3. Petes singulorum ordinum nomina; necnon & seriē, qua sunt numerădi? 85.
Dubium 4. Vtrùm illæ novem voces *Angelus, Archangelus, &c.* significent distinctas personas? an solùm munera distincta? 86.
Dub. 5. Quomodo distinguătur Hierarchiæ inter sese? 87.
Dub. 6. An specificè differant Angeli diversorum ordinum aut Hierarchiarum? 90.

CAPVT IV.

De spectantibus ad intellectum Angelorum. 90.

Diffic 1. De intellectu, seu potētia intellectiva Angeli 91.
Dub. 1. Quomodo intellectus Angeli distinguatur ab ei⁹ substantia? 91.
Dub. 2. Vtrũ in Angelo ponend⁹ sit duplex intellect⁹, ali⁹ agēs & alius possibilis? 91.
Dubium 3. De statibus, in quibus intellectus Angeli potest considerari circa aliquod obiectum? 92.
Difficultas 2. De actu, quo Angelus intelligit 93.

Du-

Dubium 1. Quomodo distinguatur cognitio Angeli ab ei⁹ substantia & potentia? 94.
Dubium 2. An in Angelo ponendi sint multi actus? an sufficiat vnus ad intelligēdum omnia obiecta? 95.
Dubium 3. An cognitio Angeli posit esse discursiva? 96.
Dubium 4. Vtrùm Angelus iudicet per compositionem, aut divisionē extremorum? 101.
Dubium 5. Vtrùm in Angelo detur cognitio matutina, & vespertina? 104.
Diffic 3. De speciebus impressis Angelorum? 108.
Dubium 1. Vtrū Angelus egeat speciebus intelligibilibus ad cognoscendum? 109.
Dub. 2. An ponendæ sint in Angelo spes impresi e ad cognoscendum obiectum sibi realiter præsens, & proportionatum? 117.
Dub. 3. Vtrùm Angelus cognoscat immediate se ipsum per suam essentiam? 126.
Dub 4. Vtrùm Angelus posit intuitivè cognoscere sensibilia? 131.
Dub. 5. An Angelus accipiat â rebus species? an illas habeat à Deo infusas? 133.
Dub 6. Vtrū species Angelo infusæ fuerint illi connaturales? 136.
Dub 7. Vtrùm species Angelo infusæ fuerint eductæ ab illius intellectu? 138
Dub. 8. An vna, & eadem species posit plura repræsentare, seu esse repræsentativa plurium obiectorum? 139.
Dub. 9. An Angelo viatori data fuerit species divinę essentiæ? 142.
Diffic. 4. De obiectis cognitis ab Angelo. 147.
Dub. 1. An vnus Angelus alterū comprehendat? 149.
Dub 2. An Angelus viribus proprijs evidenter cognoscat secreta cordium? 151.
Dub. 3. An Angelus naturaliter posit cognoscere secreta cordium? 155
Dub. 4. Quid sit secretum cordis? 159
Dub. 5. An Angelus naturaliter cognoscat aliqua supernaturalia, seu mysteria gratiæ, postquam iam sunt in executione posita? 162
Dub. 6. An Angel⁹ per revelationem noverit aliqua? 170.
Dub. 7. An Angelus viator habuerit fidem Trinitatis? 170
Dub. 8. An Angelus viator habuerit fidē Incarnationis? 171.
Dub. 9. Quid dedicēdū sit de Angelis malis, postquā amiserunt statum vię, & fuerunt in statu damnationis? 172.
Dub. 10. An Angelus naturaliter cognoscat omnia posibilia 175
Dub. 11. An Angelus naturali. cognoscat futura? 174.
Dub. 12. An Angelus naturaliter cognoscat præterita. 181.

Dub.

Dubium 13. An Angelus per species proprias possit cognoscere præteritum, vt præteritum, quod aliasnon cognovit quandò existebat? 184.
Dub. 14. Vtrùm Angelus naturaliter possit simul intelligere plura obiecta omnino dispa-rata? 187.
Dubium 15. Vtrùm Angelus eadem cognitione possit cognoscere plura obiecta dispa-rata? 190.
Dub. 16. Vtrùm Angelus cognoscat per discursum? 190.
Dub. 17. Vtrùm Angelus cognoscat componendo, aut dividendo? 190.
Dub. 18. Vtrùm in Angelo detur cognitio matutina, & vespertina? 190.

CAPVT V.

De locutione, & illuminatione Angelorum. 194.

Difficultas 1. De spectantibus ad Angelorum locutionem. 195.
Dub. 1. An inter Angelos sit locutio? 195.
Dub. 2. An locutio in Angelis reperta sit vera & propria? 195
Dub. 3. Quod sit? aut in quo consistat Angelica locutio? 196
Dubium 4. An Angelus possit Angelo loqui nihil in illo efficiendo? 199.
Dubium 5. Quid Angelus loquens possit causare in Angelo audiente? 202.
Dubium 6. Quid de facto Angelus loquens causet in audiente? 213.
Dubium. 7. Quod principaliter & per se Angelus loquens intendat causare in Angelo audiente? 213.
Dubium 8. Cur Angelus loquēs nō causet aliquādo in Angelo audiente cōceptum, seu cognitionem? 215.
Dub. 9. In quo consistat Angelica loquutio? 219.
Dub. 10. Quæ sit differētia inter audire & videre actualē conceptum loquentis? 222.
Dub. 11. An Angelus inferior possit loqui superiori in omni eventu? 225.
Dub. 12. An Angeli sibi invicem loquantur in quacumque distantia? 226.
Dub. 13. An Angelus possit vni, vel alteri loqui, non tamē omnibus præsentibus? 229
Dub. 14. An Angelus possit simul pluribus loqui? 230.
Dub. 15. Quantis Angelis numero possit vnus Angelus loqui? 231.
Dub. 16. An Angelus possit loqui vni, quin ab alijs audiatur? 232.
Dub. 17. An plures Angeli possint simul loqui eidem Angelo? 233.
Dubium 18. An Angelus possit alteri loqui de obiecto iam no-

noto audienti? 234.
Dub. 19 Quomodo Angelus audiens discernat loquentē? 235.
Dub. 20. An loquutio sit actus intellectus? an voluntatis? 236.
Dub. 21. Qualis sit cognitio per loquutionem causata in audiente? 238.
Dub. 22. An vnus Angelus posit alium per loquutionem decipere? 240.
Dub. 23. Quomodo Angeli loquantur animæ tam separatæ, quā coniunctæ sensibus? 241.
Dub. 24. Quomodo Angeli, aut anima loquantur Deo? 242.
Diffic. 2. De his, quæ spectant ad Angelorum illuminationem? 242.
Dub. 1. Quid sit Angelica illuminatio? 242.
Dub. 2. An vnus Angelus illuminet alium? 244.
Dubium 3 An Angelus superior posit illuminare inferiorem faciendo vt aliquid videat in verbo: 248.
Dubium 4. An Angelus inferior posit illuminare superiorem? 249.

CAPVT VI.

De Angelorum memoria. 250.

Diffic. vnica De spectantibus ad essentiam & existentiam memoriæ. 250.
Dub. 1. Quid sit memoria? 250.
Dub. 2. An existat memoria? 252.
Dubium 3. Quomodo distinguatur memoria ab intellectu? 254.
Dub. 4. An in Angelo reperiatur memoria? 254.

CAPVT VII.

De voluntate Angeli. 256.

Difficul. 1 De spectantibus ad voluntatem Angeli, quatenus est potentia? 256.
Dub. 1. An in Angelo reperiatur voluntas? 256.
Dubium 2. An voluntas Angeli distinguatur à sua substantia, & ab eius intellectu & alijs potentijs; & quomodo? 257.
Dubium 3. An in voluntate Angeli distinguendæ sint propēsiones iustitiæ, & commodi? 257.
Dub. 4. An in voluntate Angeli distinguendæ sint propensiones irrascibilis, & concupiscibilis? 257.
Diffic. 2 De spectantibus ad actū voluntatis Angelorum; necnō & ad modum liberè procedendi ab illorum voluntate. 260.
Dub. 1. Vtrùm actus voluntatis Angeli ab ipsa libere procedat? 260.
Dub. 2. An circa bonum in cōmuni propositum libere operetur Angelus? 261.

Dub.3. An voluntas Angeli possit cessare ab omni actu? 263.
Dub.4. An Angelus amore naturali plus diligat Deum, quam se ipsum? 264.
Dub.5. An Angelus ita sit liber vt peccare possit contra præcepta naturalia? 267.
Dubium incidens, An possit dari aliqua creatura libera aliàs impeccabilis per naturam? 268.
Dubium.6. An Angelus in primo instante suæ creationis habuerit libertatem requisitam ad peccandum? 270.
Dub.7. An Angelus potuerit mereri in primo instanti? 278.
Dubiũ 8. An Angelus meruerit de facto, aut peccauerit in primo instanti suæ creationis? 278.
Dub.9 An in Angelo viatore admittendi sint actus indeliberati? 280.
Dub.10. An Angelus habeat liberum arbitrium natura sua inflexibile? 281.

CAPVT VIII.

De potentia motiva, seu executiva Angeli. 282.

Diffic. 1. De spectantibus ad potentiam executivam Angeli quãtũ ad eius existẽtiam, distinctionẽ ab alijs potentijs; & quantum ad ea, quæ potest producere? 283.
Dub. 1. An detur in Angelo potentia executiva? 283.
Dub. 2. An potentia executiva Angeli distinguatur ab eius intellectu & voluntate? 283.
Dub. 3. An Angelus per potentiam executivã possit causare aliquam substantiam, aut accidens absolutum? 383.
Dub.4. An Angelus per potentiã executivã possit localiter movere se & alia? 286.
Diffic. 2. De loco Angelorum. 286.
Dub. 1. An Angelus sit in loco propriè & non abusivè? 286.
Dub. 2. An Angelus sit in loco per aliquod *vbi* intrinsecum? 286.
Dub.3. Quodnam sit fundamentum præsentiæ, seu vbi Angeli? 292.
Dub 4. An Angelus possit esse in loco indeterminato? 294.
Dubium 5. An Angelus naturali sua virtute exigat locum determinatum? 295.
Dub. 6. An Angelus naturaliter exigat aliquam certam & determinatam extensionem, seu magnitudinem loci? 295.
Dub.7. an Angelus possit existere in minori loco, aut in quacumque parte loci, quem naturaliter exigit? 296.
Dub.8. Possitne Angel⁹ existere in quolibet indivisibili sui spatij, aut loci adæquati? 298
Dub.9. An Angelus possit se extendere ad locum maiorem suo

suo spatio adæquato? 300.
Dub. 10. An Angelus possit naturaliter esse in pluribus locis adæquatis? 301.
Dub. 11. An Angelus possit naturaliter esse simul in locis inadequatis? 301.
Dub. 12. An plures Angeli possint esse simul in eodem loco? 305
Diffic. 3. De motu Angelorum erga se ipsos. 309.
Dub. 1. An Angel⁹ propriè possit se ipsum naturaliter movere localiter? 309.
Dub. 2. An motus localis sit aliquid realiter inhærens Angelo? 311.
Dub. 3. Quot modis possit Angel⁹ localiter moveri? 314.
Dub. 4. An motus Angeli sit cōtinuus? 315.
Dub. 5. An motus Angeli sit successivus, & consumens tempus? 316.
Dub. 6. An Angel⁹ possit moveri ab extremo in extremū nō trāseundo per medium? 320.
Dub. 7. Vtrū Angelus de potētia absoluta possit transire de extremo ad extremum non trāseundo per medium? 323.
Dub. 8. Vtrū Angelus possit moveri in instanti? 326
Dif. 4. De motu locali, quē Angelus potest exercere circa alia. 328.
Dub. 1. An Angelo insit naturaliter virtus seu potētia ad movēdum localiter alia? 328.
Dub. 2. An quilibet Angel⁹ possit quodlibet corpus movere localiter? 329.
Dub. 3. An vn⁹ Angel⁹ possit aliū Angelū movere localiter, aut detinere illum invitum? 330.
Dub. 4. Quomodo Angelus moveat alia? 332.
Dub. 5. An per motū localē applicando activa passivis Angelus possit operari aliquid mirabile? 335.
Dif. 5. De assumptione corporali ab Angelo facta. 336.
Dub. 1. An sit certum, Angelos assumpsisse aliquando corpus? aut in corporali forma apparuisse? 336.
Dub. 2. Quomodo Angel⁹ assumat corp⁹ in quo apparet? 336.
Dub. 3. Qualia sint corpora in quibus Angelus aliquando apparet? 338.
Dub. 4. An Angel⁹ possit assumere corp⁹ cœleste? seu formare corp⁹ ex materia cœli? 339.
Dub. 5. An Angel⁹ possit formare corpus ex puro aere? 340.
Dif. 6. De operationib⁹, quas Angelus in corpore assumpto potest exercere? 341.
Dub. 1. An Angel⁹ in corpore assūpto possit exercere, seu efficere motum localem: 341.
Dub. 2. An Angelus in corpore assumpto possit exercere aliquam operationem sensitivam? 342.
Dub. 3. An Angelus in corpore assumpto possit exercere actus vegetativos? 343.

Dub. 4. An Angelus in corpore assumpto veræ actum comestionis possit exercere? 344.
Dub. 5. An Angelus in corpore assumpto possit verum miraculum efficere? 349.
Diffi. 7. De apparitionibus factis ab Angelis in corporibus assumptis. 350.
Dub. 1. An omnes apparitiones Dei, quæ sub corporali specie in veteri testamento narrãtur, factæ sint ministerio Angelorum? 350.
Dub. 2. An ministerio Angelorum factæ sint omnes apparitiones, quæ in novo testamento sub nomine Dei referuntur factæ? 352.
Dub. 3. An Christus D. postquam ascendit ad cœlos apparuerit alicui per se ipsum immediatè: an ministerio Angelorum? 352.
Dub. 4. An apparitiones, quæ à Beatissima virgine, & alijs sanctis leguntur, factæ sint ministerio, & interventu Angelorum? 354.
Dub. 5. Cuius ordinis sint Angeli, quorũ interventu prædictæ apparitiones fiunt? 355.
Dub. 6. (incidens) Vtrùm Christus Dominus per se ipsum immediatè apparuerit P. N. Francisco, dum ipsum sacris nostræ Redemptionis signis stigmatizavit? 356.

CAPVT IX.

De mensura, seu duratione Angelorum. 357.

Diffic. 1. De duratione & mensura in communi. 357.
Dub. 1. An existentia sit aliquid realiter distinctum a re, quæ durare dicitur? 358.
Dub. 2. An præter mensuram, seu durationem intrinsecam rei, detur duratio, seu mensura extrinseca illius? 366.
Dub. 3. Quotuplex sit duratio? aut quomodo dividitur? 366.
Dubium 4. Quid sint durationes successivę, & permanentes? 367.
Dub. 5. An sint plura tẽpora specie diversa? 369.
Dub. 6. Quomodo dividatur duratio permanens? 569.
Dub. 7. Quid sit æternitas? 370.
Dub. 8. Quid sit ævum? 370.
Dub. 9. De discrimine harum durationum? 371.
Diffic. 2. De spectantibus ad propriã Angelorum durationem. 372.
Dub. 1. Qualis sit mensura Angeli? 372.
Dubium 2. An ævum Angeli sit realiter distinctum ab illius esse? 373.
Dub. 3. An operatio immanẽs Angeli mensuretur ęvo? 373.

Dub.

Dub. 4. An visio beatifica & fruitio Angeli mensuretur ævo? 376.
Dubium 5. An actiones trãseuntes Angeli mensurentur tempore nostro? 378.
Dub. 6. An detur aliquod tempus discretum? 379.
Dub. 7. An posit defendi, quòd ęvũ intrinsecum Angeli in ipso ponat successionem absolutã? 382.
Dubium 8. Vtrùm respectu omnium Angelorum sit vnicum ævum? 385.

CAPVT X.

De habitibus naturalibus Angelorum. 386.

DIffic. Vnica An in Angelo ponedi sint habitus acquisiti ordinis naturalis? 186.
Dubium 1. Quod sit fundamentũ affirmatiuæ sententiæ? 386.
Dub. 2. Quod sit fundamentum sententiæ negativæ? 386.

CAPVT IX.

De gratia Angelorum. 389.

DIffi. 1. De spectãtibus ad gratiam sanctificantem Angelorum? 389.
Dub. 1. An Angeli creati fuerint in gratia sanctificã? 390.
Dub. 2. Quod sit fundamentum sententiæ affirmativæ? 390.
Dub. 3. Quod sit fundamentum sententiæ negativæ? 392.
Dub. 4. An omnes Angeli in sua creatione fuerint vniformes? 394.
Dub. 5. An mali Angeli aliquando habuerint gratiam sanctificantem: 395.
Dub. 6. An Angeli habuerint gratiam sanctificantẽ per propriã dispositionem? 397.
Dub. 7. An Angelis fuerit collata gratia supernaturalis iuxta proportionẽ suæ naturalis perfectionis? 401.
Dub. 8. An simul cum gratia sanctificante infusi fuerint Angelis habitus fidei, spei, & charitatis, &c. 405.
Diffic. 2. De spectantibus ad gratiam actualem Angelorũ. 405.
Dub. vnicum An Angelo viatori fuerit necessarium aliquod auxilium gratiæ ad virtuose operandum? 405.

CAPVT XII.

De Angelorum gloria, merito, & moralis. 406.

DIffi. 1. De gloria seu beatudine Angelorum. 406.
Dub. 1. In quo consistat beatitudo naturalis Angelorum? 406.
Dubium 2. In quo consistat beatudo supernaturalis Angelorum? 407.
Dub. 3. An omnis Angeli creati fuerint Beati beatitudine naturali? 407.

Dub.4. An Angeli creati fuerint Beati beatitudine supernaturali viæ? 410.
Dub. 5. An Angeli creati fuerint Beati beatitudine supernaturali patriæ? 410.
Diffic. 2. De Angelorum merito? 411.
Dub.1. An Angeli meruerint suã Beatitudinem supernaturalẽ? 412.
Dub.2. Per quæ opera Angeli meruerint suam supernaturalem beatitudinem? 413.
Dub. 3. An Angelus potuit creari Beatus, seu esse beatus in primo instãti suæ creationis? 417.
Dub.4. An Angeli Beati in statu Beatitudinis noverint diem iudicij? 418.
Dub.5. An in Angelis Beatis reperiantur dotes gloriæ? 419.
Dub. 6. Quid dicendum sit de desponsatione Angeli Beati respectu Christi D. 420.
Diffic. De morulis repertis inter creationem, & terminum Angelorum. 423.
Dub 1. Vtrùm Angelorum morula mensuretur per nostrum tempus, aut per illius instans? 424.
Dubium 2. Quid cogat ad concedendum aliquam morulam in Angelis? 425.
Dubium 3. Quid cogat ad ponendum plures morulas in Angelis? 425.
Dubium 4. Quot sint status Angelorum? 425.
Dub. 5. Quantum duraverit quilibet horum statuum? 427.
Dubium 6. An Angeli acceperint gloriam in primo instanti suæ creationis? 428.
Dub 7. An mali Angeli fuerint aliquãdo gloriã consecuti 429
Dub.8. An Angeli boni in secundo instanti consequuti fuerint gloriam? 430.
Dubium 9. Quomodo cœperint & finierint Angelorum morulæ? 433

CAPVT XIII.

De Peccato Angelorum, necnon & de illorum pœna. 435.

Difficul.1. De spectantibus ad Angelorum peccatum. 435.
Dub. 1. Ex qua Hierarchia, & ex quo ordine sint Angeli, qui ceciderunt? 436
Dubium 2. Quantus fuerit numerus Angelorum, qui ceciderunt? 437.
Dub.3. An Angeli, qui ceciderũt, fuerint à Lucifero inducti? 437
Dub.4. An Lucifer alios Angelos induxerit non solùm exemplo sed etiam persuasione? 438.
Dub.5. An omnes Angeli simul tempore peccaverint? 440.
Dub. 6. Ad quæ peccata Angeli fuerint à Lucifero inducti? 442.
Dubium 7. Ex qua Hierarchia & ex quo ordine fuerit Lucifer? 444.
Dub.8. An Lucifer ita fuerit in-

ter

ter omnes spiritus supremus vt nullũ habuerit æqualem? 445.
Dub. 9. Quodnam fuerit primũ peccatum Luciferi? 446.
Dub. 10. An actus amoris amicitiæ sit distinctus ab amore cõcupiscentiæ, quo Lucifer v. g. appetivit suam supernaturalẽ beatitudinem? 446.
Dub. 11. An actus amicitiæ, quo se Lucifer v.g. amavit inordinatè, sit distinctum peccatum ab amore concupiscentiæ, quo inordinatè, appetivit suam supernaturalem beatitudinem aut aliud obiectum? 449.
Dub. 12. An illa Luciferi v. g. amicitia, quæ fuit eius primum peccatum, fuerit superbia propriè dicta? 453.
Dub. 13. An immoderatus amor amicitiæ qua Lucifer v.g. suã excellentiam amavit, sit formaliter luxuria spiritualis? 456
Dubium 14. Quodnam obiectũ primo concupierit Lucifer v. g. postquam se inordinatè amavit? 459.
Dub. 15 Quomodo potuerit peccare Lucifer appetendo suam supernaturalẽ beatitudinem? 461.
Dub. 16. An inordinatus ille affectus Luciferi v.g. de sua supernaturali beatitudine fuerit superbia? an luxus spiritualis? 464.
Dub. 17. An peccaverit Lucifer appetendo vnionẽ hypostaticã? 465.
Dub. 18. An Lucifer v.g. potuerit appetere æqualitatem Dei in natura? 467.
Dub. 19. An Lucifer de facto peccarit appetendo æqualitatem Dei in natura? 470.
Dub. 20. An ad peccatum præcesserit necessariò aliquis error, ignorantia, aut incõsideratio in primo Angelo v.g. 471.
Dub. 21. An Lucifer v.g. potuerit peccare in primo instanti suæ creationis? 472.
Dub. 42 An Lucifer v.g. de facto peccarit in primo instanti? 476
Diffic. 2. De spectantibus ad pœnas, quas mali Angili patiũtur propter peccata. 478.

De pœna obcæcationis Angelo inflicta. 478.

Dub. 1. Quid sit intellectus obcæcatio, & aggravatio? 478.
Dub. 2. An intellectus dœmonis sic fuerit obcæcatus, vt nullã veritatem cognoscat? 479.
Dub. 3. An excæcatio, & aggravatio aliquomodo sint à Deo? 481.

De obstinationis pœna Angelo inflicta. 481.

Dub. 4. Quid sit obstinatio, aut obduratio? 481.
Dub. 5. An Angelus viator postquam peccaverit ita manserit obstinatus in malo, vt pœnitere nequiuerit? 482.
Dub. 6. An Angelus post viam ita manserit obstinatus in malo, vt fructuosè pœnitere nõ possit? 582.

Dubium 7. An voluntas Dœmonis ita in malo manserit obstinata, vt nequeat efficere aliquod opus bonum morale vndequaque benè circumstantionatum? 482.
Dubium 8. An dœmon ita sit obstinatus vt non posit efficere aliquod opus bonum, quo de congruo disponatur ad recipiendum gratiam sanctificantem? 487.

De pœna damni Angelo inflicta. 488.
Dub. 9. In quo consistat pœna damni? 488.
Dub. 10. An dœmoni inflicta fuerit pœna damni? 489.
De pœna sensus Angelo inflicta: 489.
Dub. 11. In quo consistat pœna sensus Angelorum? 489.
Dub. 12. An ignis inferni cruciet malignos spiritus? 489.
Dub. 13. Quomodo ignis inferni cruciet Angelos? 489
Dub. 14. Quomodo ignis causet in Angelo tristitiam? 492.
Dub. 15. In qua parte vniversi sit locus inferni? 498.
Dub. 16. An in inferno dœmones, & alij damnati crucientur solùm per ignem? 499.
De pœna tristitia dœmonibus inflicta. 501.
Dub. 17. Quid sit tristitia? 501.
Dub. 18 An in dœmone reperiatur tristitia? 502.
Dub. 19. An tristitia dœmonis sit ita vehemens vt excludat omnem delectationem? 502

CAPVT XIV.

De Angelis Custodibus, necnon & de dœmonibus tentatoribus hominum. 504.

DIf. 1. De spectantibus ad sanctos Angelos Custodes. 504.
Dubium 1. An aliqui Angeli deputentur ad hominum custodiam? 504.
Dub. 2. An quilibet homo habeat suum specialem Custodē? 505.
Dub. 3. An Christus D. habuerit Angelum Custodem? 507.
Dub. 4. An omnes alij homines habeāt Custodes Angelos? 508.
Dub. 5. An Angelorum custodia incipiat à conceptione fœtus? 510.
Dub. 6. Quamdiu duret Angelorum custodia? 512.
Dub. 7. An soli homines habeant Angelos Custodes? 512.
Dub. 8. An sit necessarium, quòd Custos, semper assistat localiter circa suū custoditum? 513.
Dub. 9. An inter bonos Angelos Custodes posit esse spiritualis pugna? 513.
Dub. 10. An tristetur Angelus Custos quando frustratur suo fine? 514.
Dub. 11. An omnes Angeli mittātur ad hominum custodiam, vel vtilitatem? 515.
Dub. 12. Quo ordine cōmittatur Angelis custodia hominum & aliarum rerum? 516.
Dub. 13. Qui sint peculiares effectus Angelicæ custodiæ. 516.

Dif.

Dif.2. De ſpectātibꝰ ad dœmones hominũ impugnatores: 518
Dub. 1. An homo viator impugnetur à dœmonibus? 518.
Dub. 2. An ſingulis hominibus deputetur peculiaris tentator? 518.
Dubium 3. An hominum omnia peccata ex dœmonis tentatione procedant? 520

CAPVT XV.

De Hierarchijs malorum Angelorum. 520.

Difficult. vnic. De Hierarchijs dœmoniorum, atque de illorum ordinibus. 521.
Dub. 1. An in dœmonibus reperiantur Hierarchiæ, & ordines? 521.
Dub. 2. An in Hierarchijs dœmonum ſit vnus ſuperior, qui vere ſit aliorum Princeps, ſeu Prælatus? 521.
Dub. 3. Quot ſunt Hierarchiæ, & ordines Angelorum malorum? 522.
Dub. 4. An dœmonia cuiuſcũque Hierarchiæ, & ordinis ſubiecerit Deus ſanctis Angelis præcipuè Cuſtodibus? 523.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.
Littera p. indigitat paginam: littera autem n. numerum difficultatis.

ALIQVOT PAGINARVM NVMERI Typographi incuria illegitimi euaserunt. Quare, si aliquoties citationi numerus non quadret, ex reliquorum serie facilè legitimus deprehendetur.

A.

Accidens.

DVo accidentia contraria sunt simul incompossibilia in eodem subiecto quia in illis est formalis repugnantia p. 204. num. 30. Et ideo per nullam potentiam possunt esse simul. Quod saltem est intelligendum de accidentibus in gradibus intensis, p. 205. nu. 31. Duo accidentia eiusdem rationis non cohærent eidem subiecto. p. 208. n 41. & p. 212. nu. 53. Si tamen habeant aliquã diuersitatem possunt eidem inesse, & de facto insunt. pag. 212. n. 53. & p. 216. num. 63. & p. 234. n. 117. & p. 120. n. 26. Si vna albedo esset præsens infinitis oculis in infinitis locis, vel in eodem loco se penetrantibus, non causaret infinitas species. p. 231. n. 110. In quo casu determinaretur à causa prima ad producendum species potiùs in istis oculis, quàm in illis. Ibi nu. 111. Inhærentia actualis est complementum accidentis, sicut modus subsistentia est complementum substantiæ. p. 123. nu 35.

Actio.

Actio immanẽs solum grãmaticaliter est actio: cùm sit qualitas. p. 206. num. 34. Denominat non producentẽ, sed recipien-

pientem. Ibidem. Actio immanens, aut actio vitalis accidentaliter est immanens, seu non necessariò recipitur in produducente. p. 206 n. 35. & 36. Vide verbum *Locutio*, seu *Angeli locutio*.

Actus.

Actus vitalis est qualitas absoluta: cui superadditur relatio realis ad obiectum realiter existens. p. 165. n. 58. & 59. Dicitur actio grammaticaliter: cùm sit qualitas. p. 206. n. 34. Denominat recipientem non autē producentem, vt talem. Ibidē. Vitalitas actus in quo sita sit? p. 207. num. 37. Actus formalis, & potentia obiectiua opponũtur; non autē actus, & potentia subiectiua. p. 311. n. 7. Nihil potest simul esse in actu existētiæ, & in potentia obiectiua p. 130. n. 52. Distinctio specifica, & numerica actuum vnde sumatur. p. 95. à n. 6.

Adamus.

Extra paradisum fuit creatus p. 26. n. 4. & p. 27. num. 6.

Aer.

Aer solet significari nomine cœli. p. 339. n. 11. & pag. 25. num. 1.

Æternitas.

Quid sit æternitas? p. 370 n. 36. Discrimen inter æternitatem, & æuum. p. 371 à num. 41. Æternitate solus Deus durat. p. 372. n. 1. Non datur æternitas participata. p. 376. num. 11.

Æuum.

Æuum quid sit? p. 370. nu. 38. Æuo durant omnia creata permanentia. p. 373. num. 2. Sĕtentia D. Bonauenturæ ponentis successionem in æuo Angeli est probabilis ex mente Scoti p. 382. à num. 29.

Agens.

Sufficit, quòd agens sit præsens passo per suam virtutem. p. 225. n. 23. Non est perfectio simpliciter in agente materiali producere substantiam educendo formam de potentia materiæ. p. 285. n. 9. Agens corporeũ quare habet determinatam sphærã. p. 228. n. 103. De propinquitate, & distantia agentium ad passum plura p. 226. à num. 89. Pro aliis vide verbum *efficiens*.

Amicitia, Amor, & Amare.

Amor amicitiæ præcedit amorem concupiscentiæ pagin. 446. num. 31. Amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ sunt distincti actus. Ibi. à num. 32. Cur amor amicitiæ vocatur affectio iustitiæ? p. 447. num. 32. Amor amicitiæ, & concupiscentiæ ferè semper sunt coniuncti. Ibi num. 34. Amor amicitiæ quasi perficitur accidentaliter amore concupiscentiæ, pagin. 448. numero 35.

Per

Persona amata amore amicitiæ est finis cui; bonum autem illi concupitum est finis *qui*, aut cuius gratia. Ibidem. Quare dixerit Scotus, velle amicitiæ esse actum concupiscibilis; cùm reuera non sit? p.448.n. 36. & 38 Amor est perfectior virtus, vel actus. p. 407. n. 3. In actu amoris amicitiæ erga se ipsum potest esse læthalis malitia ex parte modi attingendi se. pag. 449. n 40. Amicitia erga me inordinatè appretiatiua mei ipsius est origo, vnde procedunt alia peccata. p. 450. num. 42. Declaratur, quando est inordinata. Ibidem. Amicitia ad alterum innotescit per accessum, & recessum ab amicitia sui ipsius. p. 255. num. 18.

Angelus.

Angeli existentia.

Angelus non est nomen naturæ, sed officij. pag. 1. num. 1. Fidei dogma est Angelos existere tàm bonos, quàm malos. p. 3. n. 1. Angelos existere non potest demonstrari lumine naturali p. 4. num. 2. Possibilitas eius potest naturaliter ostendi. pag. 7. num. 10.

Angelorum creatio.

Omnes Angeli creati sunt immediatè à solo Deo. pag. 9. num. 1. Hoc nequit efficaciter probari ratione naturali. p. 11. num. 5. Conditi sunt Angeli simul cū natura corporea ab initio temporis p. 13. num. 3. Tamen opposita sententia non est damnata ab Ecclesia. pag. 17. n. 12. Imo est probabilis pag. 19. num. 18. & 19. Angeli conditi sunt primo die creationis ante plures res sensibiles, pag. 14. n. 6. Primo suæ conditionis instanti laudaverunt Deum cōditorem suum. pag. 14. n. 6. An primus dies creationis Angelicæ fuerit naturalis; an instans solummodo? vertitur in disputationem à Doctoribus. p. 18. num. 15. Potuit Angelus creari ab æterno. p. 22. num. 24. In suppositione, quòd cœli, & elemēta sint creata, antequàm Angeli, dicendū est, Angelos fuisse creatos in cœlo sydereo, pag. 26. num. 4.

Angelorum substantia, & qualitas.

Angeli sunt omnino incorporei, ac merè, & integrè spirituales. pag. 28. n. 2. Quæ veritas est omnino certa; sed nondum ab Ecclesia definita. p. 32. n. 1. Nec debet opposita sentētia aliqua cēsura inuri. Immo existimo esse probabilē: est enim multorū Ecclesiæ Patrum. p. 32. n. 12. & p. 36. num. 8. Angelus est compositus metaphysicè ex terminis ex natura rei formaliter distinctis. p. 33. à num. 1. Item est compositus ex natura indiuidua, & subsistentia: atque ex subiecto & accidente. p. 34. n. 4. & 5. Non autem ex materia, & forma. p. 35. n. 6. Angelus potest

rest dici purus actus, & in quo sensu.p.38.n.11. Nequit adhuc diuinitus informare materiam aliquam p.39.n.13. An posit terminare alienam naturam? Est problema.pag.39.n.14. Ex natura sua est immortalis, & incorruptibilis.p.40.num.2. Annihilari potest; sed nullam habet propensionem physicam ad hãc annihilationem.p.43.n.1. Immo innatam habet inclinationem, & exigentiam, seu debitũ naturalis exigentiæ ad sui conservationem.pag.44.num.2. Et solum habet ex parte sui non repugnantiam ad annihilationẽ. p.45.num 5. Quo sensu Angelus posit dici ens simpliciter contingens; & quo ens necessariũ, declaratur.p.45.num.7.

Angelorum distinctio specifica, & numerica.

Ideò primò distinguũtur specie Angelus, & anima, quia vnusquisque est talis natura ex se.pag.46.num.2. Numerus Angelorum ita excedit hominum multitudinem, vt vnicuique hominum possint decem Angeli in Custodiam assignari. p.63.n.4. Angeli Beati erunt saltem duplo plus, quàm homines Beati.pag 64.n.7. Angelorum multitudo excedit numerum specierum materialium; sed non adæquat numerum indiuiduorum materialium, pag.66.num.13.& 14. Natura Angelica plurificabilis est numero.pag.66. à num. 2. Oppositum erroneis principijs defendit Aristoteles. Vide pulchram rationem, ob quam ipsum deserat Scotus. p.70.num. 10. De facto dantur plures Angeli solum numero distincti.pag.75.num.24. In Angelis vnius ordinis sunt primi, medij, & vltimi.pag.75. num.23. Omnes Angeli sunt eiusdem speciei infimæ. p.76. à n.27.& pag.90.num.14. Alij Angeli sunt alijs præstantiores perfectione indiuiduali.pag.79. n.33.& 34.

Angelorum Hierarchiæ, & chori, seu ordines.

Tres sunt Angelorum Hierarchiæ, & nouem ordines, seu chori.pag. 83.num.7. De tripliei Hierarchia numquam fuit aliqua controuersia; extitit tamen circa choros, aut ordines: nunc autem temporis nequit sine temeritate dubitari p.85.n.11. Nomina, & series ordinum. pag.85.num.12. Quos ordines comprehendat vnaquæque Hierarchia.pag.86.n. 14. Quilibet ordo continet diuersas personas; non munera solum. pagin. 86.num 15. Omnes Angeli solent compellari nomine Cherub, & quare, pag. 87. num. 17. Nomina Angelus, Archangelus, &c. possunt sumi, aut pro persona, aut pro officio. p.87. num.18. Distinctio trium Hierar-

rar-

rarchiarum inter se, & intra se, 87.num.19. Angeli, sumpto nomine ab oficio nuntiandi, sunt tertiæ, & infimæ Hierarchiæ, p. 89.num.22. Prælium cum Dracone commissum est omnibus cœlestibus spiritibus, pag. 90.n. 13.

Angelorum potentiæ.

Angeli potentiæ (nempe intellectus, & voluntas) non realiter, sed formaliter solùm distinguuntur ab illius essentia, & inter se se. p. 56. nu. 2. Idem dico de potentia motrice alterius rei. pag. 56. num. 3. & 4. Potentiæ summè inclinatæ, & habilitatæ videntur concedendæ Angelis, pag. 386. num. 5. Angelus habet potentiam executricem, seu motiuam, pag. 283. num. 1. Distinctam formaliter ab intellectu, & voluntate, n. 2. Per quam movet se, & alia ibidem. Per hanc potest causare aliquam substantiam causatione non physica, sed morali. pag. 283. num. 3. Quare Angelus non possit physicè causare aliquam substantiam corpoream? pag. 285. num. 8.

Angeli intellectus, & intellectio.

In Angelis datur intellectus agens, & passibilis pag. 54. à n. 6. De intellectu agente Angeli sunt alia, pag. 55. num. 10. & alia quoq; de passibili, num. 11. Intellectus Angeli distinguitur ab eius substantia formaliter ex natura rei p. 91. num. 2. In Angelo debet poni duplex intellectus, agens, & passibilis formaliter distincti. Ibi. num. 3. Intellectus Angelicus de nouo recipit species ab obiectis singularibus, quas non habuit à principio creationis, pag. 92. n. 4. Omnis cognitio Angeli distinguitur realiter ab eius substantia, & potentia. pag. 94. num. 4. Tot sunt Angelo actus intelligendi, quot sunt obiecta (saltem omnino disparata) actualiter intellecta, pag. 95. num. 6. Intellectiones Angeli specie, aut numero distinguuntur ex obiectorum distinctione specifica, vel numerica, pag. 95. num. 7. & 8. Cognitio Angelica est verè discursiva absque imperfectione, pag. 96. num. 10. De facto necessariò discurrit circa nonnullas materias per coniecturas natura sua fallibiles, & quæ non semel ipsum fallunt, pag. 99. n. 17. & 18. Immo & circa res euidenter cognitas potest, si velit, discurrere. pag. 100. n. 20. & 21. Iudicat itidem Angelus per compositionem, aut divisionem extremorum. pag. 101. à num. 22. Eget cognitione iudicativa ad formandum simplicem apprehensionem, & quare pag. 102. num. 25. & 26. Etiam circa res, quas cog-

nos-

noſcit evidenter, pag. 103. n. 27. Cognitio tàm matutina, quàm veſpertina datur in Angelis Beatis; dataque fuit in viatoribus, pag. 104. à num. 29. & pag. 106. num. 35. & 36. Quid ſit hæc duplex cognitio? pag. 105. num. 31. Habuit Angelus viator cognitionem evidentem quidditativam Dei, non intuitivam, ſed abſtractivam, pag. 105. num. 33. & pag. 148. num. 6. Cognoſcit Angelus obiectum ſibi realiter præſens intuitivè ſimul, & abſtractivè. pag. 118. à num. 22. Angelus ſe ipſum cognoſcit intuitivè ſimul, & abſtractivè. pag. 126. à num. 43. Non poteſt cognoſcere intuitivè ſenſibilia, pag. 131. à num. 55. Angelus cognoſcit comprehenſivè alterum ſecundùm ſubſtantiam eius; non tamen ſecundùm eſſe accidentale, pag. 149. à num. 11. Angelus naturali vi ſui intellectus non cognoſcit evidenter ſecreta cordium. p. 151. num. 17. Poteſt tamen illa cognoſcere, pag. 155. num. 30. Aliqui exiſtimant, Angelum de facto cognoſcere ſecreta cordium, eſſe opinionem Scoti. pag. 168. numero. 66. Cognoſcit tamen defacto ſubſtantiam, ſeu entitatem actus pertinentis ad ſecretum cordis; ſed latet Angelum modus libertatis, aut neceſsitatis, pag. 159. num. 42. & pag. 162. à num. 45. Eſt quaſi violentum Angelo non cognoſcere ſecreta cordium. pag. 160. num. 42. & 43. Viribus ſui intellectus cognoſcit entia ſupernaturalia, non dicentia ordinem ad aliquid illimitatum, aut voluntariè movens, pag. 162. num. 48. Cognoſcit exiſtentiá Chriſti Domini in Euchariſtia. pag. 164. num. 55. Nequit intuitivè cognoſcere aut Deum, aut Verbi Incarnationem abſque oſtenſione voluntaria Dei pag. 165. num. 57. & pag. 168. n. 67. Cognoſcit viribus ſuis phyſicas entitates habituum ſupernaturalium fidei, &c. Non autem eorum acceptationem paſsiuam, neque intuitivè, neque abſtractivè, pag. 169. n. 69. Naturaliter cognoſcit modum phyſicum ſupernaturalitatis, ſecus verò moralem, pagina 169. numero 70. Non debet concedi Angelo cognitio infinita, necdum extenſiſiva rerum, pag 176. numero 89. Nullum futurum cognoſcit Angelus per proprias illius ſpecies, pag. 178. numero 96. Neque futurum liberum per ſuas cauſas. ibi, num. 97. Angelus cognoſcit naturaliter futurum neceſſariò connexum cum ſua cauſa cognita v. g. ecclipſim, pluviam, tempeſtates futuras, &c. pagin.

179,

179.num.99. Angelus cognoſcit præterita, quæ cognovit actu exiſtentia, pag. 182. num. 207. Nequit naturaliter cognoſcere evidenter præteritum aliàs non cognitum ab ipſo, quã do exiſtebat.pag.183. num.212 Neque per ſpecies proprias. p. 184 num 215. Naturaliter poteſt cognoſcere plura obiecta diſparata omnino. pag. 187. n. 223. Sed non vnica, ſed pluribus cognitionibus, ſi in proprio genere illa cognoſcat. pag. 188. num. 231. Ceſſare poteſt ab omni cognitione p.188.n.235.

De ſpeciebus ad cognoſcendum Angelo neceſſarys.

Angelus eget ſpeciebus intelligibilibus.pag.109.a num.3. Relegandus eſt ab Angelo tamquam ſuperfluus habitus ſcientialis.pag 115. num. 14. Rationes ponendi ſpecies in intellectu Angeli ſunt efficaces.p.116 n.16. Repugnat ſubſtantiæ Angelicæ repreſentare omnia intelligibilia per ſe ipſam. Ibidem, & num,17. Ad cognitionem abſtractivam obiecti Angelo realiter præſentis debet poni in Angelo ſpecies impreſſa, non tamen ad intuitivam.pag. 117. num. 19. A Deo accepit in creatione ſpecies infuſas repræſentativas naturarum communium. pa.134. num.61. Accipit à rebus ſingularibus ſpecies repræſentativas ſingularitatum; quas non habuit infuſas, pag.134. num. 62. Species Angelo infuſæ quo ſenſu poſſint illi dici connaturales. p. 136.num. 68. Specierum infuſio ſolùm ex congruentia fuit Angelo debita, p. 138.num.73. Eductæ fuerunt ab illius intellectu.ibi num.74. Tot ſpecies debent poni in quocumque Angelo quot intelligit obiecta p.141 num.83. Angelus viator habuit ſpeciem impreſſam repræſentativam Trinitatis.

Angelorum memoria.

In Angelo reperitur memoria.p.254 num.14. Actualis memoria rei præteritæ olim cognitæ fit in Angelo per ſpeciem impreſſam relictam in eius intellectu ab actuali cognitione, quę aliquando fuit in illius intellectu. pag. 182, n.208. Quotieſcũque vult Angelus recordatur, & intelligit de nouo obiectum, cuius habet ſpeciem, pag. 148.n.5. Fatuum eſt negare in Angelis memoriam.pag.254.n.14.

Angelorum loquutio.

Certum eſt de fide, Angelos loqui inter ſe ſe, dummodo loquutionis modus non determinetur pag.195.num.1. Negare inferiores loqui ſuperioribus eſt erroneum, ibi num. 2. Hæc loquutio eſt vera, & propria, ibi num.3. Eſt manifeſtatio eius,

quod

quòd est in mente Angeli loquentis pag. 196. numero 7. Ad loquutionem vnius Angeli, cum alio hæc duo requiruntur, voluntas, & memoria, seu intellectus fœcundus, pag. 199. num. 14. Nequit Angelus cum alio loqui, quin in illo aliquid efficiat, pag. 199. à num. 15. Loquuntur Deo appetentes, suum conceptum patere Deo. pag. 202, num. 22. Vnus Angelus potest causare in alterius intellectu, & voluntate actus harum potentiarum circa obiectum ab ipso antè intellectum, vel amatum. pag. 204. numero 27. Licet Angelus viator alteri viatori infunderet actum amoris, vel odij Dei, ob hoc præcise, nec mereretur, nec demereretur, pag. 204. num. 28. At infundere non posset Angelo actualiter diligenti Deum actum odij Dei. pag. 204. num. 29. Potest loqui animæ separatæ; non tamen coniunctæ sensibus, pag. 210. numero 46. Vnus Angelus potest causare in alio speciem impressam obiecti, de quo vult illi loqui. pagina 210. numero 47. Quomodo causetur hæc species. ibidem num. 48. Potest etiam simul causare in alio speciem expressam, seu conceptum obiecti, de quo loquitur, pagina 212. à numero 54. Angelus loquens principaliter intendit exprimere conceptum obiectiuum illi, cui loquitur, pag. 214. num. 58. & numero. 60. & pagina 220. num. 75. & 77. De facto non causat in audiente hunc conceptum; & quare, pag. 215. numero 61. Aliquando Angelus loquens non causat in audiente cognitionem obiecti, quod manifestare vult; & quare, pag. 215. num. 62. Tunc causat speciem impressam obiecti loquuti, pag. 216. num. 64. & 65. Angelica loquutio consistit in productione cognitionis obiecti, quod alter alteri manifestare vult. pag. 219. num. 71. Productio speciei impressæ à loquente in audiente est imperfecta loquutio, pag. 219. num. 72. Quomodo alter Angelus alteri loquatur, pag. 220. num. 73. Quare loquutio Angelica non fiat per signa, pag. 221. num. 77. & pag. 222. num. 79. Discrimen inter audire, & videre actualem conceptum Angeli loquentis, pag. 223. num. 81. 83. & 84. Eadem intellectio est simul loquutio, & auditio. ibi num. 82. Inferior Angelus potest loqui superiori in quocumque euentu, pag. 225. num. 86. Angeli sese invicem alloquuntur in quacumque distantia, pag. 226. à num. 89. Quare Angelus loquens non priùs agat in pro-

pinquum, quàm in distans? pagin. 226. num. 89. Quare non minuatur virtus Angelica ratione nimiæ distantiæ; cum minuatur virtus obiecti; etiam quando non producit speciem impressam per medium, vt contingit in intuitione? pagin. 227. num. 101. Liberum est Angelo loqui vni, aut alteri ex præsentibus, & non omnibus, pag. 230. à num. 106. Potest simul pluribus loqui, pag. 230. num. 108. Quot Angelis possit simul loqui, Deus novit, pag. 231. à numero 109. Infinitis (si darentur) posset simul loqui, ibidem. Auditio pendet ex voluntate Angeli loquentis, pag. 233. numero 115. Plures Angeli possunt eidem loqui simul de eadem re, & de diversis rebus, p. 233. num. 117. Potest Angelus alteri loqui de obiecto iam noto audienti, pag 234. num. 118. Quo pacto Angelus audiens discernat loquentem, pag. 235. num. 120. Potest accidere, vt Angelus loquens non internoscatur ab audiente, pag. 236. num. 122. Loquutio Angelica est actus intellectus elicitivè, imperativè verò est actus voluntatis, pag. 236. num. 125. Cognitio per loquutionem causata est quædam credulitas fundata in autoritate dicentis, pagina 238. numero 137. Potest vnus Angelus decipere alterum per loquutionem; pagina 240. à num 140. Et quare, pagina, 241. num. 142. Se autem, dum loquitur, non decipit, pag. 241. num. 141. Quomodo Angelus loquatur animæ tam separatæ, quàm coniunctæ sensibus, pag. 241. num. 143. Quomodo cognoscat actus nostros internos, pag. 242. num. 143.

Angelorum illuminatio.

Quid sit Angelica illuminatio, pag. 242. à num. 1. Vnus Angelus illuminat alium, pag. 244. numero 6. Angeli superiores aliquomodo cooperantur ad actus pertinentes ad beatitudinem inferiorum, pag. 246. numero 10. Viribus naturæ potest cognoscere Deum, vt obiectum Beatificum repræsentatum in actu alterius Beati, pag. 248. numero 16 & 17. Quo pacto Angelus superior possit efficere, vt inferior videat aliquid in verbo, pag. 248. à numero 18. Secundum potentiam ordinatam inferior Angelus non illuminat superiorem, potest tamen inverti iste ordo, pag. 249. num. 22. & 23.

Angeli voluntas.

Distinguitur à cæteris eius potentiis distinctione formali tamen, pagina 257. numero 3,

Hi-

Habet voluntas Angeli propensionem iustitiæ, & commodi, ibi, num 4. & 5. & inclinationes irascibilis, & concupiscibilis, pag 257. à num 6. Multiplicitas actuum Angelicæ voluntatis, pag. 259. à num. 11. Angelica voluntas manet libera circa bonum in communi, tàm ad actum, quàm ad suspensionem, pag 261. à num 6. Circa Deum clare visum potest suspendere actum amoris, imo & ipsum actu positivo fugere, pag 261. à num. 7. & pag. 264. n. 14. Angelica volũtas cessare potest ab omni actu, pagina 263. num. 12. Angelus non se diligit necessariò, pag. 264. numero 14. Amore elicito viribus naturæ plus diligit Deum, quàm se ipsum. pag. 264. num. 15. Et alterum Angelum perfectiorem se. pag. 265. numero 17. Potest se ipsum positivè odisse contra naturalem propensionem, pag. 266. n. 18.

Angeli duratio.

Angelus durat ævo, pag. 372 à numero 1. Ævum Angeli est eius existentia, pag. 373. num. 4. Operationes permanentes Angeli mensurantur ævo, ibi, num. 5. Si per vnicum instans duraret, mensuraretur ævo, pagina. 375 num. 8. Ævum Angeli non includit formalem successionem pag. 382. num. 28. Oppositum est probabile. ibi à num. 29. Secundùm hanc opinionem Angelus est quantus quantitate discreta. pag. 383. num. 38. & 39. Ad multiplicationem Angelorum multiplicantur æva. pag. 385. à num. 45. Quo sensu supremus Angelus dicatur mensura cæterorum: pag. 385. num. 47.

De habitibus naturalibus Angelorum.

An ponendi sunt in Angelo habitus naturales? Est problema, pag. 386. num. 1. Affirmatiua sententia propugnatur à n. 2. Negativa à num. 5.

Angeli locus.

Angelus propriè est in loco, pag. 286. à num. 1. Per vbi sibi inhærens. pag. 287. num 5. Vbi Angelicum est indivisibile subiectivè, divisibile autem ex parte spatij, pag. 316. num. 15. Fundamentum vbi, seu præsentiæ, per quam Angelus est formaliter in loco, est ipsamet substantia ipsius, p. 290. num. 13. Sententia asserens, Angelum per operationem esse in loco damnata fuit à Parisiensium Schola, p. 293. n. 18. Angelus nequit esse in omni loco simul, pag. 294. n. 23. Nequit movere omne corpus, p. 295. n. 23. Non exigit determinatum locum: & potentia eius ad esse in loco nec naturalis, nec violenta est, sed neutra pagina 295, numero 24. Exigit

git

git naturaliter determinatam magnitudinem loci. pagina, 295. numero 26. Poteſt ſe contrahere ad minorem partem loci, quam exigit naturaliter, pag. 296. à num. 27. Eſt totus in toto loco, & totus in qualibet parte, pag. 297. num. 30. Poteſt exiſtere in quolibet indiviſibili ſui adæquati loci, pag. 298. à n. 31. Angelus exiſtens in puncto loci poſſet operari circa alia, pag. 299. numero 36. Poteſt exiſtere in parte proportionata loci ad libitum. ibi. num. 37. A voluntate Angeli provenit, quod ſe extendat, vel contrahat intra ſphæram ſui loci, pag. 300, numero 38. Non poteſt ſe extendere, vltra ſuum ſpatium adæquatum, ibi num. 39. Neque nanaturaliter eſſe in pluribus locis adæquatis, pag. 301. num. 41. Poteſt ſe locare in duobus locis inadæquatis continuis, vel diſcontinuis intra ſphæram ſui loci adæquati, ibi. à numero 42. Plures Angeli poſſunt ſimul eſſe in eodem loco, pag. 305. numero 52.

Angeli motus.

Angelus poteſt ſe ipſum localiter movere, pag. 309. à numero 1. Motus Angeli eſt quid re-ſe inhærens ipſi, intrinſicè denominans pag 312. à num 5. Quia nit. Angelum moveri per ſe, & per accidens, pag. 313. numero 9. Se ipſum movet, etiam quando movetur ad motum corporis, cui coniungitur. Ibidem. Quot modis poſsit ſe movere localiter, pag. 314. num. 11. Movetur motu continuo, pag. 315. à num. 14. Poteſt dici, Angelum partim eſſe in termino à quo, & partim in termino ad quem ex parte ſpatij. ibi. numero 15. Motus Angelicus eſt indiviſibilis ſubiectivè, diviſibilis autem ex parte ſpatij, pag. 316. num. 15. Neceſſariò Angelus conſumit tempus in tranſitu. ibi num. 16. Quare? pag. 317. nu. 18. Hoc eſt intelligendum, ſi ſe moveat extra ſphæram ſui loci adæquati, pag. 321. à num. 30. Nequit moveri naturaliter de extremo ad extremum abſque tranſitu per medium, pag. 320. num. 25. Immo neque diuinitus, pag. 323. à num. 33. In quo ſenſu medium dicatur cōmunicans, vel non communicans præcipuè ſecundum Scotum, pag. 320. num. 28. Poteſt Angelus moveri in inſtāti intra ſphæram ſui loci adæquati pag. 326. à num. 42. Non autem extra ſphæram ſuam, ibidem. Multa poſſunt patrare Angeli, quæ non permittuntur ipſis pag. 328 numero 2. Angelus non poteſt movere localiter quodlibet corpus, pag. 329. a numero 4. Poteſt vnus alium Angelum movere localiter, vel detinere invitum, pag. 330. à num. 5. Mo-

Mouet alia imprimendo illis impulsum, pagin. 332. à num. 10. Quare possit producere accidens illud, nempe impulsum corporeum, & non calorem, frigus, &c. Aut substantiam. pag. 333. num. 13. & 14. Potest Angelus per motum localem applicando actiua passiuis operari mirabilia, p. 335. à num. 19. Referuntur nonnulla, ibi. n. 20. Sed nullum verum miraculū patrare potest naturaliter, ibidem.

De assumptione corporum ab Angelo facta.

Angelus assumit corpus, in quo apparet, per vnionem accidentalem cum illo. p. 336. à n. 2. Quo pacto, ibidem. Qualia sint hæc corpora, pag. 338. à num. 6. Ex quo colligatur, corpus ab Angelo assumptum esse verum, vel apparens. pag. 338. à num. 7. Format corpus humanum, non subito, sed facit processum per formas intermedias, ibi. à num. 8. Non potest formare corpus ex materia cœlesti, p. 339. num. 10. Neque ex puro aère ad assumendum, p. 340. à num. 12. Ex quibus efformet corpus, ibi. num. 13. Gerit se cum corpore assumpto admodum animæ informantis corpus viuens, pag. 341. diffi. 6. Potest movere totum corpus assumptum, vel partem eius ibi. num. 1. Et verè loqui, & formare voces in aere, cum quo non est vnitus. pag. 342. num. 3. Quo sensu dicatur audire, videre, & in corpore assumpto, ibi. num. 4. Nequit exercere operationem sensitivam vitalem in corpore assumpto. ibi. num. 5. Neque actus vegetatiuos, pag. 343. num. 6. Potest comedere, pag. 344. num. 10. Nequit in tali corpore verum patrare miraculum, p. 349. num. 23.

Angelorum apparitiones.

Omnes apparitiones nomine Dei in veteri testamento sub specie corporea, factæ sunt ministerio Angelorum pag. 350. à num. 1. Et apparitiones novi testamenti, pag. 352. à num. 4. Apparuit aliquoties Christus Dominus postquam ascendit ad cœlos ministerio Angelorum, ibi. à num. 7. Regula ad discernendum, quando per Angelos appareat. pag. 353. num. 9. Apparitiones sanctorum in terris fiunt immediatè per Angelos, pag. 354. num. 12. Hi Angeli regulariter sunt infimæ hierarchiæ. p. 355. à num. 14.

Angelorum morulæ.

Morula, seu intervallum à sua creatione ad terminum vsque viæ merendi in Angelo mensuratur extrinsecè per nostrum tempus, aut instantia illius, pagina 424. à num. 3. Quid

cogat nos ad concedendum morulam istam, pag. 425. n. 5. Imo plures morulas ibi, num. 6. & pag. 440. num. 15. Quot sint status Angelorum. ibi à n. 7. In nullo statu debet excogitari otians, ibidem. Quantum temporis durauerit vnusquisque status, pag. 427. à num. 12. Nullus status per vnicum instans duravit, pag. 428, num. 16. & pagina 441. num. 15. Quomodo coeperint, & finierint Angelorum morulæ, pag. 433. à num. 63. An fuerint quatuor morulæ? Scotus est problematicus, pag. 434. à num. 47. An prima morula duraverit per tempus, vel per instans? Scotus est problematicus, ibi num 46. Secundum Scotum probabilius ponuntur quatuor morulæ, pagina 435. num. 48.

Angelorum gratia.

An Angeli creati fuerint in gratia sanctificante? Est problema. pag. 390. num. 2. Pars affirmatiua, ibi à num. 3. Pars negatiua, pag. 392. num. 13. Multæ virtutes infusæ sunt Angelis cum charitate, pag 394. numero 16. & 17. Habuerunt gratiam per propriam dispositionem, pag. 397. à num. 27. Quare Angeli meruerint primam gratiam, non verò Christus Dominus. pag. 400. à num. 35. Receperunt gratiam iuxta mensuram naturalis perfectionis, pa. 401. à num. 38. Quod authoritate potius, quàm efficaciori ratione nititur, pag. 402. num. 40. De gratia, tam habituali, quàm actuali loquuntur Patres, ibi, num. 41. Quare non contulerit Deus perfectiori naturæ Angelicæ summam gratiam vnionis hypostaticæ? pag. 403. numero 44. Infusi sunt Angelis cum gratia sanctificante habitus fidei, &c. Et morales, pag. 405. num. 49. Ad servandum legem naturalem non indiguit speciali auxilio gratiæ: & sancta cogitatio ad hoc non erat gratia, sed debita illi statui, pag. 405. num. 2. Non ita ad eliciendum opera supernaturalia fidei, &c. pag. 406. n. 3.

Angelorum meritum.

Angeli meruerunt suam Beatitudinem supernaturalem. pa. 412. à num. 3. Fuit in eis motus meriti valde intensus, qualem nullus homo secundùm communem legem, ibi num. 4. Quo pacto consequutio beatitudinis fuerit Angelis difficilis, ibi num. 5. Nihil merentur nunc Angeli, nedum præmium accidentale. pag. 413. num. 7. Quo pacto tantam meruerint beatitudinem tam brevi spatio, vt superaverint meritum sanctorum diu merentium. pag. 416. num. 15.

Po-

Potuit Angelus creari Beatus in primo instante suæ durationis, pag. 417. à num. 18. Non novit in Verbo diem iudicij. pag. 418. num. 21. Hoc tamen non est de fide, immo neque omnino certam, ibi, numero 22. In Angelis dantur dotes gloriæ, pag. 419. à num. 25. Fuerunt desponsati cum Christo Domino, non minùs, quàm homines, pag. 420. à num. 28. Hæc desponsatio, non fuit celebrata, donec Christus Dominus pateretur, pag. 420. à num 29. Sententia asserens, Angelos esse corporeos, debet eis concedere dotes gloriæ corporeas. pag. 423. num. 36.

Angelorum gloria, seu Beatitudo.

Angelus prædestinatus est ad gloriam propter merita Christi Domini prævisa ante peccatum Adæ. pag. 420. num. 29. Beatitudo naturalis Angeli consistit in amore amicitiæ erga Deum. pag. 406. à num. 2. Et supernaturalis in fruitione supernaturali. pag. 407. num. 3. Primo instante suæ creationis habuerunt erga Deum actum amicitiæ naturalis, ibi à num. 4. Et actum dilectionis supernaturalis, pag. 410. num. 13. Non habuerunt hoc instante claram Dei visionem, nec fruitionem. ibi à num. 14 Neque in secundo instanti consequuti sunt gloriam, pag. 430. numero 26.

Angelorum custodia erga homines.

Angeli deputantur ad Custodiam hominum, pag. 504. num. 1. Quilibet homo habet certum deputatum Angelum ad Custodiam, pag. 505. num. 2. Ingens temeritas foret negare Angelorum Custodiam, ibi num. 3. Non defectu Angeli Custodis cedit homo tentationibus. p. 506. nu. 6. Altissima prouidentia fuit pro singulis hominibus singulos Angelos Custodes deputare, pag. 506. num. 7. Præter specialem Angelum Custodem multi alij Angeli hominem adiuvant, ibi. num. 8. In quacumque lege homines habuerunt Angelos Custodes, pag. 509. numero 19. Beata Virgo habuit Angelum Custodem, pag. 508. num. 14 Omnes homines (Christo Domino tamen excepto) habuerunt, habent, & habituri sunt Angelum Custodem. ibi. Non solùm iusti sed etiam peccatores, ibi. num. 16. Non solum prædestinati, sed etiam reprobi. ibi num. 15. Etiam primi Parentes in statu innocentiæ. ibi, numero 18. Anti Christus habiturus est Angelum Custodem. pagina 510. numero 20. Angelica Custodia incipit à conceptione fœtus.

ibi.numero.21. Durat vsque ad mortem, & tribunal, immo, & in illis qui sunt in purgatorio, quoadvsque ferantur in gloriam, pag. 512. num. 25. Non solum pro hominibus, sed etiam pro communitatibus, & singulis rerum corporearum speciebus assignantur Angeli Custodes. pag. 512. à num. 26. Prælati habent duos Angelos Custodes. Ibi, num. 27. In quacumque Catholicorum Ecclesia assistunt plures Angeli vt sacræ Eucharistiæ debitus cultus exhibeatur, ibi num. 28. Non est necessarium, quòd Custos semper assistat localiter circa suum Custoditum. pag. 513. num. 30. Inter Angelos Custodes versatur spiritualis pugna pro custoditorum bono, pag. 513. numero 31. Non tristatur Angelus Custos, quando suus Custoditus cedit tentationi, pag. 514. num. 33. Omnes Angeli mittuntur ad Custodiendum, pag. 515. numero. 34. Angelis committitur Custodia personarum particularium, & rerum minoris momenti; Archangelis verò committitur Custodia personarum excellentium, & annuntiatio magnarum rerum, pag. 516. numero 37. Referuntur effectus Custodiæ Angelorum, ibi. à num. 39.

Angelorum peccata.

Vide verbum *Dæmon.*

Anima.

Immortalitatem animæ, non novit Aristoteles, vel de ea dubitavit. pag. 265. num. 17. In anima est inclinatio ad gratiam, & gloriã, pag. 136. num. 69. Anima in statu separationis si non impediretur, cognosceret secreta cordium tàm Angelica, quàm humana, pag. 157. num. 35. In statu separationis potest loqui Angelo, & è contra Angelus potest illi loqui, non tamen quando est coniuncta sensibus, pag. 210. num. 46. Anima separata cognoscit se ipsam, & spiritualia in se ipsis sine specie impressa. p. 128. n. 48. Immò & singularitates, ibi. n. 49. Anima separata verè est in loco. p. 287. à num. 5.

Appetitus.

Appetitus concupiscibilis elicit primum actum circa cōmodum, p. 448. num. 38. Appetitus irascibilis elicit nō primũ, sed secundarium circa proficuũ, ibidem. Diuisio appetitus in irascibilem, & concupiscibilem non est adæquata, sed subdivisio, p. 448 num. 37. Appetitus concupiscibilis sequitur proficua, & commoda: irascibilis expellit nociva, ibidem. Quare dixit Scotus velle amicitiæ esse actum concupiscibilis, cum re vera non sit, ibi. numero 36. & 38.

Apprehensio.

In simplice apprehensione neque reperitur veritas, neque falsitas p.101.num 23.& 24.Ei⁹ regula correctiva est iudicium p.102.num.24.& p.103. num. 28. Etsi sit vera, eget iudicio, vt firmetur, stabiliaturque per ipsum ibi. num.25.vide v.Intellectus.

Attentio.

Defectu illius non datur intellectio, aut sensatio externa p. 191.num.236.

B.

Baptismus.

In baptismo recipit vberiorem gratiam ille parvulus, qui alium excedit in naturali perfectione p.81.num.40.

Beatitudo, & Beatus.

Beatitudinem confert Deus primo instante post mortem p. 431.num.28.& p.432.num.40. & 41.Beatitudo & meritum opposita habent conditiones non ex natura rei, sed ex divino beneplacito ibi num. 39. Viribus Naturæ potest Angelus, vel anima separata cognoscere Deum, vt est obiectum beatificum, non quidem inse, sed repræsentatum in actu alterius Beati p. 248. n. 16. & 17. Non ideo sic videns esset beatus p.165.num.58.Beatitudo obiectiva, seu obiectum beatificum nullo modo includit corpus Christi Domini vt visum in Eucharistiā p. 170. num. 72.

¶ Beatus quomodo sit impeccabilis iuxta mentem Scoti p.159,num.40.Cognoscit naturaliter entia supernaturalia limitata,& non dicentia ordinem ad movens liberè p. 162. num. 49. Actus beatificus liberè elicitur à Beato pag.376. num. 12. Potest Beatus odio habere Deum clarè visum ibidem. Vi manutenentiæ est necessitatus consequenter ad non cessandum p.414 num.8.& 9. Beatus potest peccare pagin. 482. num. 22.

Bonum.

Bonum commune æstimabilius est bono peculiari vitæ, &c. circumscripto omni præmio p. 265. num. 17. Boni amissi cognitio maior confusio,& remorsus p.479. num.6.

C.

Casus. Vide fortunam.

Causa.

Causæ sufficit ad causandum prioritas naturæ p. 139 num.76. & p. 276.num 49. & p. 270. nu. 32. Omnis causa, dum causat, necessario causat declaratur p. 273.num.39 ¶ Causa efficiens creata exhauritur per multiplicatas productiones p.217.n.67.Ratione etiam productionum per mediū p.226.n.89. & n. 100 &

P.

p.228.num.103.& p. 229.num. 105. Causa efficiens necessariò requirit existentiam ad causandum p.176.num.91. Item requirit debitam approximationem pag.117.num. 18. Subordinatio causarum ad productionē eiusdem effectus non est imperfectio p.123.num.37. Principalior est, qua agente, alia coagit, & non è converso p. 124 n.38. Quidquid Deus potest operari, medijs causis secundis, non operatur per se solus p. 138.num. 74. Causæ physicæ & moralis distinctio p.283.n.1. Causæ & effectus commensuratio in quo cōsistat. 284.num. 5. Nequit vnum esse causa alterius, si in aliquo gradu, adhuc generico non conveniant p.284. n. 5. Ratio communissima entis ad hoc non sufficit ibidem. Si effectus est destructivus suæ, causæ non est ponendus in primo instanti, quo habet esse talis causa. p. 240.num.138. Causa materialis habet capacitatem recipiendi simul formas accidentales p. 217. num.65. Ad cōprehendendum causam sufficit attingere omnes illius effectus cōfuse. p.177.num.93.

Charitas.

Charitas habitus vide habitus supernaturalis. Charitas exposcit, vt de proximo minus malè sentiamus pag.450. num.41. Charitatis habitus naturalis, & supernaturalis propendentes in amorem eiusdem obiecti non repugnant inesse eidem potentiæ pag. 267. num. 20. Charitas est perfectior virtus pag. 407. numero 3.

Cœlum.

Cœlum sumitur pro aere p.339. num.11. Non est materia apta ad formandum corpus ibi. num.10. corpora cœlestia sunt multiplicabilia numero pag 74. numero 21. Vide v. Sol. Formæ cœlorum fuerunt productæ per actionem eductivam p. 138. nu. 75. & 139. n.77.

Christus.

Christus Dominus verè comedit gloriosus post resurrectionem p. 345. à num. 13. Ista comestio fuit signum efficax resurrectionis ibidem. Apparuit postquam ascendit ad cœlos per se immediatè aliquando, & aliquando ministerio Angelorum pag. 352. a num. 7. Non meruit primam gratiam habitualem, neque gloriam p. 401. à num. 35. Incepit operari ex perfectissimo actu gloriæ ibi num. 36. & 37. Alio sensu potest affirmari meruisse collationem suæ gratiæ, & gloriæ. Ibi num.37. Non fuit acceptatum aliquod Christi Domini opus, vt completè meritorium, donec mors eius fuit re exhibita p. 421. n. 30. & 31. Cur tribuatur morti eius potiùs quàm alijs operibus nostra redem-

demptio. Ibi num. 31. & 32. Christum Dominum ostensum renuerunt ex superbia adorare nonulli Angeli viatores pag.466 num. 82. Christus Dominus potuit peccare ex vi vnionis p. 482. num.22. Christus Dominus ante præscientiam peccati prædestinatus est p.466.n.84. In Christo Domino voluntas illa conditionata viuendi, qua dixit: Pater, si possibile est, &c. ortum duxit ab appetitu commodi p.498.num. 62. Cristus Dominus non habuit Angelum Custodem p. 507. n. 9. Non egebat Angelo Custode ad quamcumque tentationem superandam, etsi concederetur fuisse interius tentatus p. 507.n. 8. Christi D. anima excessit reliquas animas multiplici perfectione individuali p. 79 nu. 33. Christus Dominus est impeccabilis potentia physica antecedenti proxima, non remota secundum Scotum p. 159.nu. 40. Christus Dominus est Caput Angelorum, & hominum p.171.n.74.

Cognitio, & cognoscere.

Habuerunt Angeli viatores cognitionem claram abstractivam Trinitatis p. 170.num.73. Possunt esse simul in eodem subiecto cognitio abstractiva, & intuitiva eiusdem obiecti. 212. num.53. Potest intellectus simul cognoscere plura, vt plura pag. 215.num.86. Quando obiectum præsens per se immediatè movet ad cognitionem intuitivam, simul movet per speciem sui ad abstractivam p. 227. num. 101. Cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est, spectat ad perfectionem cognoscentis p. 98.n.15. & 16. & p. 104. n. 29. & p. 118. num.22. Cognitio matutina, & vespertina quid sit p. 105 num.31. Abstractiva quæ sit? p. 110. num.4. Fieri nequit sine specie impressa. pag. 111. num.6. Versatur circa obiectum abstrahens ab existentia & præsentia reali p. 118. num.21. Intuitiva versatur circa obiectum existens, & præsens p. 118.num. 20. & pag. 120. à num. 28. Nequit fieri per speciem pag. 119. num.24. & pag. 131. numero 55. Possunt esse simul cognitio intuitiva, & abstractiua de eadem re in eodem intellectu pag. 119. num.24. Differunt specie ibidem num.25. Cognitio, media specie impressa facta, est abstractiva, licet sit de obiecto præsenti pag. 119. num. 24. & pag. 126. num. 43. De ratione eius est, vt fiat per principium ex se natum repræsentans obiectum præscindens ab existentia, & præsentialitate reali pagina 119. numero 24. Intuitiva est perfectior ex genere suo, quàm astractiua, pagina 125. numero 41. Cognoscens inferior in entitate potest cognoscere rem perfectiorem se p. 150.num. 14.

Concupiscentia.

Concupiscentiæ amor oritur ab amore amicitiæ p.446. n. 31. Hi duo amores sunt distincti ibi num.32. Vide v. amor. Concupiscentia obcæcat, & deturbat rationem p.268. num.24.

Comestio, & comedere.

Comedere quid sit p. 344. n. 10. Comestio Christi Domini post resurrectionem fuit vera p. 345. à num. 13.

Corpus.

Corpus gloriosum potest naturaliter se penetrare cum alijs p. 307. nu. 57. Quare de facto corpora gloriosa nō sint penetrata: ibidem. Corporeum agens quare habeat determinatam sphærã agendi; & quare faciat fortius in propinquum, quâm in remotum pag. 216. num. 89. Inter agentia corporea alia sunt, quæ ad agendum se physicè tangunt: alia autem non n. p. 228. num. 102.

Corruptio rei, & corruptibilitas.

Origo corruptionis est compositio elementalis p. 40. num. 3. Corruptio solùm competit rei habenti partes. p. 42. num. 9. Ad corruptionem requiritur, vt aliquid rei post destructionem perseveret ibi num. 10. Omnia generabilia sunt corruptibilia p. 40. num. 5. Generatio vnius est corruptio alterius deficit aliquoties pagin 315. numero 13.

Creare, creatio, & Creatura.

Creare soli Deo competit; non tamen potest probari evidēti ratione naturali p. 11. num. 5. Sex dies creationis an fuerint naturales? an solùm instantia? non est certum p. 18. num. 15. An prima rerum creatio fuerit peracta spatio sex dierum? an vero vno die, aut instanti? est problèma apud Doctores p. 107. num. 38. Ad actionem creativam solùm debemus recurrere necessitate compulsi p. 138. num. 74. In prima rerum creatione formæ productæ sunt per actionem eductivam p. 139. num. 77. Ex ratione creaturæ non concluditur, solùm posse recipere finitum pag. 218. num. 67. Creatio est ex nihilo, & à solo Deo p. 340. num. 24. & p. 350. num. 27. Quæcumque creatura est destruibilis à Deo p. 372. num. 42. Creatura impeccabilis per naturam implicat p. 263. à num. 25. Et cui sit connaturalis gratia, visio, fruitio Beata, &c. p. 269. num. 30.

D.

Delectatio.

Non est actus sed passio p. 458. num. 63. Delectatio excedens impedit tristitiam pagina 502. num. 76.

Denominatio.

Quando recurrendum est ad intrinsecam, & quando ad extrin-

trinsecā p. 314. n. 10. Perfectio est intrinseca ibidem.

Deus.

Duratio eius dicitur æternitas p. 370. num. 35. Vide v. æternitas. Deus vt suaviùs operetur, eligit medium facilius p. 173. n. 8. Deus ante decretum nullum futurū, præsens, aut pręteritum agnovit p. 185. num. 217. Quare Deus nequeat fallere, aut falli p. 241. num. 142. Est memoria in Deo per æquivalentiam p. 253. num. 10. Deus potest diligi viribus naturæ super omnia à creatura p. 266. num. 20. Insunt Deo aliquot attributa, quorum vsus pendet à libertate sua; aliorum autem vsus non ita pag. 297. nu. 29. Deus administrat res medias per supremos, & infimas per medias p. 350. num. 1. Teneor diligere Deum extensivè & intensivè, hoc est appretiativè p. 462 num 74. Quòd Deus nō tribuat rebus creatis ampliorem perfectionem tribuendum est soli illarum incapacitati pag. 5. num. 6. Quo pacto operari Deum successive sit in ipso perfectio ibi n. 7. Quamvis existentia Dei tradita sit per notitiam fidei, potest etiam domonstrari naturaliter, Deum esse vnum & existere. p. 9. num. 13. Item Deum esse ex se singularem; intuitiva tamē notio essentiæ Dei naturaliter acquiri non potest ibi num. 14. In operibus Dei perfectiora excedunt vel numero vel magnitudine imperfectiora p. 63. num. 4. Essentia Dei de se est singularis; ac per consequens implurisicabilis p. 67. num. 2. & 3. Singularitas Dei pertinet ad eius essentiam p. 68. num. 6. Quia summè perfectus, summè vnus est p. 77. num. 30. Deus se cognoscit in creaturis & ex creaturis: & hæc cognitio est formalis discursus pag 98. num. 16. Dari potest species repræsentativa Dei, p. 142. n. 84.

Dæmon, & diabolus.

Diabolus criminator, seu calūniator p. 435. num. 1. Dæmon aut dæmonium dicitur sapiens, seu calidus ad fallendum p. 435. num. 1. Dæmones solùm coniecturaliter cognoscunt actus hominis internos p. 242. num. 143. Dæmonum naturalia post peccatum manserūt splendidissima ait Dionysius. p 274. n. 2. Quare diabolus vocatur homicida p. 279. num 59. Diabolus dissuasit Pilato per vxorem suam mortem Christi Domini p. 282. nu. 66. Non illabitur substantialiter animabus per energumenicam operationem, sed applicatione vnitur p. 306. n. 54. Multa prohibetur facere p. 328. nu. 2. Corpus imperfectum muris v. g. à dæmone assumptum an sit verum? an apparens? non facile, distinguitur p. 339. n. 9. Contrarium est dicendum de mitxo perfecto ab illo elaborato pag. 338. num.

num.6.De demonibus succubis, & incubis nonulla p. 343. num. 8.& 9. Dolet dœmon, & erubescit, se amisisse gratiam, vel non recuperasse, in qua fragiles homines perseverant, vel quam amissam recuperant p.391. num. 4. Dœmones creati sunt cum Angelis electis vniformes in donis p.394. num. 18. & p. 395. à n. 20. Non pœnituit eos lapsus ex inscrutabili iudicio Dei pag. 397, n. 26. Dœmones numquam habuerunt gloriam pag. 429. à num. 22.

An Dœmon peccauerit in tempore vel in instante? incertum p.433. num. 43. & p.434. n. 44. & 45. Ex singulis Hierarchijs & ordinibus aliqui peccaverunt pag.436. num. 2. Asserentes, decimum ordinem cecidisse explicandi sunt, vel reijciendi pag. ibi num. 3. Quare non attribuantur dœmoni nomina seraphim, & Tronorum pag. 437. num. 4. Ingens illorum numerus cecidit ibi n.5. Cuncti cecidentes fuerũt inducti à Lucifero. ibi. nu. 6. non solùm exemplo, sed persuasione etiam p.438.n.9.

Potuit dœmon in eodem instante temporis plura committere peccata: & successu temporis peccare; & ipsum pœnitere: diciturque peccatum eius irremissibile, absoluto iam termino viæ p.456.n.57. Inordinata amicitia, seu luxuria spiritualis fuit primum peccatum Angelorum, pag.442. à num.20. & p.446. n. 31. Dœmones suadent perditis hominibus ingentia delicta, quæ non audent proponere viris timoratis. pag.443. num. 21. Dœmon post peccatum non amisit speciem divinitatis p.479. num. 6. Mansit aliqualiter excecatus, & quomodo pag.480. n.7. & 8. Dœmon, dum fuit in statu viæ, potuit pœnitere pag. 482. num. 15. &. Post viam non potuit nec poterit aliquandò fructuosè. ibi. num. 16. Potest efficere aliquod bonum morale benè circunstantionatum pag. 483. nu. 14. Potest velle aliquod propter bonum finem pag.485. num. 25. Non deficit dœmoni generalis concursus ad benè moraliter operandum pag. 486. num. 26. Non est omnino certum, quod dœmon aliquando non sit benè moraliter operaturus. ibi num. 24. Nequit efficere aliquod opus quo de congruo disponatur ad recipiendum gratiam sanctificãtem p.487. n.29.

Dœmon quomodo crucia- tur ab igne inferni, vide, v. *ignis*. Cruciatur per tristitiam p. 489. numero 36. & pag. 502 numero 75. Quomodo causetur in dœmone tristitia pag. 492. numero 46. In quocumque loco sit dœmon secum fert aliquam partem ignis, cum quo est ligatus pag. 495. numero 55. Alligatur intellectus dœmonis ad perpetuò considerandum ignem pag. 495.

495. num. 56. Magis odit dœmon alligationem intellectus ad ignem considerandum; quàm detineri in illo localiter p. 496. nu. 57. Dœmones solùm phantasticè gaudent. pag. 503. num. 79. Ex victoria, quam ab hominibus reportant, accrescit dœmonibus tristitia interiùs, quamvis exterius gaudium ostentent ibi num. 80. Dœmones impugnant homines p. 518, singulis hominibus deputati sunt singuli dœmones tentatores. ibidem Non omnia peccata procedunt ex dœmonis tentatione p. 520. num. 7.

Dœmonem latuit Christus Dominus quantum voluit, & quantum oportuit & per substractionem concursus, & aliàs occultando eius divinitatem p. 173. n. 81. At post prædicationē, & miracula Christi Domini cognovit ipsum, & eius divinitatem ibi 82. Notitiam dœmonum de divinitate Christi D. alij Patres omnino certam fuisse asserentes, alij ex suspicione adstruentis cōponuntur p. 174. à n. 83. Si non impediretur cognitio illorum, ipsum perfectè cognesceret. ibidem. Fuit dœmonibus occultata circunstantia mortis in redēptionē hominis, antequā facta fuit p. 175 n. 87. ¶ Casu eveniunt effectus liberi, quos prædicunt. quāvis verum sit, quod certioribus coniecturis ducantur prænūtiātes, quā homines. p. 178. n. 98 At cognoscūt naturaliter futura necessariò cōnexa cum suis causis iam cognitis, vt ecclipsim, pluvias, tempestates futuras, &c. p. 179. n. 99. ¶ Dœmones multa possēt & cognoscere, & efficere, quæ tamē nō eis permittūtur p. 164. nu. 55. Possent cognoscere multa mysteria gratiæ, vt existētiam Christi D. in Eucharistia. ibi. ¶ Dœmones expoliati sunt omni dono supernaturali, vt fide, &c. p. 173. num. 79.

Dœmones delectantur rebus corporeis, non per se, sed vt huiusmodi res sunt signa aliquarū rerum spiritualium p. 30. n. 6. Fumus piscis fugavit Dœmonem à Sara, vt fuit signum orationis Tobiæ, & Saræ ibidē. Dicuntur cremari, quatenus ignis in eis causat tristitiam propter aligationem p. 492. n. 46.

Duratio.

Est aliquid reale p. 357. nu. 1. Tribuitur actu existentibus ibi n. 2. Non est quid realiter distinctū ab existentia rei. p. 358 à n. 6. Duratio dicitur latè mēsura rei durantis p. 359. n. 7. Quo pacto duratio distinguatur ab existentia. ibi num. 9. Duratio, alia est intrinseca, alia verò extrinseca p. 366. num. 12. Divisio durationis ibi. n. 24. Quid sint duratio successiva, & permanens? p. 367. à n. 25. Divisio durationis permanentis p. 369. à n. 33. Res permanens ne-

nequit destrui in primo instanti suæ existentiæ p. 370. nu. 34. Duratio Dei dicitur æternitas; creaturæ verò permanentis dicitur ævum.p.370.num. 35. Vide verb. æternitas & ævum. Accidentarium est durationi, quòd res parum aut multum duret p. 375.à n.8. Tres tantū sunt durationes pag. 381. n.26. Duratio in creaturis est prædicamentalis qantitas semper distincta realiter à substantia p. 386. nu. 41. & ab existentia.ibi 42. secundum probabilem sententiam D. Bonaventurę.

Discursus.

Est duplex : datur in Deo, Angelo,&c. p.96. n. 10 sufficit prioritas naturæ inter vtramque cognitionem ad discursum formalem: p. 97. n. 11. Ad discursum non requiritur, quod intellectus procedat à cognito ad nō cognitū p. 98.n. 15 neque quod distincto actu attingatur cōclusio, ac attingitur principium ibi num. 16. cognitio qua Deus sensualiter ex vi cognitionis creaturæ cognoscit ;est formalis discursus p.98.num.16.

E.

Ecclesia.

Potest definere, aut determinare locum dubium, aut indifferentem p.20.n.20. & p.21. n. 23. Eius Caput est Christus D. p.171.n 74.

Effectus, & efficiens.

Non determinat hanc numero causam efficientem p.208 n.39. Efficiens non eget immediata, contiguitateq; reali suppositi cum passo ad operandum p. 59.n.10 Ad efficiendum sufficit præcedentia causæ prioritate naturæ p.270 num.37. Assignantur instantia p. 271. n. 33. & p. 276. n. 49. Effectus fortuitus v. *fortuna*. Si effectus est destructivus causæ, non est ponendus in primo instante, in quo habuit esse euis causa p. 240. n. 138. Eius mensuratio cum causa in quo consistat p.284.n.5.

Ens, esse, & existere.

Conceptus entis completè reperitur tam in creatura, quàm in Deo p. 145. num. 93. In ente necessario quidquid potest esse, necessariò est pag. 69. num. 9. Ens nequit recipere, & amittere esse in eodem instante p. 325. num. 38. Existentia quo pacto distinguatur à duratione pagin. 359.num. 9.

F.

Fides vtilissima, adhuc his, quæ ratione naturali demōstrari possunt:& quare p. 9. num. 13. Fides nequit componi cum evidenti cognitione eiusdem obiecti.p. 100.num.19. Non cohæret cum cognitione clara abstractiva, saltem de lege ordinaria pag.

p. 171. num. 73. Cum fide nequit stare scientia propriè dicta p. 239. num. 136. ¶ Filius genitus ex semine suscepto à dœmone succubo, & transmisso in matrice ab incubo, non esset filius dœmonis, sed illius, à quo decisum est semen, p. 343. num. 8. & 9. ¶ Fortunati effectus liberè, seu ex electione causantur à causa illa, quæ fortuna dicitur. Secus autē operatur causa effectus casuales. p. 180. num. 204. ¶ Forma simplex substantialis est incorruptibilis ab intrinseco, pag. 40 num. 3. Vnibilitas formæ ad materiam non est essentia eius, sed passio. p. 47. num. 3. Quælibet forma substantialis vltima, seu disparata est adæquatus terminus materiæ. p. 189. num. 228. Vnde proveniat repugnantia, vt duplex forma substantialis nequeat simul informare vnā materiam p. 307. num. 59. ¶ Christus D. per semetipsum impressit sacra stigmata B. P. N. Francisco. p. 356. à num. 17. ¶ Futurū nequit mittere speciem sui. p. 178. num. 96. Futura requirunt ad cognitionem sui potentiam infinitā. p. 157. n. 37.

G.

Gabrielem fuisse ex ordine Seraphico existimāt aliqui, pag. 86. num. 16. Ex mente D. Gregorij Papæ fuit de suprema hierarchia. p. 355. num. 15.

Generatio.

Solent resultare generationes substantiales applicando acti va passivis. p. 258. nu. Probabile est generari habitum in gravi descendente, p. 387. num. 3.

Genus.

Sumitur à tota entitate rei. Et vulgata propositio *Genus sumitur ā materia* est vera per similitudinem. p. 36. num. 9.

Gratia.

Ad illam habent Angelus, & anima naturalem inclinationem passivam, non activam, (adæquatè saltem) pagina 136. numero. 69. Est medium ad vitam æternam, non ex natura rei, sed simul ex speciali acceptatione Dei. p. 169. num. 69. & 70. Repugnat, gratiā esse debitam, & connaturalem creaturæ, p. 269. num. 30. Gratia vocans, excitās, concomitāns, adiuvans, & sanctificans, quæ vnaquæque sit, p. 389. num. 1. Quamvis, qui iustificatur, proprijs dispositionibus iustificetur, resplendet ibi liberalitas divina sanctam cogitationem conferens p. 398. n. 29. Qui iustificatur per propriam dispositionem, in eodem instante reali elicit contritionem, & recipit gratiam. p. 399. num. 30. Respectu gratiæ potest dari congruentia naturalis, non tamen moralis p. 403. num. 43. & p. 404. num. 46. Divisio gratiæ actualis in naturalē & supernaturalē. p. 405. num. 1. sancta cogitatio ad ser-

vandum legem naturalem in statu innocentiæ non erat gratia, sed debita p.405 num. 2. Sancta cogitatio concesso, quòd sit debita elevato ad esse supernaturale, est gratia in radice p.406. num. 3. Gratia non requiritur ad benè moraliter operandum p. 485. n. 24. Gratia sanctificans & macula peccati mortalis nullã habent physicam oppositionem, sed moralem tantũ ex divina voluntate provenientem. p.432. nu. 30.

Gravis.

Probabile est, generari habitum in gravi descendente. pag. 387. num. 3.

H.

Habitus.

Est quædam potentiæ perfectio p. 386. num. 2. Est natura sua activus p. 387. num. 2. Facilitat potentiam, & perficit actus ibidem & num. 3. Non generatur in summè determinatis. ibidẽ. Probabile est, generari in gravi descendente. ibidem. In Deo concedimus habitus. ibi num. 4. Probabile est Scoto, habitum nõ esse principium activum p. 386. num. 6. Discrimen habitus à specie p. 115. num. 15. Habitus abstrahit à libero, & necessario; neque generantur ex actibus, quatenus sunt liberi, aut necessarij. pag. 160. numero 43. Neque concurrit ad actus sequentes quatenus virtuosi, neque quatenus geniti ex actibus virtuosis pag. 161. num. 45. Æquè intenditur per actus necessarios, ác per liberos. ibidem. Nullus habitus, cùm se teneat ex parte potentiæ, potest supplere munus speciei. p. 177. numero 92.

Historia.

In historica enarratione verba debent intelligi, non metaphoricè, sed communi, vulgataque significatione p. 16. n. 10.

Hierarchia.

Quid sit p. 83. num. 4 Hierarchiæ Angelorum sunt tres. ibi num. 7. In malis Angelis reperiuntur hierarchiæ pag. 521. num. 1. ibi. Est vnus supremus ibi num. 3. De numero & ordine hierarchiarum Dæmonum idem est dicendum, ac de hierarchijs, & numerero bonorum p. 522. num. 6. Dæmones cuiuscumque hierarchiæ subiecit Deus Angelis præcipuè Custodibus pag. 325. num. 7.

Homo.

Non est omnino certum, non posse esse hominem diversæ speciei pag. 78. num. 21. Corpus hominis non potest subito efformari à tota natura, sed gradatim per formas intermedias. p. 338. num 8. Nec destrui potest cito. ibidem. Quilibet homo habet suum Angelum Custodem

dem p. 505. num. 2. De homine ab Angelo custodito vide *v. Angelorum custodiam erga homines.*

Ignis.

Inferni cruciat dœmones, seu spiritus causando in eis tristitiam. pag. 490. num. 36. Causat hanc tristitiam per detentionem, seu alligationem, quam cũ illo igne patiuntur dœmones contra suam voluntatem. Quod probabile est Scoto p. 492. num. 47. Item per alligationem intellectus ad perpetuò considerandum ignem; quòd etiam est Scoto probabile, p. 495. n. 56.

Infernus.

In qua parte vniversi sit? pag. 458. num. 64. In Inferno nõ solùm est ignis, sed etiam alia afflictiva. p. 499 num 64. Quod diversis revelationibus constat. ibi num. 65.

Individuum.

Principium individuationis non est quantitas sola, aut materia signata quantitate, sed vltima realitas, & hæcceitas p. 71. num. 14. Reperitur intra eamdem speciem maior perfectio individualis, pag. 79. num. 33. & 34.

Incarnatio.

Nequit cognosci ab Angelo absque ostensione voluntaria verbi. p. 165. n. 57. & p. 168 n. 68. Incarnatio nũciata est per Gabrielem supremi ordinis p. 355. num. 15. Quare Incarnationis gratiam non contulerit Deus naturæ Angelicæ. p. 403. num. 41. Quare appellatur à Paulo mysterium absconditum p. 171. num. 75. & 76. Conciliantur Patres, alij concedentes, alij negantes Angelis viatoribus notitiam Incarnationis p. 172. num. 76. Fidem Incarnationis habuerunt Angeli viatores p. 171. nu. 74. Indebitè eã appetendo Lucifer peccavit p. 465. à num. 82.

Intellectus.

Quicumque creatus habet capacitatem recipiendi simul quascumque species impressas, non autem expressas, & quare pag. 217. à num. 65. Idem intellectus propter diversas habitudines dicitur potentia intellectiva, memorativa, agens, & passibilis pag. 253. num. 12. Intellectus operatio imperfecta vnde oriatur. pag. 280. num 61, Primarium obiectum intellectus est ens sub tota sua latitudine intelligibilis pag. 50. num. 12. Datur duplex intellectus nempe agens & possibilis: & quid sit quilibet: & cuiusque munus p. 53. num. 3. 4. & 5, A quo istarum producatur species expressa p. 54. n. 5. Intellect⁹ agẽs, & passibilis datur

in Angelo p. 54. à num. 6. Acutior intellectus, diversitasque intelligendi in hominibus ex dupli ci capite provenire potest. p. 79. num 34. Intellectus est formaliter intelligens in quantum recipit intellectionem, non autem in quantum illam producit. p. 92. num. 5. Quare actus intellectus comproducatur partialiter ab obiecto, vel ab illius specie p. 112. num. 8. Intellectus est causa principalior respectu obiecti coagentis, vel speciei. p. 124. n. 38. & 39. Intellect⁹ est immixtus, quo sensu intelligatur. p. 128. n. 50. Nequit cognoscere sensibilia singularia intutivè p. 131. num. 55. & p. 133. n. 60 Intellectus creatus non eget elevatione ad attingendum Deum naturali cognitione, præter speciem impressam illius, aut eius motionem immediatam, p. 149. num 8.

Intellectualitas.

Seu potentia intelligendi non est prima ratio distinguendi ipsum intelligentem p. 48. num. 5. Gradus intelligendi per discursum non arguit essentialē differentiam intelligendi. ibi. nu. 6. Intellectualitas, seu potentia intellectiva Angeli, vt præcisa ab eius esse tia non differt specie ab intellectualitate animæ præcisè etiam considerata pag. 49. numero 12.

Intellectio.

Grammaticaliter dicitur actio; cùm sit qualitas pag. 206. num. 34. Ordo, seu respectus actualis, quem intellectio dicit ad producentem non est necessarius illi; sed respectus aptitudinalis, seu naturalis aptitudo ad quemcumque intellectum, vt ad principium operativum. p. 207. num. 37. & 38. Quomodo intellectio sit in potestate voluntatis. p. 191. num. 237. Intellectio est qualitas; & abusivè dicitur actio pag. 92. & quare p 93 num. 3. Intellectio Dei dicit respectum, seu aptitudinem ad principium operativum; & repugnat illi respect⁹ seu aptitudo ad principium productivum, aut receptivum. pag. 108. num. 40. Cognoscens intellectionem alterius intellectus non percipit obiectum distinctè, & expræssè pag. 324. num. 85.

Intelligere.

Omnia vnico actu est proprium solius Dei pagina 95. numero 6. Ad intelligendum requiritur necessàriò potentia expedita, obiectum presens, aut species illius, & attentio potētiæ, p. 190. num. 235.

Irascibilis.

Obiectum est secundariò ap-

appetibile, & fugibile p. 258. à num. 7. sunt in irascibili actus, & circa bonum, & circa malum. ibi n. 9. Irasci quid sit p. 259. nu. 9. Ad iram quid requiratur pag. 259. num. 11. Irascibilis, & concupiscibilis quomodo distinguātur. p. 259. num. 12.

Iudicium.

Est regula correctiva simplicis apprehensionis pag. 102. num. 24. & 28. Et quamvis cognitio apprehensiva sit vera, eget tamen firmari per iudicium ibi. num. 25.

L.

Legio.

Comprehendit sex millia, sexcentum sexaginta sex pag. 28. num. 2.

Loquutio.

Humana est manifestativa ei᾿, quod latet in mēte hominis loquentis. pag. 196. n. 7. De Angelica vero vide *Angelorum loquutio*. Idemmet conceptus, vt profertur à dicente, est loquutio; vt verò recipitur in audiente, est auditio pag. 198. num 13. Loquens principaliter intendit, exprimere conceptum obiectivum audienti. pag. 214. nu. 58. & num. 60. Quæ sit loquutio imperfecta pag. 219. num. 72. sufficit, vt loquutio sit manifestativa, etsi actualiter non manifestet audienti. pag. 219. numer. 73. Humana quare, fiat per signa sensibilia pag. 221. num. 77. Est ignoti manifestaiva, adhuc quando colloquimur de rebus notis pag. 223. num. 84. & p. 234. num. 119. Sæpe contingit, loquentem non discerni ab audiente p. 236. n. 122.

Locus.

Non habet aliquam figuram, & situm, nisi locatum habeat, & qualem habet locatum habet locus. p. 288. num. 7. Locus est definitivus, quando locatum nullam habet figuram. p. 288. num. 7. Non est de ratione loci generatim sumpti esse diuisibilem pag. 299. num. 35. Per motum primariò acquiritur *vbi*; secundario locus. pag. 313. num. 8.

Lucifer.

Induxit reliquos Angelos ad omnia peccata ab ipso commissa pag. 442. a num. 19. Non solùm exemplo, sed etiam persuasione p. 438. num. 9. Maximè optabat socios sui propositi. pag. 439. num. 10. Absque deceptione persuasit alijs præferre suam voluntatem divinæ. ibi num. 12. Prius tempore peccavit Lucifer, & posteà excivit alios ad peccandum pag. 440. à numer. 14. In enumeratione suorum peccatorum potius est culpandus, (idem est de alijs dæmonibus) quàm excusandus pagin. 452. numero 47. Lucifer fuit præcipuus inter Angelos apo-

apostatas p. 443, n. 23. Fuit ex suprema hierarchia, & ordine, & supremus omnium Angelorum p. 444. à num. 24. Ita fuit supremus, vt nullum habuerit æqualem. p. 445, num. 28. De amore amicitiæ, & concupiscentiæ Luciferi p. 446. à n. 32. Peccavit appetendo Incarnationem p. 465. à num. 82.

Luxuria.

Dicitur excessus in quacunque materia p. 456. Dupliciter accipitur p. 457. num. 59. Divagatur per omnes peccatorum species p. 457. num. 60. & num. 62.

M.

Maria.

Virgo gloriosissima præbens consensum ad opus Incarnationis plus meruit, quàm omnes creaturæ per omnia opera sua. p. 416. num. 15. Aliquæ eius apparationes per semetipsam. p. 355. num. 13.

Materia.

Multoties sumitur ab Aristotele pro differentia individuali p. 68. num. 6. & p. 71. num. 15. Materia prima in primo instanti sui esse non fuit positivè privata, sed privativè solum p. 23. num. 27. Mutatio substantialis est index arguens compositionem ex materia, & forma. p. 35. num. 6. Nequit dari aliqua materia spiritualis. p. 8 num. 12. Ex eius inclinatione ad aliam formam provenit expulsio præ existentis p. 44. num. 4. Habet capacitatem recipiendi simul formas accidētales p. 217. à n. 65. Vnde provenit, vt vnica materia nequeat informari pluribus formis. pag. 307. num. 59.

Medium

Cognoscendi est duplex: vnum est præcognitum; & aliud est ratio cognoscendi. p. 114. n. 12. Medium inter extrema, si propriè sumatur, magis appropinquat vtrique extremo, quàm ipsa extrema inter se se. p. 130. nu. 53. Qui vult operari suaviùs, eligit medium facilius pag. 173. num. 80.

Memoria.

Quid sit? & quotuplex p. 250. à n. 2. Strictè sumpta duo includit p. 251. num 6. & 7. Existentia memoriæ probatur ex multis inconvenientibus secutis ex negatione illius p. 252. num. 10. sæpè non recordamur, cùm volumus propter indispositionem organi. p. 148. num. 5. Non requiritur excellentior potentia ad recordationem, quàm ad primam rei cognitionem p. 155. n. 31. Memoria necessariò versatur circa vtrumque obiectum, vt præteritum p. 253. num. 10. In hoc differt à memoria, intellectiva, & quare? ibi. num. 11. Nō requirit præteritionem in obiecto remoto, sed in proximo p. 253. n. 20. In quo memoria intellecti-

lectiva differt à sensitiva, & quare. ibi. n. 11. In Deo est memoria per æquivalentiam p. 253. num. 10. Quomodo distinguatur ab intellectu p. 254. n. 13.

Mensura.

Quid? & aliquæ illius proprietates p. 357. à n. 1. & p. 359. num. 7. Ad rationem rigorosæ mensuræ omnino requiritur esse distinctum à mensurato. p. 359. num. 7. Mensura alia intrinseca, & alia extrinseca p. 366. nu. 12. De mensura extrinseca p. 385 Vide verb. *Duratio*.

Meritum.

Quid sit p. 311. num. 1. Gloriosius est habere aliquid per meritum, quàm gratis accipere p. 412. num. 3. Plus valet vnum valde intensum, quàm multa remissa p. 412. num. 4. Præcipuè attenditur ex difficultate inclinationis voluntatis. ibi. n. 5.

Metaphisica.

Eius obiectum est ens, sub latissima ratione entis. pag. 263. num. 11.

Metonymia.

Quid sit pag. 453. num. 49.

Miraculum.

Excedit vires omnium causarum naturalium; nequit ab Angelo patrari p. 335. n. 19. & pag. 349. à num. 23. Quid sit. ibidem.

Mixtum perfectum.

Non potest efformari subitò à tota natura p. 338. num. 8.

Motus.

Gravium, & levium à quo proficiscatur, & quo pacto attribui possit generanti p. 272. num. 36. necessariò consumit tempus pag. 276. num. 50. Nequit dari absque termino, nempe vbi reali p. 287. n. 5. Per motum localem primario acquiritur vbi, secundario locus p. 313. num. 8. Successio motus provenit vel à gravitate mobilis, vel à resistentia spatij, vel à virtute limitata mobilis pag. 316. num. 17. Motus per vacuum esset successivus pag. 317. num. 19. Transitus de extremo ad extremum nequit fieri adhuc divinitus nisi per medium pag. 323. à num. 33. Nequeunt perseverare simul partes motus vel in eodem instante, vel tempore pagina 325. num. 40. Motus, & tempus sunt idem realiter, quamvis formaliter distinguantur pagina 363. numero 13. Motus primi mobilis per antonomasiam dicitur tempus pag. 378. num. 18. Durat spatio vigenti quatuor horarum ab ortu ad occasum pagina 379. ibi Est mensu-

ra extrinseca motuũ sublunariũ. p. 379. n.18. Motus solis durat, & peragitur spatio trecentorum sexaginta quinque horarum; & per istum fit integer annus pag. 379. num.18. Motus lunæ peragitur spatio viginti septẽ dierum. & octo horarum : & per istum (addendo duos dies, & aliquot horas) computamus vnum mensem: ibidem. Non est necessariũ, quòd movens, & motum realiter distinguantur. p. 37. n. 10.

Mutatio.

Est index materiæ. pag. 35. nũ.6. Duæ mutationes possunt esse in eodem instante pag. 475. numero 108. Quæ requirat propria mutatio ibidẽ. In mutatione instantanea simul sunt in eodem instante fieri, & factum esse. pag. 324. num.36. & 37.

N.

Natura.

Creata non est sua singularitas : ac per conseques quæcumque est communicabilis; nón ita divina . pag. 67. numer. 2. & 3. Instantia naturæ assignantur, quibus potest causa præcedere suum effectum pag. 271. num. 33. Dignificanda est natura, quantum apparentia permittunt p. 326. num. 41. Nõ possunt esse duæ naturæ intelectuales simpliciter infinitæ pagina 8. num. 12.

Necessitas.

Antecedens, & consequens explicantur pagina 414. numero 8. & 9.

Nobiles.

Compellantur Dij in Scriptura pag. 29. n.4.

Nubes.

Fiunt ex aëre pag. 340. numero. 13.

O.

Obiectum.

Potius dicitur intelligibile ob terminationem actus, quàm ob motionem potentiæ pag. 146 num. 95. Quare obiectum habeat determinatã sphæram producendi species impressas p. 228. num. 103.

Obcæcatio.

Obcæcatus, vel obstinatus Theologicè dicitur qui nimis resistit inducentibus ad bonum. p. 482. n. 14.

Oculus.

Est extra omnem colorem, vt colorem possit videre p. 128. num. 50.

Opinio.

Temeraria est, quæ absque sufficienti fundamento opponitur torrenti Scholasticorum p. 18. num. 17.

Opus.

Egreditur naturale, quãvis eliciatur à potentia supernaturaliter elevata, quãdo motivũ est na-

tu-

turale,pag. 409. num. 11. Non minus valet vnum opus intensum, quàm multa remissa, pag. 412. num. 4.

P.

Parentes.

Primi in statu innocentiæ habuerunt Angelum Custodem. pag. 509. num. 18.

Pater.

Hæc vox sumitur essentialiter, & notionaliter, pagina 87. num. 18.

Pati.

Nihil patitur à se ipso: hæc propositio est vera absolutè de actione corruptiva pag. 129. n. 51. Est etiam vera de agente vnivocè, non autem de agente æquiuocè. ibi num. 52.

Peccator.

Habet Angelum Custodem p. 508. num. 16.

Persona.

Quid sit? pag. 27. num. 1. An creata posit, alienam terminare naturam? Est problema. pagina. 39. num. 14.

Potentia.

Obedientialis non est distincta à naturali. Et est quædam entitas absoluta, & relativa secundùm dici. pag. 150. num. 15. Ad comprehendēdum aliquam potentiam sufficit cognoscere formas perfectivas illius sub cōceptu confuso, & communi perfectivi huius potentiæ. ibi num. 16. Potentia consequens explicatur, pag. 158. num. 38. Potentia, dum actu est impedita, non est potentia propinqua, sed remota. ibi num. 39. Potentia sensitiva impeditur à materialitate subiecti, ne posit producere vitalem sensationem in extraneo subiecto, pag. 203. numero 226. Discrimen inter potentiam factivam, & cognoscitiuam, p. 163 n. 53. Potentiam vitalem vitaliter operari est operari attendēdo obiectum, pag. 191. nu. 236. Potentiæ rerum specie diversarum, vt præcisè potentiæ considerate non differunt specie. p. 50. num. 13. Ex termino corporeo, & extenso alicuius potentiæ non infertur, potentiam illā debere esse corpoream, & extensam. pag. 58. num. 8. Potentia executiva, adhuc in Deo est formaliter distincta ab intellectu, & voluntate. Ibi num. 9. Discrimen inter potentiam organicam, & non organicam ad movendum corpus; & quare dicatur organica, pag 61. num. 15 Sensitiva potentia, quæ est organica, debet denudari ab omni sensibili, vt sensibile percipiat obiectum. pag. 128. numero 50. Nihil potest simul esse in actu existentiæ, & in potentia obiectiva; potest tamen in potentia subiectiva, p. 130. num. 52

Potentes.

Compellantur Dij in Scriptura, pag. 29. num. 4.

Phantasma.

Repræsentat rem existentem, vel non existentem, præsentem, vel non præsentem, pagina 119. num. 24.

Philosophi.

Veteres multas contradictiones latentes concesserunt, pag. 5. num. 5.

Prædestinatio.

Excessus bonitatis naturalis fuit aliqua ratio congruentiæ, vt quis prædestinaretur ad gloriam, pag. 81. num. 41. Et hoc longè distat ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum: isti enim admittebant ex naturalibus initium gratiæ, & gloriæ per modum dispositionis meritoriæ, ibidem.

Præteritum.

A me non cognitum, quando existebat, non possum cognoscere, nisi per reuelationem, pag. 186. num. 219.

Principes, aut Principatus.

Dicuntur à nomine præsidendi alijs, sunt tertius, & supremus gradus infimæ Hierarchiæ, pag. 89. num. 22.

Principia aliquot.

Quæ in inferioribus sunt diuisa, in superioribus sunt vnita, declaratur, pagina 61. numero 14. Habitibus vtimur, cùm volumus pagina 148. numero 4. A non amplo ad amplum negativè non valet consequentia, pagina 156. numero 32. Cognoscibilitas sequitur entitatē. pag. 164. num. 54. Pluribus intentus minor est ad singula sensus, est verum de quacumque potentia creata, pag. 188. num. 226. Qui discordat à principio, consequenter debet discordare à conclusione, quam tenet propter illud principium pag. 70. num. 10.

Promissio.

Vsurpatur aliquoties pro proposito, pag. 14. num. 7.

Q.

Qualitas.

Intensior non arguit in subiectis distinctionem specificam, pagina 80. num. 6.

Quantitas.

Permanens, necnon, & successiva continua est divisibilis in partes diuisibiles, & petit subiectum divisibile; non ita quantitas successiva discreta, pagina 384. num. 37. Divisibilitas, aut indivisibilitas successionis sumitur

mitur ex partium divisibilitate, aut indivisibilitate, pagina 385. num. 39. Partes quantitatis discretæ successivæ sunt indivisibiles; sicut partes quantitatis permanentis discretæ, vt binarius v.g. pag. 385. num. 39. Quælibet figura corporalis est adæquatus terminus (saltem naturaliter) quantitatis. pag. 188. num. 227.

R.

Recordatio, & reminiscentia.

Quid sit, pag. 251. num. 6. & 7. Obiectum recordationis, non est præsens in se, sed in sua specie, pag. 252. num. 9. Versatur circa duo obiecta. ibidem. Solum potest versari circa actum proprium ipsius recordantis, & ab ipso perceptum. ibidem Recordatio præteriti est prima pars prudentiæ, ibi numero 10.

Relatio, seu Respectus.

Cognoscuntur per species suorum extremorum, pag. 114. num. 12. & 13. Plures relationes numero distinctæ dantur in eodem patre respectu plurium filiorum pag. 216. num 63. Relationes divinæ vt formaliter præcise ab essentia non sunt infinitæ, aut finitæ, pag 218. num. 68. Discrimen inter intrinsecùs, & extrinsecùs advenientes, pagina 291. num. 16. Ad extrinsecùs advenientes datur per se motus; non autem ad intrinsecùs advenientes. ibi, num. 15. Triplex differentia relationum realium: aliæ enim sunt incompatibiles in eodem supposito, & natura: aliæ in eodem supposito, sed non in eadem natura: aliæ solum quoad sonum sunt oppositæ; sunt tamen compatibiles in eodem supposito, & natura, pa. 311. num. 8.

Respectus.

Ad principium efficiens non est ita intrinsecus intellectioni, ac est ad principium operativum. p. 208. num. 40.

Remorsus.

Conscientiæ damnatorum de amissione Beatitudinis est bonus, pag. 487. num. 27.

Reprobi.

Habent Angelum Custodē. pag. 508. num. 15.

Respublica.

Propter bonum reipublicæ, circumscripto omni præmio futuro debet fortis politicus secundum rectam rationem se morti exponere. pagina 265. num. 17.

Resurrectio Christi Domini.

Non probatur efficaciter ex comestione eius præcise; benè tamen

coniuncta cum alijs, pag. 345. num. 12. Scotus etiam defendit, talem comestionem esse efficax argumentum, ibidem n. 13.

Rupertus.

Sensit, malos Angelos numquam habuisse gratiam sanctificantem. p. 395. num. 21.

S.

Sacerdos.

In Sacerdote damnato manet caracter ad confusionem, p. 479. num. 6.

Saducæi.

Hæretici negaverunt Angelorum existentiam, necnon, & resurrectionis mysterium. pag. 3 num. 1.

Sancti.

Compellantur in Scriptura Angeli, pag. 29, num. 4.

Satan, seu Satanas.

Interpretatur contrarius, seu adversarius, pag. 436. numero 1.

Scotus.

Floruit ad annos 1300. p. 77. n. 29.

Scandalum.

Ipsum peccatum coram alijs comissum est scandalum, & moralis inductio, pag. 439. numero 10.

Scriptura.

Eius verba sunt propriè intelligenda, si non sit aliquod inconveniens. pag. 418. num. 23. & pag. 195. num. 3. Potest Ecclesia definire quem sensum intenderit Spiritus Sanctus circa locũ Scripturæ dubium. pa. 20. num. 20. & num. 23.

Secreta cordis.

Humani quomodo cognoscant Angeli boni. pag. 242. num. 143. Mali autem Angeli actus hominis internos solum coniecturaliter agnoscunt. Ibidem. Non est secretum cordis species impressa, sed expressa, pag. 235. num 121. Solus Deus cognoscit secreta cordis præterita præsentia, & futura, pag. 151. à nu. 17. & pag. 152. à num. 20. & pa. 153. à num 22. & pag. 154. à numero 28. De secretis cordium actu existentibus, & præsentibus p. 55. à n. 30. Actus cuiuscumq; potentiæ internæ est secretum cordis secundum modum, non secundum substantiam. p. 61. n. 47.

Seraph.

Dicitur ardens seu accensus: est primus gradus primæ hierarchiæ, p. 88. num. 20.

Sexta.

Synodus generalis celebrata fuit ad annos 680. pag. 82. numero 20.

Simul.

Solet largè accipi, & non in stricta significatione, pagina 392. num. 12. Nonnullæ huius

adver-

adverbij significationem, pag. 17.num.13.& 14.

Singularitas.

Singularitas rei multoties appellatur ab Arist. materia, & quare, pag. 68. num. 6. Potest singularitas concipi adæquatè sine essentia speciei, pag. 69. numero 7. Distinctio numerica actus vnde sumatur, pag, 95. à numero 6. In statu separationis cognoscemus singularitates in se ipsis, pag. 128. num. 49. Species naturæ communis nequit repræsentare singularitates, pag. 134. num. 62.

Singulare.

Plura singularia potuerunt produci in corporibus cœlestibus pag. 70. num. 12. Spectat ad perfectionem creaturæ multiplicatio numerica, seu singularium, p. 74. num. 21.

Sol.

Quare habeat determinatam sphæram ad operandum, p. 228. num. 103. & 104. Minuitur seu suspenditur virtus eius generativa. ibidem Non agit in medium per formam generativam auri v. g. Sed per illuminativam, & calefactivam. ibidem. Quare in instanti possit diffundere lucem per totum spatium. pag. 317. num. 18. Motus proprius solis spatio 365. dierũ, & 5 horarum peragitur, quibus spatijs componitur integer annus. pag. 379. num. 18. Sol primo instante suæ creationis illuminavit, pag. 270. num. 32. & ratio assignatur, pag. 271. num. 33.

Species.

Impressa cur dicatur vicaria obiecti, pag. 110. num. 3. Est similitudo obiecti non in esse entitativo, sed in repræsentativo, pag. 112. num. 10 Species intelligibilis quomodo causatur è phantasmate, pag. 491. à num. 41. Munus eius, & discrimen ab habitu, pag. 115. num. 15. Repugnat substantiæ finitæ, repræsentare omnia intelligibilia per se ipsam vice specierum, pagina 116. à num 16 Ob quæ munera dicatur vicaria obiecti. pag. 118. num. 20. Impressa sensibus internis, seu intellectui repræsentat obiectum, sive existat sive non. pag. 119. num 24. Accidit illi inhærentia potentiæ ad coefficiendum actum cum potentia. pag. 122. â num. 33. Species naturæ communis nequit repræsentare singularitates. pagina 134. num. 62. Vnica species impressa solum potest repræsentare vnicum obiectum, pag. 139. à num. 78 Et quare. p. 140. num. 80. Discrimen speciei impressæ ab essentia divina, vt hæc gerit munus speciei impressæ: pag. 143. à num. 88. Potiùs reddit potentiam proximè intelle-

tellectivam, quàm obiectum intelligibile. pag. 146. num. 95. De speciebus impressis accipitur etiam illud, *habitibus vtimur, cum volumus*. pag. 148. numero 4. Vocantur habitus.

Species.

Expressa an producatur ab intellectu agente, an à possibili? Est problema apud Scotum. pag. 54. num. 5. Species expressa elicita ab intellectu cum specie impressa derivata ab obiecto supernaturali non est supernaturalis, pag. 167. num. 61. & num. 63.

Species.

Impressa quid sit? pag. 108. num. 1. An detur? num 2. Est alterius naturæ, ac suum obiectū. pag. 113. num. 10.

Specificam.

Distinctionem subiectorum non arguit intensior qualitas in eis. pag. 80. num. 6. Consuevit species imperfectior commune nomen sibi arrogare. pag. 89. n. 22. Specifica distinctio actuum vnde sumatur. p. 95. à num. 6.

Status innocentiæ.

In eo sancta cogitatio ad servandum legem naturæ non erat gratia, sed debitum. pagina 405. num. 2.

Stephanus.

Ipsemet Christus apparuit Stephano lapidato, pag. 354. num. 10.

Succubus.

Dœmon dicitur, qui feminæ vicem gerit in corpore assumpto in actione generationi deserviente, pag. 343. num. 8, & 9.

Substantia.

Spiritualis habet innatam exigentiam ex debito naturalis congruentiæ ad sui conservationem, pag. 44. num. 3.

Successivum.

Est in perpetuo fluxu, pag. 372. numero 42. Si successivum esset in æternum duraturum, mensuraretur tempore, pa. 375. num. 14. Successio est prius, & posterius inter partes fluentes, pag. 385. num. 39. Successio in motu vnde, pag. 316. num. 17. Discrimen eius, & permanentiæ. pag 325. à num. 39. Partes successionis nequeūt simul perservare in eodem instante, aut tempore. ibi, num. 40.

Supernaturale.

Iam existens cognosci potest à cognoscente naturaliter. pag. 164. à num. 48.

Superbia.

Propriè dicta quæ. pagina 453. à num. 50.

T.

Tempus.

Discretum non datur. p. 379 à nu. 19. Tempus, & motus solùm formaliter distinguuntur. pag 363. num. 13. Quid sit, pag. 367. num. 25. Non sunt plura tempora specie diversa, pagina 369. num. 32. Discrimen temporis ab æternitate, & ævo, pag. 371 num. 41. Est mensura actu deficiens ibidem. Motus primi mobilis per antonomasiam dicitur tempus pag. 378. num. 18. tempori coexistimus formaliter relatione extrinsecus adueniente de prædicamento quando, pag. 290. num. 12.

Tertulianus.

Erravit existimans, Deum, Angelos, & animam rationalē esse corporeos. pag. 31. num. 9. & pag 337, num. 5. & pag. 340. num. 14.

Trinitas.

Nequit cognosci ab Angelo absque ostensione voluntaria Dei. pag. 165. num. 57 & p. 168. num 67. Dari potest species Trinitatis, & de facto data est p. 171. num. 73.

Tristitia.

Est quædam spiritualis qualitas molestiva, seu afflictiva orta ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt pag. 501. nu. 71. & pagina 493. num. 47. Non est operatio, sed passio in voluntate recepta, pag. 501. num. 72. Causatur ab obiecto apprehenso, & nolito, ita vt obiectum fiat proximè disconveniens per nolle voluntatis. ibi, num. 73. Suntque alij duo modi causandi tristitiam Scoto probabiles. ibidem. Non est in potestate illius, qui tristatur, non tristari, semel posita, & conservata apprehensione, & nolitione obiecti p. 494. n. 58. Tristitia causatur in dæmone ab alligatione, vt nolita, quidquid sit alligatio, pag. 494. num. 51.

V.

Vacuum.

Motus gravis per vacuum esset necessariò successivus. pa. 317. num. 19.

Vapor.

Fit ex aère, pag. 340. n. 13.

Vbi.

Est terminus realis veri motus, p. 287. num. 5. Est diffinitivum, si locatum non habet figuram, p. 288. num. 7. Fundamentum præsentiæ, vel vbi, quo substantia, se res supiritualis est formaliter presens loco, est ipsa substantia, seu entitas illius. Idē dic de substantia materiali, vt præcisa à quantitate. pagina. 290. à numero 13. Vbi circumscriptivum fundatur in quantitate. ibidē. Ad relationē extrinsecus ad,

adveniente vbi datur per se motus.pag.291. num.15. Vbi est relatio realis extrinsecus adveniens,pag.313. num,8. Vbi definitivum est divisibile ex parte spatij, & indivisibile ex parte subiecti,pag.316.num.15. Quãdo acquiritur vbi, deperditur præexistens defacto; non ita de possibilipagina 325 num.39.& 40. Ex natura sua est permanens. Vnde distinguatur essentialiter, vel accidentaliter vbi. p.376.num,10.

Verbum.

Eius definitio latè explicatur,pag.197. num. 8. Non est expressivum speciei expressæ, aut habituum potentię. ibi numero 10.

Veritas.

Contingens nequit cognosci per species, pag.184. numero 215. Solùm potest cognosci per intuitionem, aut per reuelationem.ibi.num.221.

Vestis.

Vestium ornatus non corpus exornat, sed detegit mentem,p.456.num.58.

Violentum.

Quid sit pagina 331.numero 9.

Visio.

Beata est supernaturalis, pag. 248. numero 19. & pagina 249. numero 21. An essentia divina, & creaturę eodem actu videantur, non est certum in Scoto.pag.255. numero 17. Visio beata dicitur participatio divinę per analogiam,pag.378. num.15. Eadem visione videntur essentia divina, & creaturę, pag.170.num.72. & pag. 189. num.230. Videri potest divinitus essentia sine personis, pagina 171.num.73. Visione in proprio genere diversis actibus videntur essentia, & creaturę. Visio beata infunditur à Deo solo probabiliter secundùm Scotũ. pag.193.num.243. Visio visionis beatę non est beatitudo. pagina.206. num.33.& pag.224. num.85. Visio beata terminatur ad obiectum pręsens secundum esse reale, pag. 206. num. 33. Visio elicita ab Angelo habente, speciem Dei impressam non esset Beata, pag. 211. à nu. 50. Viribus naturę potest Angelus, vel anima cognoscere Deum,vt obiectum beatificum repręsentatum in actu alterius Beati,pag.248.à num.16. Quid sit, creaturam videri in Verbo, ibi num. 18. Visio beata liberè elicitur à Beato, pag. 376. numero 12.

Visiva.

Potentia nequit producere visionẽ in alterius oculo propter materialitatem subiectorũ, pag.203.num.26.

Vir-

Virgo.

Gloriosissima habuit Angelum Custodem. pag. 508. num. 14.

Virtutes.

A virtute miraculorũ nominantur virtutes spiritus secundi gradus secundæ Hierarchiæ, p. 88. num. 21.

Vitalitas.

Actus in quo consistat. pag. 207. num. 37.

Vnio.

Hypostatica vide verbum Incarnatio.

Vnitas.

Pertinet ad perfectionem, pag. 77. num. 30. Apud Deum magis põderat accrementum vnitatis, quàm ostensio suæ omnipotentiæ, aut bonitatis. pag. 79. num. 10. Vnitas sapit naturam boni. peg 96. num. 9.

Vniversus.

In ipso sunt tres partes, seu sphæræ rerum p. 74. num. 21,

Volitio.

Grammaticaliter dicitur actio: cùm sit qualitas: pag. 206. num. 34. Denominat recipientem, non autem producentem, vt talem. ibidem.

Voluntos.

A nullo actu, vel habitu necessitatur. pag. 485. numero 24 Sæpe vsurpatur pro actu eius p. 256. num. 1. Omnis eius actus elicitur secundum propensionem iustitiæ, aut commodi, pa. 257. num. 4. Quid sit affectio iustitiæ, & commodi. ibi. num. 5. Potest eadem actio esse secundum vtramque affectionem ibidem. Voluntatis actus pertinentes ad irascibilem, & concupiscibilem, & obiecta eorum, pag. 258. à num. 7. An voluntas creata possit velle malum, vt malũ, & odijsse bonum, vt bonum? Est problema apud Scotum secundum multos: ego propugno affirmativam partem. pag. 261. num. 6. Secundum amorem amicitiæ, & concupiscentiæ habet totum ens pro obiecto, pag. 262. à num. 8. Et quare, pag. 263. num. 11. Nullum actum sive secundum affectionem commodi, aut iustitiæ elicit necessario, pagina 263. num. 12. Et ab omni actu potest cessare, ibidé. Quod est perfectio voluntatis ibi. n. 3. Non repugnat, se ipsam odio habere, pag. 266. num. 18. Potest voluntas peccare absque prævio intellectus errore, pag. 267 numero 21. & 24. Voluntas creata ex vi suæ naturæ est defectibilis à bono, pag. 269. num. 29. Ad liberè operandum sufficit præcedentia causæ ad effectum aliqua prioritate naturæ, pag. 270 num. 32. Proloquium. illud (omnis causa, dum causat, ne-

cessario causat) non lædit voluntatis libertatem. pag. 273. n. 39. Ad exercitium libertatis, vel per omissionem, vel per actus fugæ, aut prosequutionis sufficit vnica obiecti cognitio. ibi numero 40. Nullum elicit actum naturalem, pag. 274. num. 43. Actus voluntatis indeliberati oriuntur ex imperfecta cognitione, pag. 280. num. 61. Omne creatum arbitrium mutabile est pagina 281. num. 65. Circa nullum obiectum necessitatur, pag. 282. num. 67. Non potest pati vim eliciendo, aut recipiendo voluntatis actum, pag. 331. num. 9. Ad quodcumque nolle præcedit in voluntate velle pag. 446. numero 31. Et velle amicitiæ præcedit ad velle concupiscentiæ, ibidem.

INDEX
SELECTORVM PRAESERTIM, quæ in Patribus, Philosophisque inuenta, sunt indigitatione digniora.

A.

1 D. Anselmus de libero arbitrio cap. 10. dicit, quòd posse peccare non est libertas, nec pars libertatis. p. 269. nu. 28.

2 D. Anselmus in elucidario dicit, quod vnaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo cõmittitur. p. 510. n. 21.

3 Aristot. 12. Metaph. cap. 7. & 8. Videtur asserere numerum Angelorum esse quadraginta septem. pag. 62. num. 2. benignè explicatur.

4 Aristoteles 7. Metaph. textu 20. 21. & 41. dicens. In his quæ carent materia, idem est, quod quid est, cum eo, cuius est: explicatur, pag. 68. nu. 6.

5 Aristot. 10. Metaph. Masculus, & fœmina non differunt specie, &c. explicatur. pag. 72 num 18.

6 Arist. 2. de Anima tex. 71. & 121. Oportet, oculum esse extra omnem colorem, ad hoc, vt omnem colorem possit videre, explicatur. p. 128. n. 50.

7 Arist. 1. de Generat. textu 48 Nihil patitur à seipso, explicatur p. 129. n. 51.

8 Arist. dicens, gravia, & levia, non moveri à se ipsis, sed à generãte, explicatur p. 474. n. 106. & p. 272. num. 36.

9 Arist. 2. Topic. cap. 4. Contingit, plura scire, cogitare autẽ non, explicatur p. 188. n. 226.

10 Arist. 7. Physic. tex. 7. & 9. dicens, quod agens, & passum movens, & motũ debent esse simul, explicatur, p. 227. numero 102.

11 Arist. 8. Metaph. Formæ se habent sicut numeri explicatur. pag. 71. num. 18.

12 Arist. 12. Metaph. textu 43. erroneis principijs nixus asseruit, Angelos (quos ipse vocat intelligentias) non posse numero multiplicari. Sed reijcitur, p. 68. n. 5. & p. 69. n. 8.

13 Arist. fallò adstruxit, nõ posse produci novum in immobilibus, seu in sempiternis, p. 70. num. 12.

14 Aristoteles vel non agnovit

animæ immortalitatem; vel de illa dubitavit. p. 265. n. 17.

15 Ariſtoteles 9. Ethic. cap. 4. docet, quòd amicabilia ad alterum menſurãtur ex his, quę ſunt ad ipſum. p. 265. num. 18.

16 D. Athanaſius quæſt. 27. ad Antiochẽſes: præſcius rerum, & cordium cognitor ſolus eſt Deus. Nec enim Angeli vel cordis abſcondita, vel futura videre poſſunt p. 157. nu. 37.

17 D. Auguſt. obijt anno 433. pag. 245. n. 9. & p. 306. nu. 54.

18 D. Auguſtinus non legit opera D. Dionyſij pag. 245. n. 9.

19 D. Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad literam cap. 7. Talem potuit Deus hominem feciſſe, qui nec peccare poſſet, nec vellet p. 268. num. 27.

20 D. Auguſtinus ibi cap. 13. docet, diabolum cecidiſſe, non ab eo, quod acceperat, ſed ex eo, quod acciperet; ſi ſubdi voluiſſet. pag. 279. numero 59.

21 D. Auguſt. in lib. de Cura pro mortuis agenda: Animæ ſeparatæ non noverunt ea, quæ hic aguntur, niſi eis exprimantur ab Angelis, vel ab animabus ad eas venientibus, quæ illa hic noverunt. p. 227. num. 10.

22 D. Aug. 12. de Geneſi ad literã c. 28. & 29. Agens eſt præſtã tius patiente pag. 134. n. 63.

23 D. Aug. lib. 83. qq. quæſt. 79 dicit, quod vnaquæque res viſibilis in hoc mundo habet poteſtatem Angelicam ſibi præpoſitam. pag. 513. n. 29.

24 Aug. ſerm. 68. ad fratres in eremo affirmat, quòd omnia peccata ex diaboli tentatione procedunt p. 520. n. 7.

25 D. Aug. 19. de Civit. ca. 13. Ordo eſt rerum parium, diſpariumque vnicuique loca ſua diſtribuens cõgrua diſpoſitio pag. 521. n. 1.

26 D. Aug. expoſitio de ſex diebus metaphoricis creationis non admittitur communiter. p. 107. num. 38.

27 D. Aug. ſenſit cum Platone, Angelos habere corpora ex materia, & forma compoſita. p. 36. n. 8. & eſſe animalia rationalia, atque mortales ab intrinſeco ibidem.

28 D. Aug. de fide ad Petrum c. 5. docet quòd natura Angelica potẽtior eſt ad bonũ, quã humana. p. 483. n. 18.

29 D. Aug. de Doctrina Chriſtiana cap. 31. approbat regulã Triconij; qua illa, quæ ſunt membrorũ tribuũtur Capiti; & è contra. p. 507. num. 11.

30 Avic. 9. Metaph. c. 4 Exiſtimavit, Angelum ſuperiorem creaſſe inferiorẽ p. 9. n. 2. Sed refellitur p. 70. num. 11.

31 Avic. 9. metaph. c. vlt. & aliqui Scholaſtici dixerunt, dœmones cruciari per ignem, eo tantũ, quod apprehendũt ſe ab illo cruciari, p. 490. nu. 37.

32

32 Author de Causis 9. propositione dixit: *omnis intelligentia est plena formis*. p.134.n,62.

B.

33 D. Basilius in Psal. 33. Omni in Christo credenti Angelus assistit; nisi illũ à nobis per improbas actiones profligaverimus. p.509.n.17.

34 Beda libro Variarum quæstionum quæst. dicit, Angelos apparere hominibus in corpore facto ex materia cœlesti. p. 339. n. 11.

35 D. Bernardus sermon 5. in Cant. dicit, Angelos non discurrere, neque transire de loco in locum, nisi per corpora. p.310.num.4.

36 Boetius communiter allatus: Communis animi conceptio est, incorporalia nô esse in loco. p.287.n. 3.

36 D. Bonav. floruit anno 1260. p.77.num. 29.

C.

37 Cain: eius filiæ compellantur in scriptura filiæ hominum ob morum Cain prauam imitationem. p.29.num.4.

38 Chrisostomus hom. 3. ad Colos. Prius pro numero gentium erant Angeli; nunc autẽ nõ pro numero gentium, sed pro fidelium p.510 n. 19.

39 D. Chrysost. hom. de Ascensione dicit. Angelos nostris dolere supplicijs; & quando puniebamur, magna tristitia tenebantur. p. 514.n.33.

40 Cherub interpretatur plenꝰ scientia p.88.n.20.

41 Concilium Nicenũ 2 (quod est septima synodus Generalis) actione 5. docere videtur, Angelos esse corporeos. p. 31. num.8.

42 Concilium Lateranense sub Martino 1. celebratum fuit ad annum 883. p.82.n.2

42 Concilium tertium Constantinopolitanum (dicta sexta synodus Generalis) celebratum fuit circa annum 680. p. 82. num, 2.

D.

43 Dij vocãtur in Scriptura, qui sunt nobiles, potentes, aut iudices. p. 29. n.4.

44 D. Dionysij opera multo tẽpora latuerunt. p.245 n.9.

45 D. Dionysij libri de cœlesti Hierarchia inscripti indubiè sunt Dionisij. p.2.n.4 & p.82. n.2. Hanc veritatem confirmavit Deus per miracula: ibidem.

46 D. Dionysius doctrinam de triplici Hierarchia, & novem Angelorum choris à Magistro suo D. Paulo, asseveranter profitetur accepisse; tradereque fideliter, vt ab ipso acceptam. p.85 num. 11.

47 D. Dionysius de Cœlesti Hierarchia c.7. dicit; Angeli non cõgregant divinas illuminationes, vel notitiã divinã ex rebus sensibilibus p. 135.n.64.

48 D. Dionys. ibidem c. 2. dicit,

quod

quòd Angeli superiores habẽt totalitatem scientiæ, seu sciẽtiam per totalitatem. p. 140. num. 79.

49 D. Dionys. de Diuinis nominibus cap. 1. dicit, per speciem inferioris ordinis nõ posse cognosci rem ordinis superioris. p. 143. n. 86.

E.

50 Ecclesia potest definire, seu de fide determinare scripturę locum dubiũ, aut indifferentẽ p. 20. num 20. & n. 23.

51 Enos cœpit invocare nomẽ Domini p. 294. Vnde filij eius in scriptura compellantur filij Dei. ibidem.

F.

52 Franciscus seraphicus Parẽs amantissimus ab ipso Christo D. immediatè insignitus est sacris vulneribus redemptionis. p. 356. à num. 17.

G.

53 Gabriel Archãgelus de ordine seraphico est secundũ aliquos. p. 86. num. 16. ¶ Ex mẽtẽ D. Gregorij Papæ fuit supręmæ Hierarchiæ. p. 355. n. 15.

54 Gennadius Episcopus Masiliensis floruit ad annum 490. Isti atribuitur liber de Ecclesiasticis Dogmatibus. p. 306. num. 54.

55 Glossa super 1. ad Chorint. cap. 15. Quãdiu durat mundus, Angeli Angelis; homines hominibus; dæmones dæmonibus præsunt. pag. 522. num. 4.

56 D. Gregorij Magni sententia asserentis, æqualem futurum esse in gloria numerum Angelorum, & hominum, nullo nititur fundamento. p. 64. num. 6. ¶ Deserendus est in modo numerandi ordines Angelorum: quia discordat à Divo Dionysio communiter recepto p. 85. num. 13. ¶ Obijt anno 604. p. 245. n. 9.

57 D. Gregorius Magnus lib. 32. Moral cap. 18. alias 25. videtur affirmare, Angelos malos numquam habuisse gratiã sanctificantem p. 395. n. 21.

58 D. Greg. 4. Dialog. cap. 29. videtur favere illis, qui dicũt, dœmones cremari per ignem; quia apprehendunt se ab igne cremari p. 490. n. 38.

59 D. Greg. ibi cap. 30. docet, quòd ignis detinet spiritum. p. 493. n. 48.

60 D. Greg. 11. Moral. c. 25. docet, non omnia hominum peccata ex diaboli tentatione provenire. p. 520. n.

Hierarchia.

61 Est idẽ, ac sacer Principatus, seu collectio personarum, inter quas est aliquis dignitatis ordo, & quæ militant sub vno Principe. p. 83. n. 4.

62 D.

62 D. Hieronymus t. 6. in magnis commentarijs epistolę ad Ephes. affirmare videtur, Angelos viatores non habuisse fidē Incarnationis p. 172. n. 76.

63 D. Hierony. Matth. 10. docet, duplicem esse gehennam nimij ignis, & frigoris in Iob planissime legitur. p 499. n. 64

64 D. Hierony. ad illa verba Matth. 18. Angeli eorum &c. dicit. Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum p. 505. n. 2.

65 *Histori*. In historica narratione debent verba intelligi, non metaphoricè; sed communi, vulgataque, significatione. p. 16. num. 10.

66 *Homo*. Non est omnino certum, non posse esse homines diversæ speciei. pagin. 78. num. 31.

I.

67 D. Ildephonso apparuit ipsamet Beatissima Virgo afferens illi sacerdotalem vestem p. 355. num. 13.

68 Innocentius 3. serm. Domin. 1. Quadragesimæ docere videtur, quod Lucifer non fuit supremus Angelorū superioritate positiva, sed tantum negativa p. 445. num. 29.

69 Iudices compellantur Dij in Scriptura. p. 29. num 4.

70 Iusti appellantur in Scriptu. Angeli: Ibidem.

M.

71 Mariæ Virginis gloriosissimæ aliquot apparitiones per se ipsam factæ sunt: pagin. 355. num. 13.

72 Michael Archāgelus fuit ordinis Principatus hoc est, tertij, & supremi gradus infimæ hierarchiæ pag. 89 n. 23. vt sentit D. Dionysius.

N.

73 Nobiles compellantur Dij in Scriptura. p. 29. n. 4.

O.

74 Origenes hom. 4 in Psal. 36. docet, quòd multi Angeli præter Custodem adiuvant hominem. p. 507. num. 8.

P.

75 Pelagiani, & Semipelagiani admittebant ex naturalibus initium gratiæ, & gloriæ per modum dispositionis meritoriæ pag. 1. num. 41.

76 Philosophi antiqui multas cōtradictiones latētes concesserunt. p. 5. num 5.

77 Principes, aut Principatus (dicti à nomine præsidendi alijs) sunt tertiùs & suprem⁹ grad⁹ infimæ hierarchię p. 89. n. 22.

R.

R.

78 Respublica. Pro Reipublicæ bono, circũscripto omni præmio futuro, politicus fortis debet secundum rectam rationem se morti exponere. p. 265 num. 17.

79 Rupertus sensit, malos Angelos numquam habuisse gratiam sanctificantem pag 395. num. 21.

S.

80 Saducæi negarunt Angelorum existentiam, necnon & resurrectionis mysterium. p. 3. num. 1.

81 Sancti cõpellantur in Scriptura Angeli. p. 29. n. 4.

82 Satan, aut Satanas, hoc est contrarius, seu adversarius. p. 436. n. 1.

83 Scripturæ verba propriè sunt intelligẽda, dummodũ nõ sit incommodum. p. 195. n. 3. & p. 418. n. 31.

84 Sacerdos in inferno retinet impressum caractere sacerdotalem ad confusionem. p. 179 num. 6.

85 D. Stephano lapidato ipsemet Christus D. apparuit pag. 354. num. 10.

86 Scotus floruit anno 1300. p. 77. num. 29.

87 Succubus dœmõ dicitur, qui specie, & more fœminæ in actu generationis semen recipit ab homine decisum. p.

T.

88 Tertulian⁹ existimavit Deũ, Angelos, & animam rationalem esse corporeos pagin. 31. num. 9. & p. 340. num. 4. & p. 337. num. 5.

89 Troni sunt sedes Dei, & primæ hierarchiæ tertius gradus p. 88. n. 20.

V.

90 Vapor fit ex aere. pag. 340. num. 13.

91 Virgo gloriosissima ipsamet apparuerit D. Ildephonso afferens illi sacerdotalẽ vestem. p. 355. num. 13. Aliæ ei⁹ apparitiones ibidem.

FINIS.